



NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
18 D
8

GEORGII LOVETII NOTÆ AD COMMENTARIA CAROLI MOLINÆI *IN REGVLAS CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ.*



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis, ac Reginæ Architypographum,
Et GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. LVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

D. O. M.

PETRO

SEGVIERIO

FRANCIÆ

CANCELLARIO

PVRPVRÆ LVMINI

REGNI COLVMINI

DOCTRINARVM PARENTI

RELIGIONIS VINDICI

FORI MIRACVLO

CVRIÆ ORACVLO

THEMIDIS SACRARIO

ã ij

SVMMÆ
GALLICÆ CANCELLARIÆ
REGVLÆ
APOSTOLICÆ CANCELLARIÆ
REGVLAS
GEORG. LOVETII COMMENTARIIS
ILLVSTRATAS
SEBAST. CRAMOISY
REGIS AC REGINÆ
ARCHITYPOGRAPHVS
SIGILLA REGIA
PLAVDENTIBVS BONIS PROBANTIBVS MALIS
INVIDENTE NEMINE
RESTITVTA
MERITO GRATVLATVS
D. D. D.

Ineunte anno cIↄ. Iↄc. LVI.



TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVANTVM *Litterati omnes Louëtio debeant, neque is es,* ERVDITE LECTOR, *apud quem demonstrari oporteat, neque hîc dicere suscipio; vel si susceperim, solo præmisso Louëtij nomine rem confecerim. Tot Arresta quæ publici iuris fecit (quæ, quamdiu forum Gallicum stabit, tamdiu vigebunt) tantam ipsi famam peperere, vt in totâ re litterariâ nullus sit adeo peregrinus, qui non plura & ampliora, quàm dici possit, de tanto viro secum ipse sentiat. Prodeunt modò eiusdem in* Regulas Cancellariæ *Apostolicæ Commentarij, quos in ipsius scriniis delitescentes commodè nactus sum. Sed*

tamen eum, quem mihi proposueram, exitum non omnino res habuit, quippe variis negotiis vir distentus ita confusè & obscurè litterarum notas exararat, ut nonnisi morosiore curâ explicari potuerint. Erunt itaque multa, ut opinor, ERUDITE LECTOR, *in quibus non abundè tuis votis fecerim, vel maximè in duabus posterioribus* Regulis, *ad quas nullæ notæ marginales appositæ sunt. Sed quia in Auctoris autographo desiderabantur: malui tantum opus in lucem exire numeris omnibus non expletum, quàm penitus interire. Si mihi vitio non vertas, qui nec studio nec labori hactenus peperci: prodibit aliquando ex omni parte absolutum.*



SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM est auctoritate Regis, ne quis in regno suo, aliisve locis suæ ditioni subiectis, intra duodecim annos proximos, librum qui sic inscribitur: GEORG. LOVETII *Notæ ad Commentaria Caroli Molinæi in Regulas Cancellariæ Apostolicæ*, absque Sebastiani Cramoisy Regis ac Reginæ Architypographi permissu imprimat aut diuendat, à die publicationis horum exemplarium. Qui secùs fecerit, mulctâ indictâ, prout ampliùs in diplomate regio continetur, coërcebitur. Datum Parisiis, die 12. Februarij 1653. Sic signatum, De mandato Regis, CRAMOISY.

Prima editio absoluta fuit die 12. Februarij 1656.



GEORGII LOVETII NOTÆ AD COMMENTARIA CAROLI MOLINÆI In Regulas Cancellariæ Apostolicæ.

AD REGVLAM DE INFIRMIS RESIGNANTIBVS.

NVMERO III.

Quòd per cessionem vel resignationem non ius amittitur.



T nulla potest esse prouisio beneficij, nisi duabus personis concurrentibus, Collatoris, & eius cui beneficium confertur: ita nec eius dimissio seu renunciatio, nisi vtroque concurrente, vt vnumquodque eo iure dissoluatur, quo contractum est, cap. Admonet. de renuntiat. Nam per acceptationem beneficij & eius possessionis ade-

Vt in resignatione, sic in collatione duæ personæ desiderantur.

ptionem, contrahitur veluti matrimonium inter Ecclesiam & titularium, cuius dissolutio non ab vnius voluntate pendet, sed à collatore pro Ecclesia, resignantis consensu accedente. Antiquis autem Patrum decretis hæ resignationes reiiciebantur, ex Concilio Arelat. I. can. 22. & cap. 5. Calcedon. Concil. art. 11. quia ordo cum beneficio conferebatur: & deponebantur ministri, qui in locis in quibus ordinati fuerant non perseuerabant: hodie verò resignationes in fauorem fauore summo amplectuntur, & sunt veluti iuris ordinarij. Notandum obiter resignationem in manibus potestatem habentis faciendam, aliàs non considerandam ex 1. not. decis. de Renuntiat. in antiquioribus. Idem in 3. decisione statutum, & in decis. 4. Idem statuit in vlt. Rotæ decis. aliàs 461. de Consuet. in nouis in adit.

NVM. IV.

Excipio tamen bonam fidem, vnde si quis dedit mandatum ad resignandum beneficium, & dum putat illud executum, impetrat aliud non facta mentione prioris.

De simulatis prouisionibus vt à summo Pontifice incompati-

RECTE quidem, si bona fide: si verò fraudandi animo, vt quis à summo Pontifice alterius beneficij incompatibilis prouisionem

obtineat, non idem esset statuendum. Sed quid si in hoc regno non sit incompatibile beneficium, sit autem Romæ, vt in præbendis videre licet? Dubitarunt nonnulli ex nostris, nec sine ratione. Bonum dolum dixerunt in mandato ad resignandam præbendam: seu ex causa simulatæ permutationis, aut alio modo, vt possent alterius præbendæ prouisionem à summo Pontifice obtinere: non inhonestum his modis ea consequi quo in regno ex antiquorum patrum decretis licita esse iudicantur, ex Lateranensi Concil. in cap. d. Multa de Præbendis. Canonicatus, & præbendas inter incompatibilia beneficia non annumerari: iure Concordatorum graduatis licitum duas obtinere præbendas in §. Volumus. versiculo Si quis verò, de collat. Concordatorum iura non tantùm in regno, sed Romæ ad vnguem obseruanda, ab eorum derogatione ad summa Franciæ tribunalia abusus ergo appellari posse. Tridentina quidem constitutione (noua quædam iurisprudentia & nondum in regno recepta) hanc præbendarum pluralitatem prohibitam: sed huiusmodi constitutioni regnicolas nullo modo directè nec indirectè obligari. Vrgent in contrarium argumenta, vnicuique liberum summum adire Pontificem, liberum resignare, liberum etiam summo Pontifici resignationes in fauorem admittere, summum Pontificem ad Concilij Tridentini obseruationem obligari, in his resignationibus in fauorem solum summum

bilium beneficiorum obtineatur prouisio.

Pontificem omnimodam poteſtatem habere ad donationem non coërcendam; in his quæ non à priuatorum voluntate, ſed à ſuperioris diſpenſatione & imperio dependent, non priuatorum voluntatem, ſed ſuperioris attendendum iudicium, à quo totum pendet negotium. Quid ſtatuendum? cùm nullo fauore beneficiorum pluralitas poſſit commendari, qui ſummi Pontificis liberalitatem obtinere deſiderant, Romanis legibus ſubiiciantur. Tutius ergo erit collatorum ordinariorum implorare auxilium, & ab eis collationes obtinere: & nimis periculoſum in his ſpiritualibus controuerſiis, quæ ſunt de apicibus iuris, ſe iudicantium arbitrio ſubmittere. Vide quæ notaui inf. Num. 364.

EOD. NVM. IV.

Quia nemo ſeipſum deſtituere poteſt.

Vt in beneficiis, ſic in officiis duæ perſonæ requiruntur, & conferentis, & illius cui confertur.

QVOD in beneficiis dictum fuit, in officiis quæ ſunt tam in diſpoſitione Regis, quàm dominorum temporalium obſeruatur. Horum igitur eiuratio à duorum pendet voluntate, & quod ab initio liberum fuit, poſt acceptationem fit neceſſarium.



NVM. VI.

Reiecta formularum scrupulositate.

CVm in his spiritualibus caussis & veritatem & æquitatem consideremus, subtilitates & argutiæ penitus sunt reiiciendæ, quæ iniqui speciem continent, & æquitati repugnant.

Subtilitates in spiritualibus reiiciuntur.

EODEM NVM. VI.

Censetur magis collatiuum quàm electiuum.

NEc enim dispositio cap. de Elect. ad collatiua beneficia referri debet, nec ad primas Ecclesiarum cathedralium dignitates, quarum vacatione Ecclesia Pastore viduata non dicitur: hæ eligendo conferuntur, & ex collatione magis participant, quàm ex electione. Ideo si quis ad vnguem electionum solennitates in harum dignitatum prouisionibus non obseruauerit, nihilominus validæ erunt ex glossa in Clement. Quia contingit. §. Vt autem. in verbo Electionem, de Relig. domib. ex quibus colligere facillimum aliam rationem esse in his dignitatibus quæ eligendo conferuntur, aliam in his quæ à superioris confirmatione perfectionem accipiunt: hæ electiuæ dicuntur propter confirmationem, illæ collatiuæ propter collationem.

Dignitates quæ eligendo conferuntur, aut quarum electio à Superiore confirmatur, an Electiua, aut Collatiua.

EOD. NVM. VI.

Vnde nullo modo spectaret ad nominationem Regis.

Decanatus Ecclesiarum an in Regia nominatione, an electiui, an collatiui, & quam in his conferẽdis summus Pontifex habet potestatẽ, & an Graduatis & aliis expectatiuis gratiis subiiciantur.

In his Decanatibus, seu primis Ecclesiarum dignitatibus post Pontificales, Regis nominationem cessare multoties iudicatum, & extant senatusconsulta pro Decanatu Ecclesiæ Carnotensis, Decanatu Ecclesiæ Collegiatæ S. Germani Parisiensis, Decanatu S. Milionis in diœcesi Burdegalensi, Decanatu S. Marcelli Parisiensis, Decanatu Ecclesiæ Andegau. quæ à Ren. Chop. recitantur Sacr. Polit. lib. 11. cap. 1. num. 14. & c. 2. num. 3. & 4. Videndum autem an istæ primæ Ecclesiarum dignitates eligendo conferantur, an confirmatione comprobetur electio. Primo casu indultis Curiæ Parisiensis subiicientur, si modò nominati à Senatoribus sunt capaces, eminentis doctrinæ & qualitatis, vt puta si Senator Parisiensis se ipsum nominauerit, vt Prætoriano decreto iudicatum fuit pro Decanatu Ecclesiæ Lemouicensis in fauorem domini Ridier Senatoris Clerici: quod ad graduatorum personam extendendum existimarem, si modò in eis requisitæ resideant qualitates, quod durum quodammodo videtur, & regia constitutione, licèt nondum in Senatu probata referatur. Aut verò à superiore confirmatur electio, tunc huiusmodi dignitates primæ mandatariis nomi-

natis à Senatoribus, & graduatis non subiiciuntur, nec aliis gratiis expectatiuis, ex doctrina glosæ Prag. Sanct. in capite Sicut in fine. §. quibus, in verbo electionis, & in cap. licet. §. Statuit, in verbo fiant, de Elect. quam sententiam probat Rebuf. in tractatu Nominat. quæst. 15. num. 25. Sed an summus Pontifex harum dignitatum resignationes admittere possit? & posse iudicauit Senatus Parisiensis pro Decanatu Ecclesiæ Carnotensis 3. Febr. 1571. pro Stephano Boudet, Brissonio, Montelonio & Versorio partium Aduocatis: & alio Parisiensi senatusconsulto die 8. Martij 1607. pro Decanatu Ecclesiæ Turonensis contra dominum Souare, & Capitulum prædictæ Ecclesiæ, Doleto & Roberto partium Aduocatis, reiecta ea distinctione, an eligendo conferantur, an earum electio per superiorem confirmetur. Idem decisum pro dicto Decanatu sancti Germani Parisiensis. Vtroque namque casu summus Pontifex vniuersalis Ecclesiæ pastor, moderator & ordinariorum ordinarius, potest ea quæ eligentes possunt, eligere, eodémque momento confirmare: quæ superiores possunt, eadem prouisione eligere & confirmare: electorum, & confirmantis vices gerere. Et vsu receptum in hoc regno in resignationibus sacerdotiorum, in patronatu Ecclesiastico existentium, summum Pontificem plenam potestatem habere posse. quæ patroni Ecclesiastici possunt, posse quæ collatores. Sed quæ in resignatione

dicta ſunt, ad vacationem per obitum extendi non debent; ſummus enim Pontifex per Concordata in §. Declarantes. de Mandat. Apoſt. aliquid de iure ſuo remiſit in gratiam ordinariorum, ſolámque præuentionem in his prouiſionibus ſibi tantùm reſeruauit, quæ collatiuæ dicuntur, non quæ per electionem conferuntur. Nequis enim dixerit §. Declarantes. ad electiuas dignitates referri aut extendi poſſe, & quod attinet ad dignitates quæ eligendo conferuntur. Meliùs equidem ſummi Pontifices facerent, ſi reiecta omni præuentione, liberam harum primarum dignitatum electionem ordinariis relinquerent, quæ & Legatis à latere plenariam poteſtatem habentibus prohibita fuit, in cap. Deliberatione, de offic. Legat. in ſext. & ante Concordatorum iura prohibita erat huiuſmodi primarum dignitatum præuentio, in cap. 1. de Collat. in Pragm. & gloſ. Pragm. Sanct. in cap. Licet. §. Statuit, in verbo fiant, de Elect. quæ decreti Senatus auctoritate confirmatur. Et hæc iura in fauorem ordinariorum introducta, commodum & vtilitatem Eccleſiarum, à bonis Senatoribus, veris Gallicanæ Eccleſiæ iurium patronis, obſeruari deberent: ſed contrarius vſus inualuit propter generalia verba dicti capituli Declarantes, quæ omnem dignitatem, demptis Epiſcopatu & aliis conſiſtorialibus dignitatibus, comprehendunt. Sed regula manet in primis poſt Pontificales dignitatibus, quæ ex conſuetudine

dine & priuilegio à Sede Apostolica approbato habent ius eligendi, cap. Per præmissa, de Reg. ad prælat. nominat. in Concordat. In his enim cessat præuentio, nec cap. Declarantes, de merè electiuis, sed de collatiuis, aut quæ eligendo conferuntur, vel quarum electio non confirmatur, dignitatibus disponit. Harum quidem dignitatum resignationem admittere poterit summus Pontifex, non autem per obitum, conferre si hoc sibi non reseruauerit. In toto titulo de Regia ad Prælat. nominat. in eóque has dignitates merè electiuas comprehendere voluerit. Vide 1. aliàs 124. Rotæ decis. de Elect. in antiquis, quando electio confirmatur, aut cùm eligendo confertur beneficium. Et si ad literam Concordatorum verba notantur, tam in §. Præfatíque Ordinarij, vers. tertiam partem, quàm in titulo de Mandat. Apost. de collatiuis beneficiis & dignitatibus tantùm loquitur, de electiuis autem ne mentionem quidem statuit; & sæpe in Rota iudicatum, sub generali dignitatum aliorúmque beneficiorum verbo electiua non contineri beneficia, ex 41. aliàs 237. Rotæ decis. de Rescript. in Antiquis. Et refert Renatus Choppinus lib. 1. de Sacra Politia cap. 1. num. 9. in fine & num. 10. tam in Senatu Parisiensi pro Decanatu sancti Marcelli Parisiensis, quàm in Prætoriano Consilio, id iudicatum, nec Papam per obitum conferre posse. Et in modificatione facultatum Legati à Ve-

rallo id à Senatu prohibitum legimus. Nec dissensisse ab ea sententia videntur Prætoriani Senatores pro Decanatu sancti Nolionis pro domino Card. de Sourdis contra Brigard mense Augusti anni præsentis 1607. Siquidem Papa non per obitum contulerat, sed per electionis nullitatem, iuréque ad eum deuoluto, quod notandum.

NVM. XIII.

Quartus quando etiam retenta pensione, qui etiam frequens est, & toleratur ad tertiam partem fructuum.

Pensiones ad tertiam partem fructuum reducta.

TRIBVS in casibus pensiones super fructibus beneficiorum creari possunt pro bono pacis, vt cùm litigiosa sint beneficia, in resignatione ne resignans nimium ex resignatione patiatur dispendium, in permutatione propter inæqualitaté reditus, vt alibi dicemus. Sed in pensionum creatione, & beneficiorum & personarum est habenda ratio. Beneficia namque aut animarum curam seu sacramentorum administrationem habent, aut sunt simplicia; primo casu abusiuæ pensiones vetitæ & prohibitæ, in his enim beneficiis propter necessariam residentiam fructus pro alimentis Pastoris reseruantur, nec ad alios vsus possunt applicari; hi fructus ita diuino cohærent muneri, vt ei qui altari non seruit, qui sacramen-

ta non administrat, distribui non possunt. In his beneficiis antiquorum canonum seruatur dispositio, qua beneficia Ecclesiastica sine vlla diminutione fructuum debent conferri. Fructus à titulo beneficij non separantur; qui titulum beneficij non habet, nullam in fructibus portionem prætendere potest. Pro Episcopatu Lusoniensi referunt Senatusconsultum Parisiense 14. Augusti 1570. latum: pro parochialibus Ecclesiis vulgò citantur alia arresta; vnum in publicis caussarum actionibus pronuntiatum Lunæ 7. Ianuarij 1585. Langlois & De Lessau partiũ patronis; aliud Iouis 13. Augusti 1587. pro parochiali Ecclesia de Chambon, & ea est Molinæi opinio ad regulam de public. num. 274. Sed dubitatũ fuit quid in his parochialibus Ecclesiis inter resignantem & resignatarium statuendum esset, negante resignatario ad promissam etiam iuramento pensionem obligari, cùm rei prohibitæ immo abusiuæ nulla pactio, nulla detur actio, quod voluerunt partes non potuerunt, nec quod contrahentes contra iuris præcepta promiserunt considerandum, sed quod lege permittente rite & legitimè potuerunt obseruandum, cùm in conuentionibus voluntas à potestate vim & auctoritatẽ accipiat; volumus enim quod possumus, quod excedit, reiiciatur, potestas autẽ à lege moderatur, rei à lege prohibitæ nulla conuentio: publicè interest pastores altari seruientes de altaris fructibus viuere, publicè interest mendicum & pauperẽ pastorem men-

dicare,& ob egestatem ad turpia inuitari. Res ex se mala, immo abusiua nulla conuentione validari potest, vitiū rei inhæret, lepra est, corpus sequitur, & tolli non potest. Resignante in contrarium dicente pessimi esse exempli in spiritualibus caussis fidem fallere, ex præceptis naturæ neminem cum alterius damno locupletari, ex proprio dolo commodum consequi, cùm enim de propriis priuatísque commodis tantùm controuersia mouetur, non tam quid promissum quàm an sit promissum attenditur. Ea lege facta resignatio imponit resignatario necessitatem cedendi aut soluendi, iniuriosum lucri caussa onus donationi appositum reiicere, & huius pensionis denegatio perfidiam iure diuino prohibitam approbaret. Hanc quæstionem decreto Senatus decisam referunt nostri, eo temperamento adhibito, vt resignatarius præcisè soluere promissam pensionem teneatur; sed ea conditione adhibita, nisi cedere beneficio maluerit, vt cedat vel discedat: ego verò à licitis inciperem, vt cedere beneficio teneatur nisi pensionem soluere voluerit, eo modo nec pactio illicita, nec perfidia probabuntur. Sed si in sacris quæstionibus de apicibus iuris differere liceat, vtrumque illicitum posset sustineri, quidem aliud est cedere beneficio quàm regressum sacris constitutionibus prohibitum admittere, sed ex duobus malis minus eligatur, & quod in resignatario constitutum fuit, eadem ratio postulat, vt in eius resignatario locum habeat,

aliàs de facili per obliquum fraus fieri posset. Et ita contra resignatarium resignatarij pronuntiauit Senatus Parisiensis in publicis caussarum actionibus, Lunæ 5. Decembris 1583. Labere & Courtin contendentibus, & in pensione super Abbatia de Ferreriis constituta alio Senatusconsulto contra Claudium Sublet resignatarium Sublet fratris sui pro Pelerin in prima classe Inquisitionum 16. Iulij 1601. cùm in quinta, postea in quarta Inquisitionum classibus Senatorum vota adæquata fuissent. Vnum non omittendum, resignatarium licitè immodicæ pensionis reductionem petere posse, nulla enim pactione alimenta pastori laboranti denegari possunt: Non ligabis os bouis triturantis; publicáque postulat vtilitas, quæ nulla particulari conuentione violari potest: & cùm hæc in Senatu disceptantur, solet Procurator Generalis ab immodicæ pensionis creatione tanquam ab abusu appellare. In aliis verò beneficiis simplicibus, quibus animarum cura non imminet, nec sacramentorum administratio datur, licitæ sunt pensiones in casibus supradictis, vsque ad tertiam partem fructuum, vt alibi ex communi Canonistarũ sententia diximus, ex Molinæo inf. num. 323. & transeunt hæ pensiones iure optimo constitutæ, in quemcumque beneficij successorem: beneficium enim sequuntur. Sed si tertiam partem fructuum excedunt, à resignatario improbari non possunt: cedat vel discedat, vt pro dicto

Pelerin contra dictum Sublet pro pensione super fructibus Abbatiæ de Ferreriis iudicatum 16. Iulij 1601. A tertio autem successore, aliàs quàm per resignationem beneficij prouisionem habente, reduci possunt pensiones ad legitimum modum, nempe tertiam partem fructuum. In aliis enim duabus fructuum portionibus consistit legitima portio, in qua candidatus grauari non potest; vt hîc existimat Molinæus. Et pluries hoc in Senatu iudicatum referunt nostri, contra Mariam de Thou Abbatissam des Cleritz, 8. Martij 1591. Roberto & Dolé partium Aduocatis, pro Andrea du Hamel contra Andream Sauetier 7. Februarij 1595. contra Robertum Yuon, contra Ludouicum de Meaulne 8. Febr. 1594. Limita si post pensionis creationem beneficij fructus ita diminuti bellorum tempestate, aut alio fortuito casu, vt soluta pensione nil resignatario nouo Abbati superesset, tunc boni viri arbitrio moderandam pensionem. Publicè enim interest vt hi resignatarij ea quæ sunt muneris & functionis ordinariæ exerceant, & magis indignum resignatarium sine vllo reditu in beneficio residere, quàm resignatarium immensam pensionem soluere nolle; in vno publica versatur vtilitas, in alio priuata commoditas: nec vlla ratio suadet beneficium esse posse sine vllo reditu, ex doctrina Glos. Pragmat. Sanct. in §. Cui rei. in verbo titulo, versic. habens. De Collat. Dicitur enim beneficium, quòd bene faciat, & definitur ius fructuum

percipiendorũ. Ideo canonicatus ad effectum obtinendæ dignitatis inter beneficia non enumerantur, & nostri pensionem definientes, moderatam quandam ex reditibus beneficij portionem dixere, vt Corasius in Paras. Sacerd. cap. 4. Panorm. in cap. Suggestum. de Decim. cap. Quanto. De Censib. Rebuff. tractat. de pacific. possess. num. 116. & ex stylo Romanæ Curiæ vsu receptum est testante Rebuffo in Praxi Benefic. tit. de Reseruat. subl. num. 21. Imbertus in Enchirid. iur. Galliæ, in verb. Pensio, & Plura de canonicatu ad effectum. Vide infrà num. 323. De pensione autem personali, aut reali, aut quando transferri potest, vide infrà ad Regulam de publicandis num. 277.

Canonicatus ad effectum inter beneficia non enumerantur.

NVM. XV.

In resignatione cum regressu.

IVRE Concordatorum titulo de Reseruat. subla. & antea Basiliensi Concilio regressus in resignationibus beneficiorum reiecti & damnati fuerunt. Nec hodie in regno vlla dubitatio esse potest, & si quid contrà fieret, appellatione tanquam ab abusu annullaretur, quod in beneficiis collatiuis seruatur. Sed in consistorialibus beneficiis maior fuit dubitandi ratio, propter Regis in concesso regressu consensum, Apostolica auctoritate confirmatum. His enim duabus potestatibus summis simul concurrentibus, Sacer-

Regressus in beneficiis damnati.

dotali & Regia, negotium omni crimine & vitio expurgatum existimant. Alij in contrarium regressus indistinctè & nulla beneficiorum adhibita distinctione reprobatos publica suadente vtilitate, id à sanctis Patribus fuisse constitutum, Titul. de reseruat. subl. in Concordat. beneficia tam electiua quàm collatiua continere. Sed quia hæ quæstiones in sacro Regis Consistorio deciduntur, propterea Regis voluntas pro lege habetur, qui enim vacanti beneficio nominare potest, eadem facilitate regressum approbare poterit. quocunque tamen casu tutius erit noua prouisione hæc omnia confirmare & approbare, aliàs verendum triennali possessione regressum non confirmari; vbi enim vitiosa, & abusiua prouisio cessat decretum de pacificis possessoribus.

Vbi tanquam ab abusu potest appellari, cessat regula de Pacific.

NVM. XVI.

Finge mandatum datum.

A quo tempore 20. dies computantur in regula de infirmis.

IN regula de infirmis, viginti dies à tempore præstiti consensus computantur, hæc autem quæstio inutilis, cùm hodie multis erroribus purgata Cancellaria Apostolica, inter diem datæ & præstiti consensus nulla sit differentia, eodémque die concedantur.



NVM.

NVM. XXI.

Plus dico quòd si Papa pendente dicto mense.

EX hac Molinæi opinione colligere licet prouisiones summi Pontificis, quæ incapacitate personæ, subreptione, obreptione, aut alio vitio nullitatem inducunt, non impedire vacationem beneficij per obitum, & posse collatores ordinarios tali beneficio vt vacanti legitimè prouidere. Idem enim est summum Pontificem nulliter aut non contulisse: quod nullum est, nullum producit effectum; non dicitur factum quod non durat factum: non solet considerari quod de iure non sortitur effectum; versum non dicitur, quod non durat versum. L. si pro parte. §. Versum. ff. de in rem verso. Satisdatio quæ non durat, non est satisdatio. L. 1. §. Quod ait Prætor. ff. Quorum legatorum. Solutio quæ non durat, non inducit liberationem. L. qui serò soluit. ff. de solut. Posthumus qui statim decessit non rumpit testamentum. L. posthumus. ff. de iniust. rupt. testamento. Multis senatusconsultis explosa fuit erronea eorum opinio, qui beneficia Romæ nulliter aut vitiosè collata, Curiæ Romanæ ita esse addicta seu affecta existimabant, vt collatoribus ordinariis eorum prohibita esset prouisio: Nulla enim reseruata beneficia in regno agnoscimus, vt tit. de reseruat. sub-

Nulla Papæ prouisio non impedit prouisionem Ordinarij.

Beneficia in Curia vacantia reseruata.

lat. in Concordat. decisum fuit; exceptis beneficiis in Curia Romana per obitum vacantibus, ex cap. 2. cap. Præsenti. cap. Statutum. de Præb. in 6. Glos. Pragm. Sanct. tit. de Collat. §. Quod omnia. in verb. Scilicet. quæ intra mensem vacationis Romano reseruantur Pontifici: post mensem libera eorum promotio collatoribus ordinariis conceditur. & ita interpretari debet cap. Præsenti declaramus. de Præbendis, in sexto, & titulus de reseruat. sublat. in Concord. omnes beneficiorum reseruationes in regno reiicit, damnat, & adnullat, excepta sola creatione canonicatus ad effectum obtinendæ dignitatis, cap. In cathedralibus, dicto titulo de reseruat. subl. Reiicienda igitur Panormitani opinio, in cap. Inter dilectos, de excessibus Prælat. Roman. in conc. 335. aliorúmque contra Gallicanæ Ecclesiæ iura dicentium, beneficia Romę etiam nulliter collata esse affecta in necem collatorum ordinariorum, ex Rebuf. sententia in glos. Concord. titul. de reseruat. subl. in principio, in verbo Item vbicumque, & pleniùs in praxi benef. titul. de reseruat. subl. num. 38. Nec ad litteram accipienda sunt verba glos. Pragmat. Sanct. in §. Licet, in verbo Caussa. de Election. quæ particulares reseruationes ex quadam caussa probare videntur, quod illis temporibus Romæ seruabatur: sed noua Concordatorum iurisprudentia omnes reseruationes damnatæ fuerunt, dicto tit. de Reseruat. sublat. siue sunt generales siue speciales;

eóque iure vtimur in Regno. De his beneficiis in Curia Romana vacantibus vide glos. Prag. Sanctionis in cap. Sicut. §. quibus. in verbo clausis. versic. quo in facultatem. de electionibus. Horum enim collatio summo Pontifici reseruatur, cùm hæc reseruatio sit clausa in corpore iuris: & si à maiori ad minus liceat ratiocinari, cùm primæ Ecclesiarum dignitates verè electiuæ, vt Episc. Abbat. huic subiiciuntur obseruationi per cap. 1. versicul. Nec non per obitum apud Sedem prædictam, de Regia ad Prælat. nominat. in Concordat. quanto magis àlia beneficia collatiua?

NVM. XXII.

An hæc regula locum habeat in ordinario collatore.

SI rebus integris agitanda esset hæc quæstio, noua iurisprudentia per antiquam posset reformari, vt & ratio postulare videtur, & æquitas suadere, quod multis rationibus probat Rebuf. in loco hîc citato, & pleniùs in conc. 72. suísque temporibus solemni senatusconsulto in fauorem Ordinariorum decisa quæstio fuerat, vt refert Lucius placit. lib. primo art. 4. Arrest. 8. Sed hodie nouo quodam iure regulam non procedere in Ordinariorum prouisionibus Senatus iudicauit pro parochiali Ecclesia de la Boissiere, vt hîc refert Molinæus; quod etiam in magno Regis Consilio obseruatur, & in aliis

An regula de 20. diebus locũ habeat in Ordinario.

summis Franciæ tribunalibus: nec alia quærenda elidendi ratio: verba eius regulæ ad summum Pontificem, non ad ordinarios collatores referuntur. Eadem Molinæi opinio inf. num. 98. & 99. Sed clamant ordinarij collatores regulam de infirmis resignantibus in eorum fauorem introductam, ad vitandas fraudes institutam, facilem extensionem in Ordinariorum persona eadem æquitate postulante, iniquum Cancellariæ Romanæ stilum, derogationem huic regulæ admittentem, & veluti regulæ effectum eludentem. Durum hanc regulam à tantis summis pontificibus probatam, auctam, publicatam, commendatam, in Cancellaria Apostolica registratam, à Bonifacio VIII. 1295. Martino V. Nicolao V. Eugenio IV. Innocentio VIII. Iulio II. Adriano VI. Clemente VII. Paulo III. Paulo IV. solita immo ordinaria derogatione supprimere. Sed Ordinariorum voces summorum Pontificum aures pulsare non potuerunt, nec ad eorum audientiam peruenire: & vt liberè de ea quæstione vota mea reddam, summo quidem iure hanc regulam de viginti diebus non procedere in ordinario collatore concedendum existimo, cùm verba regulæ repugnent: sed ordinariam & solitam hanc derogationem, sine caussæ cognitione admitti solitam, moderandam existimarem, nec passim, nec pro qualibet persona concedendam. Cur enim ex stilo Cancellariæ Apostolicæ, nulla admittitur derogatio in prouisionibus

An summus Pontifex huic regulæ possit derogare.

beneficiorum in Britannia, aut aliis partibus obedientiæ existentium, in aliis verò regni partibus ex contrario (non dicam corrupto) vsu admittitur? At inquiunt trapezitæ: In his partibus obedientiæ summi Pontifices octo mensium spatio Ordinariorum iure vtuntur: summum Pontificem huic regulæ in sui præiudicium derogare nolle, quod nunquam crediderim: immo hanc derogationem à Cancellaria Apostolica potiùs procedere, quàm à summo Pontifice. Sed hæc quæstio planè inutilis, cùm iure quodam Gallico hæ derogationes tolerentur, nec ab vllo iudice reiiciantur, & ita miserè Ordinariorum iura his non reclamantibus sepeliuntur. Vide quæ notauimus inf. num. 105. in adit. Et refert Gomes. ad Regul. de infirmis resignantibus quæst. 26. communem in Rota opinionem, regulam in Legato & Ordinario procedere, & institutam ad fraudes vitandas, quæ in collatore vt in Romana Curia committi solent, verbo Sed prædictis non obstantibus.



NVM. XXIX.

Cùm sit odiosa dispensatio, nec debeat extendi sed restringi.

In dispensationibus verba tantum valent, quantum sonant, nec extenduntur. Quod in his antiquis à Paulo tertio & quarto ad obtinenda regularia beneficia dispensatis videre licet: quorum dispensationes ad conuentualia beneficia *Dispensationes non extendenda.*

non extenduntur : nec ad diuersorum ordinum beneficia, si non exprimantur. Nec de qualitate beneficij ad aliam fit extensio. Vigilent igitur Præsides & Senatores in suis nominationibus, & diligenter dispensationes ante nominatæ personæ electionem legant.

NVM. XXXI.

Liceat Ordinario de collatione beneficiorum negotiari.

Collationes in fructu.

SED collationes beneficiorum sunt in fructu, licèt honorifico, ex glos. in cap. Cùm olim. de Maiorit. & obed. Et gratificatio illa quæ datur collatori capaci & idoneo conferendo est in fructu, ex honestate accipientem beneficiũ obligat: idonea obligatio quæ ex liberalitate accipientem astringit: diues est qui sua liberalitate hominum animos acquirit. Loquitur autem Molinæus de his qui de suis collationibus, contra canonicas sanctiones, non ex liberalitate disponunt: sed qui sordidè contra sanctorum Patrum decreta miserè negotiantur. An autem omnium fructuum & iurium beneficij conductor habeat iura præsentationum, dicemus inf. num. 248. Præsentationes & collationes beneficiorum esse in fructu probat 7. aliàs 268. Rot. decis. sub tit. de iure patronat. in nouis, & 5. aliàs 324. de Elect. in antiquis.

NVM. XXXI.

Sed etiam iure Pontificio.

AN hodie permutatio beneficiorum necessitatem imponat, dubitari potest. Cùm solitæ permutationes, & quæ communiter fiunt, non tam contemplatióne beneficiorum, ex pura & vera canonum doctrina, quàm personarum, ex corrupto & abusiuo vsu fiant, compermutantium commoditates exquiruntur, & Ecclesiarum vtilitates spernuntur. Sed cùm Episcopalis sit functionis permutationes admittere, ex glos. in Clement. Ne concessione. in verbo Conferantur. versic. Hoc sciat. De rerum permutatione. & ex Molinæo inf. num. 39. versiculo Ita quòd etiam. attentè prouideant Episcopi vt in his permutationibus absit omnis fraus, & dolus, cap. Licet. in verbo Ac sine fraude. De rerum permut. in sexto. & vitent permutationes quæ à morientibus fiunt, qui migrantes ab hoc seculo beneficiis debent renuntiare. Quòd autem Episcopi cum causæ cognitione tantùm has permutationes admittere debeant, patet ex eo quòd antiquitus dignitatum & præbendarum permutationes erant prohibitæ. can. Alienationes. 12. quæst. secunda. repetitum in Concil. Turonensi in cap. Quæsitum. de Rerum permut. apud Gregorium. Cuius capitis verba hæc sunt: Si Episcopus causam inspexerit in permutatione necessariam (vi-

Permutatio an Ordinario necessitatem imponat.

Episcopi tantùm permutationes admittunt.

Permutatio cum causæ cognitione admittenda.

de quæ notabimus inf. num. 39.) nec mirum si solis Episcopis permutationum cognitio concessa sit, cùm sit veluti quædam dispensationis species, contra prima patrum decreta, ab antiquo enim iure receditur: & quod Molinæus inf. num. 40. existimat iure Gallico inferiores Episcopis, puta Capitula Ecclesiarum cathedralium, & Abbates, posse permutationes admittere, procedit ex priuilegio speciali, aut possessione immemoriali quæ titulo æquiparatur, nec aliàs.

NVM. XXXII.

Quo casu etiam sine noua collatione ius reuertitur ad resignantem.

Resoluta permutatione an noua collatio necessaria.

CLARIVS & apertiùs hanc quæstionem decidit Molinæus ad regul. de public. num. 186. & 187. & multis rationibus probat, nullam permutationem, cùm rerum permutatarum aut partis earum fit euictio, & subsecuta euictione, iudices seculares posse statuere compermutantes ad compermutata redire beneficia sine noua collatione. Fit enim permutatio sub ea conditione, vt compermutantes rei compermutatæ sint domini, qua non secuta essentiali conditione, resoluitur permutatio, veluti causa non secuta: Vide Molinæum inf. num. 154. in fine: noua prouisione opus non esse. Nec Boerij incertam opinionem

nem admittimus in sua decisione 97. sed doctrinam Ioan. de Selua tract. de benefic. 3. parte quæst. 32. & Christophori de Rufign. in comment. Pontif. lib. 3. titul. 39. & hæ rationes eliciuntur ex 9. aliàs 339. Rot. decis. de Renunt. in antiquis. Solent nonnulli Principis impetrato rescripto coram iudice laico petere, vt sua collatione eiurata repetantur beneficia.

NVM. XXXVIII.

Vbi non loquitur de hac regula, quæ etiam tempore suo nondum erat facta.

Discrimen inter regulam de 20. diebus, & regulā de infirmis.

QVI historiam Romanæ Cancellariæ norunt, intelligant ante regulam de infirmis, quæ Innocentio VIII. hîc tribuitur, aliam fuisse regulam quæ de viginti diebus vocabatur: & qui infra viginti dies à die admissæ resignationis decedebant, vacabant resignata beneficia per obitum, nulla infirmitatis mota quæstione. & eo antiquo iure hodie illustrissimorum Cardinalium Collegium vtitur: quorum indulta, non de regula de infirmis, sed de viginti diebus intelliguntur. Si itaque Titius in plena valetudine beneficium eiurauit, & post viginti dies decesserit, à die admissæ resignationis in Curia Romana, vacabit beneficium virtute indulti. Ita iudicatum in magno Regis Consilio pro Prioratu de

Lyon in diœcesi Andegauensi mense Septembri 1605. domino Haligre referente: nec huiusmodi indulta infirmitatis mentionem faciunt, cùm de derogatione ad hanc regulam verba faciunt.

NVM. XXXIX.

Nisi inquantum Episcopus inspexerit causam subesse necessariam.

De permutatione ab infirmo facta in extremis laborante.

QVOD differit hîc Molinæus non admittendam ab Episcopo permutationem sine causæ cognitione: in fraudulenta permutatione agitata fuit quæstio in Senatu Parisiensi in causa parochialis Ecclesiæ de Cohors in diœcesi Lingonensi: cùm resignans ætate prouectus, grauíque morbo laborans, dictam parochialem Ecclesiam Matthæo Bracher nepoti suo, cum quadam tenuis reditus Capellania, permutasset: & die tertio permutatione vndique adimpleta, & possessione adepta decessisset, validam permutationem iudicauit Senatus 12. Iulij 1578. & postea secunda Martij 1585. Dubitandi ratio pendebat ex fraudis præsumptionibus, senilis ætas, infirmitas, affectio sanguinis, mors inopinata, inæqualitas beneficiorum in reditu: quæ sunt veræ fraudis præsumptiones ex 2. aliàs 361. Rotæ decis. titul. de Præsumptionibus in antiquis. Et huic

subscribebam opinioni ante decretum Senatus Parisiensis : cùm fraus semel commissa posset etiam post actum perfectum allegari & probari, vt ipsemet Molinæus probat suprà num. 29. versiculo, Ficta enim erat. Sed decidendi causa fuit, permutationem viuis compermutantibus vndique ex vtraque parte adimpletam & perfectam, nihil ad eius perfectionem desiderari potuisse: quæ post perfectum contractum eueniunt non considerari, nec ius plenè quæsitum immutare posse, quod semel verè meum fuit sine meo facto auferri non potuit. Sed quid si huiusmodi permutatio in mensibus graduatis, aut aliis expectantibus affectis admissa fuerit, dicemus inf. num. 112. 113. & 114. Quid si ab Episcopo admissa sit permutatio, spreto patrono Ecclesiastico, dubitandi ratio erat ex maiori fraudis præsumptione, vt Episcopus patronum sua præsentatione in beneficio proximè vacaturo priuaret, permutationem eo casu sine vlla causæ cognitione facillimè admitti posse, durúmque patronum sua spe sine suo facto eo non vocato excludi. Nihilominus iudicauit Senatus Parisiensis in prædicta causa parochialis Ecclesiæ, Capitulum prædictæ parochialis Ecclesiæ patronum conquerentem non admittendum: iure enim suo Episcopi permutationes, spretis Ecclesiasticis patronis, admittere possunt, vt sup. notauimus num. 31. Vide inf. pleniùs agitatam quæstionem num. 111. ex quibus colligere licet aliquando in fa-

cris quæſtionibus dolum ſub ſpecie recti tolc-ratum.

NVM. XXXIX.

Quia non licet Epiſcopo paſſim & liberè permutationibus au-ctorari, ſed tantùm ex cauſa vtili.

ALIVD Eccleſiaſticas quæſtiones ex ſancto-rum Patrum decretis & pura Conciliorum ge-neralium doctrina decidere: aliud ex Apoſtoli-cis conſtitutionibus & decretorum legibus, vt in permutationibus admittendis videre licet. An-tiquo enim & primario iure, & Epiſcoporum tranſlationes, & beneficiorum non tantùm per-mutationes, ſed etiam eorum eiurationes prohi-bitæ erant. Ordo cum beneficio, beneficium cum ordine, quocunque caſu matrimonium cum Ec-cleſia contrahitur, nec matrimonij diſſolutio concedebatur. Poſtea ab eo iure receſſum, & quod indiſtinctè prohibitum fuerat, cum cauſæ cogni-tione conceſſum fuit: vt in Epiſcopatuum per-mutatione videre licet, in can. Mutationes. can. Scias. 7. quæſt. prima. neceſſitate aut vti-litate Eccleſiæ tantùm poſtulantibus. Decreto-rum iure à tanto rigore diſceſſum, in cap. Quæſi-tum. de Rerum permutatione, dignitatum per-mutationes cum cauſæ cognitione conceſſæ, ſine

causæ cognitione prohibitæ: eodémque decretorum iure non cuilibet collatori, sed tantùm Episcopis in sua diœcesi permutationis admittendæ ius concessum fuit, vt sup. diximus. num. 31. vt in permutationibus maior adhibeatur discussio. Permutationum verò causa ex communi vsu, ne abusum dixerim, ex voluntate Episcopi non Ecclesiæ vtilitate pendet. Nectitur causa ex particulari compermutantium interesse, quod subtili potiùs quàm vera Innocentij auctoritate probatur, in cap. Cum vniuersorum. de Rerum permutat. in hæc verba, Quam vtilitati vtriusque imminere credebant. Taliter fuisse deceptum idem in cap. Ad quæstiones. de Rerum permutat. statuitur, cùm priuata potiùs, & inæqualitas redituum, quàm publica Ecclesiæ vtilitas consideretur, nulla alia adhibita causæ consideratione. Quod deterius, permutationi contemplatione personarum potiùs quàm Ecclesiarum factæ, eadem priuilegia quæ veræ conceduntur: hæc collatori necessitatem imponit. Inutile igitur permutationis causas inquirere, postquam ab Episcopo admissa fuit permutatio, & huic sententiæ tacitè adsentire videtur Molinæus in hæc verba Secunda. quia licèt Episcopi hodie non exerceant hanc auctoritatem & causæ cognitionem, aliam quidem rationem addunt num. 40. Episcopos causæ cognitionem in permutationibus adhibere non posse, ob subitam Papæ præuentionem in admittenda permutatione: in his ita quotidie

peccatur ne deterius contingat. Tamen ipsi non possunt admittere resignationes & prouidere ex causa permutationis.

NVM. XL.

Prohibitum fuit Capitulo Carnotensi causæ cognitionem in collationibus præbendarum adhibere.

In receptione Canonici an Capitulum causa cognitionem possit adhibere.

QVOD multis aliis senatusconsultis iudicatum contra Ecclesiarum Capitula, quæ à Renato Choppino recitantur Sacræ Politiæ lib. 1. cap. 8. num. 2. & à domino Ruzeo tract. Regal. priuil. 6. num. 7. & à Probo 36. tract. Regal. Sed in hac quæstione consideranda collationis clausula, nonnulli enim Episcopi iure suo vtentes in suis collationibus hæc verba inserunt, Mandantes Canonicis & Capitulo, &c. alij verò, Rogantes Canonicos & Capitulũ, &c. Primo quidem casu talis clausula causæ cognitionem impedit: alio verò casu potest Capitulum ex legitima causa nouum respuere Canonicum. Ego verò semper existimaui Capitula ad nouorum Canonicorum receptionem non compellenda quando aut corporis aut animi vitia notoria sunt: puta si lepræ morbo laborant, si ex causa infamante condemnati fuerint, si illegitimi, si repugnant Capituli statuta; supplicationis enim via supe-

riorem, aut summa tribunalia adire possunt, vt vocato detentore illegitimo super negotio statuatur, & interea nihil contra Ecclesiæ statuta & iuris rationem moliatur.

EOD. NVM. XL.

Inferiores enim collatores beneficiorum ad suam collationem pertinentium.

IVRE canonico ius admittendæ permutationis solis datur Episcopis, vt maturiori iudicio & cum causæ cognitione eas admittant, vt sup. num. præcedenti notauimus. & id decidit glos. in Clement. 1. in verbo Conferantur. de Rerum permut. Doctores in cap. Quæsitum. de Rerum permut. apud Gregorium. Nihilominus vsus in contrarium in Gallia obtinuit: an Episcoporum negligentia, aut alia ratione, id factum fuerit aut toleratum, nescio, & cuilibet Ordinario concessum ob permutationis causam conferre, vt hîc recitat Molinæus. Existimat Rebuf. in praxi beneficiorum tit. de permut. num. 20. id præscriptione seu consuetudine factum: quoquomodo toleratum fuerit, omnes Ordinarij permutationes admittunt. Sed Molinæi opinionem approbat Christophorus de Rufigniac. in commentariis Pontif. lib. 3. cap. 32.

NVM. XLI.

Quos Papa præuenire nequit.

An Papa patronum laicum possit præuenire.

QVATVOR menses patronis laicis dantur ad præsentandum, intra quæ tempora summus Pontifex patronos præuenire non potest. Cùm enim hæc laicorum patronorum iura inter temporalia bona computantur, veniunt in iudicio familiæ hercicundæ, cessat intra ea tempora Papæ potestas: antiquitus tamen summi Pontifices intra ea tempora præueniebant patronos laicos, (pro hac vice tantùm) & eam opinionem, propter summam quam Romani Pontifices in beneficiis habent potestatem, tolerasse videtur glos. Pragmat. Sanctionis §. Cæterum. in verbo Eneruantur, in procem. Eámque sequutus magni nominis Senator Corasius in sua Sacerd. Parap. cap. 6. num. 32.. Sed hæc omnia in regno reprobamus, referente Philippo Probo ad dictum §. Cæterum, num. 3. & Rebuf. in prax. benefic. in expositione 3. part. signat. verbo, Nec non iura patronatus num. 36. pendente enim ea quadrimestri dilatione, ius præsentationum est in fructu patronorum laicorum: at de fructibus & iuribus laicorum summum Pontificem disponere, leges regni, & iura coronæ non patiuntur. Et hæc est Molinæi sententia, quæ in Senatu Parisiensi obseruatur. vide infrà numero 60.

EOD.

NVM. XLI.

Hinc eſt etiam quod tam Ordinarij non amplius inquirunt.

HÆC tria in iure deſiderantur in iis qui Sacramenta adminiſtrant, vita, ſcientia & ætas; & imputandum Epiſcopis hanc inquiſitionem omittentibus, cùm hoc præſtare debeant Regia Bleſenſi conſtitutione artic. 10. 12. iubente.

NVM. XLI.

Quibus locus non eſt, poſtquam præſentatio patroni etiam Eccleſiaſtici pulſauit aures Ordinarij.

QVANDO patroni Eccleſiaſtici præſentatio Papæ præuentionem impediat: & an ſit neceſſarium collatoris aures pulſaſſe, aut ei præſentatum fuiſſe, diſtinguenda tempora: & miror Molinæum eo in negotio obmuteſcere. Ante Concordata communis Canoniſtarum ſchola Molinæi opinioni aſſentiebat, ſummúmque Pontificem ante præſentationem collatori oblatam, patronum præuenire poſſe, & præſentationem collatori non denuntiatam aut non notificatam nullius eſſe momenti, nec ius in beneficio tribuere: beneficium eſſe ſine titulo, ideo in Papæ colla-

Quando præſentatio patroni Eccleſiaſtici præuentionem Papæ impedit.

E

tione, ex doctrina glos. Prag. Sanct. in §. Item circa, in verbo, Non valeant. vers. Aliqui. de collat. Ioan. de Selua tractat. de Benefic. in 3. parte quæst. 11. num. 55. & 56. Molinæi in Consilio 58. num. 16. & glos. in Clement. Dudum. in verbo Præsentari. de Sepult. Ren. de Curte in tractat. iuris patronatus. in Rubr. in principio. num. 6. Sed hæc antiqua iurisprudentia noua quadam ratione reformata fuit; cùm enim per Concordata de abroganda Pragmatica Sanctione inter alia ageretur, quæ ius præueniendi Ordinarios collatores post sex menses limitabat, & reducebat secundùm statuta Lateranensis, & Basiliensis Conciliorum, summus Pontifex vt iis Conciliis, licèt generalibus, in aliquo derogaret, & præuentionum iura sedi Apostolicæ reseruaret, per §. Declarantes. de Mandatis Apostolicis in Concordat. præuentionem tantùm sibi reseruauit in collatione beneficiorum vacantium. Præuenire autem quis dicetur re integra, quando in negotio nihil gestum est. L. 1. §. cœpisse. ff. de Pollicitat. Cap. in causis. §. Quia verò. de Elect. cap. Si eo tempore. §. Præsenti. de Elect. in 6. Denegari autem non potest per præsentationem patroni legitimè factam, & de qua legitimè constat negotium esse incœptum, rem non esse integram, ius ad beneficium quæsitum, ideo cessare præuentionem: & hæc obseruari in hoc Senatu probat Rebuf. in d. §. Declarantes, versiculo, Iure præuentionis. in verbo, Vltimò si pa-

tronus. & præter Molinæi opinionem iudicatum mense Martio 1544. congregatis duabus Inquisitionum classibus refert. Quæ omnia procedunt si modò præsentatio ad præsentati notitiam peruenerit, ante Papæ præuentionem: Aliàs nullius erit momenti præsentatio non acceptata, ad similitudinem donationum absenti non acceptanti factarum, quæ acceptationis defectu nullitatis pœnam incurrunt. Ex quibus colligere licet nominationem patrono factam, à nominato acceptatam, ius ad beneficium dare, & Papæ præuentionem impedire: vt puta quando beneficium est in nominatione Titij, & præsentatione Mæuij & collatione Sempronij. Quamprimùm enim patrono facta est nominatio, & est acceptata, tribuit ius ad beneficium etiam ante præsentationem collatori factam. Hæc enim est communis Canonistarum opinio, præsentationem à præsentato non acceptatam nec quidem ius ad beneficium tribuere: & auctorum opiniones refert Gomes. ad Regulam Cancellar. de non tollendo iur. quæsit. quæst. 7. versiculo primo. non haberet locum quando præsentatur, secus si acceptata fuerit: Tunc enim & patroni & præsentati consensus concurrunt, & ius ad beneficium acquiritur, nec ampliùs variare potest patronus, cùm sui respectu res non sit ampliùs integra. Gomes. autem eandem cum Molinæo opinionem sequitur, præsentationem aures collatoris pulsare debere, vt ius ad beneficium quæ-

ratur: aliàs ſimplicem nominationem non præſentationem eſſe. ſed contraria opinio ſeruatur. Sed reſolutio gloſ. Pragmat. Sanct. hanc Papæ derogationem prorſus reiicit, verſicul. Concordat regula Cancellariæ, quæ licèt hoc concedat ex expreſſa Papæ declaratione, & non aliàs; praxis tamen Galliæ hoc abuſiuum declarauit, vt ibi probat additio Probi, & apertè hanc derogationem reiicit Ruz. tractat. iuris Regal. priuil. 25. num. 6. De quatuor menſibus patronis laicis conceſſis ad præſentandum, & à quo tempore incipiant, vide 6. aliàs 263. Rotæ deciſ. titul. de iure patronat. in nou. & diſcrimen inter culpam & negligentiam patroni: negligentia, quando intra quadrimeſtre idoneum non præſentauit: pa, quando incapacem, ex deciſione 5. aliàs 262. in nouis, titul. de iure patronat.

NVM. XLIV.

Non poſſint beneficia regni conferri niſi regnicolis.

Peregrinis beneficia in regno non conferuntur ſine diplomate regio.

INTER lilia Franciæ lex promulgata reperitur, extraneos ſeu alienigenas nec beneficia nec officia obtinere poſſe in regno, niſi ex ſpeciali Regis beneficio, ſeu diplomate in Camera Compotorum comprobato. Extant conſtitutiones Caroli VII. Regis verificatæ in Parlamento tunc Pictaui ſedente 10. Martij 1431. & quæ in

ſtilo Parlamenti ſcriptæ reperiuntur, titul. 32. Caroli VIII. Regis in dicto Parlamento regiſtratæ 1493. art. 88. Ludouici XII. ibidem regiſtratæ 13. Iunij 1499. Henrici II. in dicto Senatu publicatæ 8. Octob. 1554. & Caroli IX. art. 17. Aurelian. conſtit. His omnibus regiis conſtitutionibus peregrini à beneficiis arcentur: & hæc iura inter regni priuilegia, à domino Ruzeo annumerantur, in tract. iur. Regal. priuil. 29. num 7. & à Guimer. in Gloſ. Prag. Sanct. in procemio, in §. Non Eccleſiarum. in verbo, Exterorum. Nec poteſt ſummus Pontifex, quamcunque in beneficiis habeat poteſtatem, de eo peregrinitatis vitio diſpenſare: & à tali diſpenſatione, tanquam ab abuſu poſſet ad ſuprema Franciæ tribunalia appellari. Exiſtimarunt nonnulli hæc procedere in beneficiis curam animarum habentibus, Archiepiſcopatu, Epiſcopatu, Abbatia, parochiali Eccleſia: cùm in regno adminiſtrationem habeant, & quandam in regnicolas iuriſdictionis ſpeciem ex art. 4. Bleſenſ. conſtit. Sed contrarius vſus erroneam hanc opinionem reiicit. Regni namque priuilegium eſt extraneos regnicolarum panem manducare non debere, nec conſtitutiones regiæ diſtinguunt, indiſtinctè loquuntur, fauor regnicolarum. & antiquus iuris Gallici obſeruator, Chaſſan. in Conſuet. Burgund. titulo *Des Confiſcations.* §. 1. in verbo, *qui confiſque le corps*, num. 39. ſpeciali regiæ dignitatis priuilegio in regno ſtatutum exiſtimat, alienigenas benefi-

cia in regno obtinere non posse, sine dispensatione & litteris naturalitatis. Non erit tamen inutilis specialis Blesensis constitutio contra eos, qui dispensationem obtinuerunt ad obtinendas primas Ecclesiæ dignitates. Antiquo iure tolerabantur dispensationes, ea verò lege annullantur, & concessæ reuocantur.

NVM. XLV.

Et sic ius patronatus laïcum est.

Ius patronatus laïcũ ad Ecclesiam perueniens an mutet naturam.

ECCLESIASTICI (qui inter homines manus mortuæ in regno annumerantur) ex Regis priuilegio (admortissamenta Pragmatici vocant) possunt in regno immobilia possidere, feuda, & alias feudales dignitates: & talis priuilegij virtute feuda integrè possident sine vlla diminutione, cum omni iure, vt cæteri regni homines, nec feudorum iura in aliquo in eorum persona diminuuntur. Ideo si iura patronatus à feudis dependeant, naturam & qualitatem primam iuris patronatus laicorum retinent, quæ non confunditur nec mutatur: Ecclesia enim alio iure immobilia possidet, alio ea quæ sunt iuris spiritualis seu Ecclesiastici: causæ sunt distinctæ, media separata, extrema veluti inter se opposita, quæ vnionem & confusionem impediunt: & cùm Ecclesiastico ordini intersit primam hanc iuris patronatus qualitatem retinere, vt libera & absque vlla summi Pontificis præ-

uentione iuris patronatus remaneat dispositio, iniquum esset priuilegia concessa eis esse damnosa. Hæc autem dicta sunt de illo iure patronatus, ratione feudi vel fundi competente, non de illo ratione personæ tantùm: si enim ius illud patronatus merè personale ad Ecclesiam quoquo titulo peruenerit, erit Ecclesiasticum, cùm primum laïci subiectum amiserit, & aliud Ecclesiasticum susceperit. Ita intelligitur §. Verum licet. cap. Si laïcus. de iure patronat. in 6. non verò de patronatu fundo vel feudo inhærenti, vt imperitè nonnulli dixerunt.

EOD. NVM. XLV.
Sine consensu vel præsentatione laïci permutatio expediri.

NVLLO enim modo, nulla cauillatione, nulla exquisita, vel simulata fraude patroni laïci suo præsentationis iure priuari possunt: eis enim datur quadrimestre ad præsentandum, cap. Cum propter, de iure patronatus. Cap. vnico §. Verùm. de iure patronatus. in 6. Hæ sunt legales induciæ, quibus patroni laïci defraudari non debent. Et si nonnulli permutationis prætextu inuitare aut cogere patronos laïcos vellent in admittenda beneficij resignatione, & eorum iura ea subtilitate seu iuris cauillatione eludere, id facere non possent: canonica namque constitutio, quæ collatori in admittenda permuta-

Patroni laïci nullo modo defraudandi.

tione neceſſitatem imponit, in patronos laïcos vires non extendit, ex doctrina Ruzei tract. Regal. priuilegio 44. num. 5. & 6. Immo cùm patronatus iura inter laïcorum bona & facultates annumerentur, iuris regula obſeruari debet, Quod meum eſt, ſine meo facto ad alium transferri non poteſt. Notandum obiter, patronatus iura fundatione, dotatione, ſeu ædificatione acquiri, licèt expreſſè ius retentum & ſtipulatum non fuerit, ex 5. aliàs 255. Rotæ deciſione de iure patronat. in Antiquis.

EOD. NVM. XLV.

Quia in his quæ ſunt de patronatu laïcorum.

IVRA patronatus laïcorum inter bona temporalia computantur, & in his ceſſat ſummi Pontificis poteſtas. Diſtinctæ poteſtates, Regia & Sacerdotalis. Et antiquis temporibus, quibus Epiſcopis in ſua diœceſi in beneficiorum collatione & diſpenſatione omnimoda dabatur auctoritas, denegatum Epiſcopo quid facere in præiudicium iuris patronatus laïcorum, & in eorum præiudicium ordinationes factæ reuocabantur, in can. Decernimus. 16. quæſt. 7. Ideo intra quatuor menſium tempora (quæ ſunt legales induciæ his patronis ad præſentandum conceſſæ) Papa præuenire non poteſt, nec directè nec indirectè laïcorum iura eludere, vt probat Ruz. tract.

tract. Regal. priuil. 31. num. 3. nec patronus laï-cus iure suo priuari. & in ea opinione fuit Glos. Pragm. Sanct. in procemio in §. Cæterùm. in verbo Eneruatur. vers. Sed hodie. Papam patronos laïcos præuenire non posse, nonobstante quacunque derogatione, siue pro ea vice aut aliàs, cùm hæc clausula à Galliæ iudicibus reiiciatur : & eadem Glos. recitat Gregorij noni constitutionem ad Angliæ Prælatos, prohibentem cuiuscunque generalis clausulæ prætextu in mandatis Apostolicis appositæ, beneficia in patronatu laïcorum existentia conferre : & Ioannes de Selua tractat. de Beneficiis, parte 3. quæst. 3. versicul. Tamen in contrarium, negat Legato etiam à latere concessam in his beneficiis præuentionem. Et hæc axiomata in lege domanij ita vera vt decimæ infeodatæ, & quarum ratiotione fides & homagium debentur, ad Ecclesiam quoquo titulo reuersæ primæuam non reassumunt qualitatem, sed vt infeodatæ ab Ecclesia possidentur, ex doctrina nostri Molinæi in §. 46. num. 19. 20. & 21. ad Consuetudinem Parisiensem. Et ita in Senatu Parisiensi bis iudicatum 17. Iulij 1539. pro Abbate d'Orcan, dominis Magistro & Seguier partium aduocatis, domino Capel pro Rege orante, & domino Lizet proto-præside pronuntiante. & postea 18. Maij 1557. inter Antonium de Hericourt & Rectorem de Coyeulx. & ita dominus Lizetus in reformatione Consuetudinis Bitur. tit. de constitutione

prædiali §. Ne statuerat. Ne decipiantur igitur nostri in Boerij opinione ad dictum §. 11. Ruzei in tractatu iuris Regal. priuil. 55. num. 4. Rebuf. lib. de Decimis, quæst. 10. & Renat. Choppini lib. de domanio cap. 23. hi siquidem loquuntur de constitut. diui Ludouici mense Martio lata 1262. quæ locum habet in bonis laïcis concessis post Lateranense Concilium, puta Philippi II. Deodati vocati, temporibus: vt videre licet apud Lucium placitorum lib. 2. tit. 5. arrest. 1. & 2. Quæ diui Ludouici constitutio, decimas ante Lateranense Concilium à laïcis possessas non comprehendit. Sed de decimis Philippi II. temporibus concessis loquitur, de quibus viuente diuo Ludouico magna inter Sedem Apostolicam, Clerum Franciæ, & Regem Regníque subditos controuersia fuerat, vt narrat diui Ludouici constitutio. Et primam iuris patronatus repetendo quæstionem, notandum obiter per se ius patronatus vendi non posse, nisi cum vniuersitate. Cap. Ex litteris. de iure patronat. Cap. De iure. eodem tit. Donari autem posse. Cap. Ex insinuatione de iure patronat. cap. Vnico. de iure patronat. in 6. & ita in Rota iudicatũ in 9. aliàs 404. decis. de iure patronat. in nouis. Et hæc est Molinæi nostri opinio in §. 1. glos. 7. num. 3. & in §. 37. glos. 10. num. 8. & 9. adhibita distinctione, quando ius patronatus per se subsistit, quando venit cum vniuersitate, quando cum fundo vel feudo inhæret, & quando Episcopi consensus desideratur in alie-

natione. Sed in ea iuris patronatus quæstione alia mouetur controuersia, Quando vxori ius patronatus competit, an liceat marito dotalium fructuum vero domino, inuita vxore præsentare: & si vnum maritus, alium vxor præsentauerit, quem collator eligere tenebitur. Existimauit Corasius cap. Sacer. §. penult. num. 15. & 16. ab vxore præsentatum præferendum: & ita in Rota decisum, vt in 10. aliàs 422. decis. tit. de iure patronat. in nouis videre licet: Quod durum, cùm præsentatio sit in fructu: omnes autem fructus marito à lege dantur sine vlla distinctione, & in patria consuetudinaria mulier sit ita in viri sui potestate, vt nihil agere, disponere, contrahere possit inconsulto domino, vt probat Molinæus ad Consuetud. Parisiens. §. 1. Glos. 1. & 2. Sed distinguendum existimo de iure patronatus ratione fundi vel feudi vxoris pertinenti, aut personali ratione sanguinis, puta familiæ competenti. Primo casu præsentatum à marito præferendum existimo, cùm nil prorsus habeat vxor in fructibus fundi dotalis: & ea est Molinæi opinio in §. 1. Glos. 2. num. 3. versicul. Ita quod præfertur præsentatus ad Consuet. Parisiens. Nec ab ea opinione discedere videtur Feroni. in Consuet. Burdeg. lib. 1. §. 1. de statu & iure personarum. vers. Licet Romani iudices. Non idem in secundo casu, cùm ius patronatus vxoris personæ magis adhæreat, inter rerum dotalium fructus non ita propriè annumeretur: & ea est Co-

raſij ratio. In tutore fructus quidem percipiente (quorum rationem reddere tenetur) non ita ſtatuendum. Si enim pupillus maior infante idoneum præſentauerit, & tutor alium, à pupillo præſentatus præfertur: & hæc eſt doctrina Ioannis Aud. in cap. Ex eo. de Elect. lib. 6. & eadem eſt Panormitani ſententia, in cap. finali de Conceſſ. præbend. & iis aſſentitur 6. aliàs 321. Rot. deciſ. de iure patronat. in Antiquis. Sed hanc opinionem oppugnat Nicol. Delphinat. in ſuo tractat. iuris patronat. lib. 2. num. 181. propter imbecillam pupillorum ætatem, cùm pupilli diſcretione careant: Nihilominus contraria præualuit opinio, ſi modò à pupillo præſentatus ſit idoneus, cùm non tam hoc dependeat ex pupilli voluntate quàm ſuperioris ſeu inſtituentis iudicio, nec læſa dicatur Eccleſia cùm idoneus admittitur. & ea fuit opinio Ruz. in 10. priuil. iur. regal. num. 26. & pro marito contra vxorem pronunciat num. 25. verſic. cùm maritus nedum habeat ſimplicem rerum adminiſtrationem.

NVM. XLVIII.

Vt nec Papæ præuentio vel derogatio conualeſcant, ſi patronus poſtea negligens ſit.

An ex negligentia patroni laïci Papa detur præuentio.

PARTICVLARIS hæc eſt Molinæi opinio, vt elapſis quatuor menſibus Papa præuenire

non possit contra comunem. Siquidem potest Papa quæ ordinarij collatores re integra possunt, quoad præuentionem. per §. Declarantes. de Sacerd. Apost. in Concordat. nec vlla ratio militat ordinarium collatorem conferre posse, Papam autem re integra non præuenire posse. Quantum autem ad derogationem, non potest summus Pontifex huius clausulæ prætextu patronos laïcos à sua præsentatione intra legitima quatuor mensium tempora arcere : & ab ea clausula solent patroni laïci appellatione tanquam ab abusu ad summa tribunalia prouocare. Illa enim iura patronatus inter bona temporalia connumerantur, in quibus bonis cessat in Regno summi Pontificis auctoritas. Vno autem casu Molinæi procederet opinio, vt puta si patronus laïcus ita negotium incœpisset, vt res non esset ampliùs integra; eo enim casu post quatuor menses collator ordinarius posset conferre, non summus Pontifex Ordinarium præuenire, cùm res non sit integra ex d. §. Declarantes.

NVM. XLIX.

Non sibi sed Ordinario suo directam.

SOLENT Notarij Apostolici ex communi stilo hanc in resignationibus seu mandatis ad resignandum clausulam apponere, In manibus collatoris ordinarij, aut alterius ad id potesta- *De mandato ad resignandum in manibus Ordinarij.*

tem habentis, quæ vltima clausula comprehendit ordinarios collatores, eorum vicarios, eósque omnes qui admittendæ resignationis potestatem habent. Si igitur summus Pontifex, aut eius Vicecancellarius, virtute huius mandati resignationem admiserit, valet, moribúsque nostris procedit prouisio contra Molinæi opinionem, existimantis eiurantem beneficium in manibus Papæ id agere debere, & Papæ mentionem facere: nec generali Ordinariorum verbo Papam contineri voluit, quem Ordinariorum Ordinarium denegauit.

NVM. L.

Nec confessos, nec pœnitentes absoluunt.

Absolutionis effectus in Papa prouisionibus.

HÆ absolutionis clausulæ, quæ ex stilo communi in prouisionibus Cancellariæ Apostolicæ apponuntur, à delictis supplicantes non absoluunt, sed eos tantùm capaces ad beneficia reddunt: ideo hæc inseritur clausula, ad effectum præsentium tantùm. Licèt autem de quocunque crimine loquantur hæ absolutionis clausulæ, ad grauiora tamen crimina non extenduntur, quæ delinquentem ab ipso beneficio ipso iure reiicerent, vt in hæresi, simonia videre licet. & subreptitia eo casu diceretur prouisio, ob non expressa ea quæ summum Pontificem dissuadere non tantùm potuissent, sed oratorem ad

pœnam & pœnitentiam condemnare. ex cap. ſup. litteris de reſcript. apud Gregor. cap. 1. de Reſcrip. in 6. Hæ autem clauſulæ abſolutionum (& à cenſuris) in prouiſionibus Apoſtolicis appoſitæ admodum vtiles & neceſſariæ ad ſopiendas controuerſias ex incapacitate perſonæ impetrantis procedentes: ſi enim ſit impetrans excõmunicatus à iure, ab homine, ſi incapax propter delictum, ſi ſæuis ſe immiſcuerit, ſi cum excommunicato communicauerit, improbari poterant his de cauſis prouiſiones: nimia iuris ſubtilitate potiùs quàm ratione incapacitatis cauſæ quærebantur, an cap. 1. de Reſcript. in ſext. locum habeat in excommunicato à iure vel ab homine, quod d. cap. Poſtulaſti. de Cleric. excomm. miniſtr. quid de celebrante poſt excommunicationem? vt in cap. Si celebrat. Eod. hæ omnes maculæ ad effectum obtinendi beneficij, per abſolutionum clauſulas delentur. Sed quæ de prouiſione dicta ſunt, ad acceptationem beneficij ante excommunicationem conceſſi non extendenda: cùm acceptatio & poſſeſſionis adeptio, ſpiritualitatis nihil habeant, ſiue meri facti ius non tribuant ex ſe, vt probat 8. aliàs 126. Rot. deciſion. De ſentent. excomm. in Antiqu. Cùm autem executor gratiæ Apoſtolicæ ſit veluti nudus miniſter, eiúſque poteſtas non tam ab eo dependeat quàm à ſuperiore eum committente, poteſt executor etiam excommunicatus conferre capaci excommunicationem ignoranti. & ita in Rota deciſum pro-

bat 9. aliàs 128. decis. De sent. excomm. in Antiqu. & ex stilo communi solent executores in suis collationibus clausulam apponere, Potestate qua fungimur in hac parte. Quod aliis rationibus probat Ludouic. Gomez. ad Regul. de Triennal. possess. quæst. 28. versic. Tamen prædictis non obstantibus. Non idem in collatore ordinario ad præsentationem patroni conferente: suo enim iure proprio, non aliena potestate confert, non vt procurator, sed vt dominus agit. Nihilominus tamen titulum dabit coloratum & habilem ad quærendam triennalem possessionem, vt ipsemet Gomezius idem loco prædicto tradit, versic. tamen quoad effectum huius regulæ.

EOD. NVM. L.

Non potest fieri præsentatio nisi apud suum Ordinarium.

An summus Pontifex ad præsentationem patroni possit conferre.

CONTRARIVM seruatur siue in Normannia, siue in aliis Regni partibus, in quibus summus Pontifex ad præsentationem patronorum laïcorũ potest resignationes admittere, & vacantia conferre beneficia. Nec est quòd patroni laïci conquerantur, cùm ab eis præsentatis sit liberum ordinarios adire collatores, aut summum Pontificem. Nec etiam est quòd conquerantur collatores ordinarij, eorum enim ordinaria & à iure probata auctoritate vtitur summus Pontifex, quæ vt procedant, patroni suis præsentationis litteris supplicare debent

collatores ordinarios, aut eos quibus à iure conferendi data est potestas.

NVM. LI.

Et expresso consensu & destinatione fundatorum.

AVT lex homologationi apposita est contra naturam actus, priuatam homologantis vtilitatem seu commoditatem spectans, contra iura patronorum, & eo casu reiicitur clausula, remanente in cæteris homologatione: aut nil contra iuris rationem continet, immo secundùm canonicas sanctiones seu ritum Ecclesiæ, & seruatur. Quæ enim Episcopis à sanctis Patribus præbendarum seu homologandarum fundationum data est potestas, & auctoritas; eo constitutum fuit vt attentè considerarent, si quid contra sanctiones Ecclesiæ, constituta Patrum, & legem Ecclesiasticam, priuata vtilitate neglecta ordinatum & factum esset, can. Nemo. can. Siquis basilicam. De consecrat. dist. 1. Doctor. in cap. Ad audientiam. De Eccles. ædific. *De clausula in fundationum homologatione apposita.*

NVM. LII.

Etiamsi durante suo quadrimestri ratum habeat.

IN beneficiorum collationibus initium spectamus: quod autem ab initio ipso iure nul- *Prouisio beneficij nulla an tempore conualescat.*

lum fuit, vt in speciali hypothesi animaduertere licet, non conualescit ex actu superuenienti, sed noua desideratur prouisio. non idem si prouisio ipso iure nulla non sit, sed alio conquerente venit annullanda; puta si graduatus, aut patronus conquerantur, intra legitima & à iure præscripta tempora. cap. Illud. in fine. de iure patro. in verbo Est institutio irritanda. Ergo ipso iure non est nulla, vide glos. Prag. Sanct. in §. Quòd si quis. in verbo Irritum. de collationib. De Selua tract. de benef. 3. parte quæst. 48. glos. in §. Si quis verò. in verbo Ipso iure. De collat. in Concord.

NVM. LIII.

Infra tempus quo præsentare potest.

Quatuor menses ad præsentandum concessi quando incipiunt.

NAM post quadrimestre cessat omnis in patrono laïco præsentandi potestas, & ad collatorem ordinarium plena collatio deuoluitur. Hæ autem quatuor mensium induciæ patronis laïcis ad præsentandum concessæ, non à die vacationis beneficij, sed probabilis notitiæ computantur. Ex capite, Quia diuersitatem. in fine. de concess. præbend. Cap. Licet. de supplend. neglig. Prælatorum. glos. in cap. 2. in verbo Infra sex menses. de concess. præbend. & notat Molin. inf. num. 59. tempus ad præsentandum patronis concessum esse vtile, & ignoranti non currere. Alias rationes videre

poteris apud Molinæum ad Consuet. Parisiens. §. 37. glos. 10. num. 20. vide inf. quæ ad regul. de public. num. 149. notauimus, & suprà num. 41.

NVM. LIV.

Etiamsi vltra triennium pacificè possederit.

NAM in beneficialibus titulus coloratus non est, à quo tanquam ab abusu potest appellari: cùm in tali nullitate seu abusu nulla bonæ fidei species, nullus coloratus titulus sit: quæ contra ius fiunt irrita sunt, nec prodest acquirenti iuris ignorantia, nulla triennalis præscriptio titulum confirmat. Legitimus enim harum caussarum defensor est Procurator Generalis, qui non tantùm triennalem, sed lege maiorem præscriptionem in his quæ sunt sui muneris & officij negligit, vt in hypothesi Decanatus de Chastelgenoux videre licet inf. num. 59.

Vbi ab abusu appellari potest, ibi cessat triennalis præscriptio.

NVM. LVIII.

Tanquam ab abusu appellauit à concessione seu executione Bullarum.

TIMEANT ij qui contra fundationum clausulas beneficia possident, qui officia claustralia monasteriorum in commendam sæcula-

Obseruandæ fundationum leges.

rem obtinent : ab eorum enim prouiſionibus poteſt tanquam ab abuſu appellari. Ceſſat decretum de pacif. poſſeſſoribus, vbi legis eſt prohibitio, quæ perpetuam inducit malam fidem. & quòd hæ fundationum leges & clauſulæ ad vnguem debeant obſeruari, tenet 1. aliàs 3. Rotæ deciſ. de præbend. in nouis. verſiculo Quam concluſionem, & quibus Papa derogare non intendit, immo nec poteſt in præiudicium iurium laïcorum.

NVM. LIX.

Et ſic permutatio nullo modo valuit, & conſequenter Decanatus ille per obitum vacauit.

Quando permutationis prætextu patronorum laïcorum iura eluduntur.

NONNVLLI enim cùm patronorum laïcorum conſenſum obtinere non poſſent, permutationis prætextu, beneficij in patronatu laïcorum exiſtentis prouiſionem conſequebantur, ſiue ab ordinario collatore, ſiue in Cancellaria Apoſtolica, neglecto Patrono : & harum prouiſionum virtute per triennium poſſidebant, & iis artibus patroni laïci ſuis fraudabantur iuribus. quod iniquum viſum fuit Molinæo. Nil enim patronis imputari, nulláque negligentia notari poterant, cùm viuo reſignante præſentare non poſſent : ideo patrono non valenti præſentare non currit triennalis præſcriptio, &

poterit per obitum resignantis, nonobstante decreto de pacificis possessoribus, vacanti beneficio præsentare. Resignans enim in beneficij iure & titulo remansit, cùm nulla fuerit, immo abusiua resignatio: Aliàs patroni laïci fraudulenter iure suo priuarentur. Notanda obiter verba Molinæi num. 57. vers. & ferè quinque annis pacificè possedit, viuo resignante ibidem conuersante.

NVM. LX.

De clausula derogante iuri patronatus laïcorum.

SVBTILIS Molinæi opinio, & tamen vera. Prouisio enim Papæ de patronatus laïcorum beneficio intra quadrimestre facta, cum clausula derogationis iuris patronatus laïcorum, nulla est: siue conquerantur patroni vel ab eis præsentati, siue non: nulla quidem ex defectu potestatis, cùm summus Pontifex circa temporalia spirituale gladium non exerceat in hoc regno. Ius autem patronatus laïcorum inter temporalia annumeratur: ideo à tali derogatione solet tanquam ab abusu appellari. Modicum fermenti totam prouisionem seu massam corrumpit. Cessante verò tali derogatione, valida esset prouisio, patrono aut ab eo præsentato non conquerentibus, nec tertij cuius nil interest appellatio audiretur, vt dicemus inf. num. 68. vide sup. num. 41. Et si ius aliquod laïco sit concessum, non potest Papa ei derogare siue directè siue indirectè, nec ei præiudicare. Ex Ruzeo, in fin. 31. priuilegij. Tract. iur. Regal. & priuileg. 9. num. 2.

G iij

Papa non confert beneficia quæ ſunt iuris patronatus laïcorum. Et ſi ſummi Pontificis auctoritas locum non habeat in beneficiis quæ ſunt patronatus mixti laïcorum & Eccleſiaſticorum, ceſſant Apoſtolica mandata, vt multorum auctoritatibus probat Philip. Prob. 12. quæſt. iur. Regal. Gloſ. Pragmat. Sanct. in §. Item quoad dictas. in verb. Eccleſiaſtico. verſ. In contrarium. De collat. & ib. Prob. num. 1. Rebuff. tract. nominat. quæſt. 15. num. 6. & in cap. 1. in fin. in verbo, Eccleſiaſticus. De iur. Patron. in ſext. Eo enim caſu Eccleſiaſticus gaudet laïci priuilegio. Et è contra propter communionem. Ideo reſignationem à Papa admiſsã laïcus annullat. Ratio Pragm. Sanct. eſt, quòd non debet laïcus priuari iure ſuo propter mixturam clerici, *ce Patronage mixte eſt en ſoy indiuidu*, quælibet pars patronorum tota in toto. Quanto magis in puro patronatu laïcorum? Moribus igitur noſtris non priuatur, 46. aliàs 269. Rot. Deciſ. tit. de conceſſ. præbend. Immo ſenatuſconſulto Pariſienſi nulla pronuntiata fuit Papæ prouiſio parochialis Eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani ciuitatis Pariſienſis in præſentatione Academiæ Pariſienſ. cùm ipſa Academia corpus eſſet mixtum Eccleſiaſticorum & laïcorum. Conſule Rebuff. in tract. Nominat. quæſt. 15. & noſtræ opinioni ſubſcribit tacitè gloſ. Pragmat. Sanct. in procem. §. Cæterùm. in verb. Eneruantur. Quòd ſi Papa derogauerit iuri patronatus, hodie de hac derogatione

parum curatur, vt sunt verba glos. Sed Philipp. Prob. ad hanc glos. nu. 3. nullam hanc derogationem apud nos Galliæ iudices eam non admittere probat. & hæc in Senatu ad vnguem obseruantur. Secus de præuētione Ordinarij, quæ propriè non est præuentio, sed collatio ordinaria. Prouisio Papæ in hoc speciali casu funditus nulla & abusiua ex defectu potestatis: quia circa temporalia cessat Papæ potestas, vt dictum fuit sup. Ius autem patronatus laïcorum inter temporalia annumeratur, venit in diuisionem & portionem hæreditatis: ideo triennalis possessio hanc Papæ prouisionem non confirmare posset, propter nullitatem tituli: Et solent nostri ab ea prouisione tanquam ab abusu appellare ad suprema tribunalia: vbi abusus, ibi nullitas: vbi nullitas, ibi desinit esse coloratus titulus. Non idem in collatore ordinario statuendum propter affinitatem & sympathiam, quæ est inter patronum & instituentem. Collatio, subiectum: præsentatio, accidens: præsentatio species seruitutis: collator, saltem Episcopus, in tota diœcesi iure communi fundatus, & cùm de facili res ad primam naturam redeat, & quòd nil potest collator intra quadrimestre, id fauore patroni constitutum fuit, quo non conquerente, aut ab eo ritè præsentato, cessat causa prohibitionis. Consideranda tamen collationis Ordinarij forma & causa, si enim pleno iure beneficium conferre posse dixerit, si iure ad eum post quadrimestre deuoluto, non ip-

ſo iure nulla, ſed annullanda conquerente patrono laïco erit collatio. Non negligenda verba §. Licet. in cap. Illud. De iure patronat. attendenda ſecundùm rigorem iuris:eſt inſtitutio facta ſpreto patrono irritanda. Ex æquitate igitur patrono non conquerente non eſt irritanda ea inſtitutio, & de facili à tali iuris rigore fauore collatoris ordinarij etiam domini diſcedere licet. & hæc eſt Molinæi ſententia. Sed quid ſi Papæ prouiſio eandem cauſam contineat; puta ſit per obitum vel iure deuoluto, vel per reſignationem, nulla iuris patronatus laïcorum, nec præuentionis mentione facta, nec etiam clauſulam derogationis (pro hac vice) quæ ſunt veræ nullitatis cauſæ, contineant. & exiſtimo patrono non conquerente validam prouiſionem, non abuſiuam: eóque caſu Papam Ordinariorum Ordinarium, eodem quo ordinarij collatores fauore amplectendum, poſſe quæ poſſunt alij collatores: non enim eo caſu liceret tanquam ab abuſu prouocare.

NVM. LXI.

Sed ex primæua ſua & ordinaria virtute.

An capitulum ſede vacante poſſit parochiales conferre Eccleſias.

LICET ex Iuris communi diſpoſitione collationes & permutationes quæ in fructu eſſe dicuntur ex gloſ. in cap. Cùm olim. de maio-

rit.

rit. & obed. futuro reseruentur successori, & Capitulum sede vacante parochiales Ecclesias nec alia beneficia possit conferre. cap. Illa ne sede vacante. Immo speciali iure sit statutum, in parochialibus Ecclesiis propter damnosam earum longam vacationem Episcopos ad sex menses posse eas commendare. Cap. Nemo deinceps. de elect. in 6. Nihilominus noua quadam iurisprudentia rationibus per Molinæum adductis vallata, existimarunt nonnulli Episcopos, qui ad præsentationem Abbatum parochiales conferunt Ecclesias, posse sede Abbatiali vacante pleno iure conferre. Parochialium enim Ecclesiarum collatio & institutio primæuo & vero iure muneris est Episcopalis, ex can. Aurelianensi. Omnes Basilicæ. 16. quæst. 7. & res de facili ad suam veram & primæuam naturam redeat. Præsentatio species seruitutis, hoc casu vniri cum collatione potest. Præsentationum subiectum, est collatio: publica regni vtilitas id postulat vt ignoto Romæ non conferatur beneficium. Adde præsentationem ab Episcopis Abbatibus olim concessam, in fauorem & gratiam Abbatum factam, id est si conquerantur Abbates. Et certè si alio iure receptum sit, collationem spreto patrono factam, validam patrono non conquerente, ex glos. Prag. Sanct. in §. Quòd siquis. in verbo Irritum. de collationibus. quid obstabit in nostra hypothesi, collationes pleno iure factas procedere, cùm in rei veri-

tate patronus neglectus non fuerit, qui collationis tempore non erat in humanis. & referunt nostri quæstionem Parisiensi decreto decisam in 2. classe Inquisitionum, relatore domino le Clerc, mense Augusti 1586. præside Ameloto, pro quadam parochiali Ecclesia sita in diœcesi Meldensi. Et si vacantes Ecclesiæ futuro reseruarentur successori, non de facili à iuris dispositione esset recedendum, sed per obitum illicò in Cancellaria Apostolica obtinentur, & patroni & collatores priuantur.

NVM. LXII.

Aut ergo Episcopis.

NVM. LXIII.

Et sic reprobo distinctionem Panorm.

IGITVR collatio facta spreto patrono laïco, est in pendenti, donec patronus eam approbet vel reiiciat. Si enim ex postfacto consentiat, collationis effectus retrotrahitur: si dissentiat, reiicitur & annullatur collatio. Si autem sileat per quatuor menses patronus, valida erit collatio, & similem habebit retroactum effectum (vt loquuntur nostri) quod notandum in patrono Ecclesiastico ad impediendas Papæ præuentiones. res enim non est ampliùs integra; ius plenè quæsi-

tum à die collationis. Et hæc est Molinæi opinio in hæc verba Etiamsi sit patronus Ecclesiasticus. Aliam adfert rationem num. 64. Ordinarius iure suo primæuo vsus fuit, quod quidem tunc liberum non habebat, sed elapso tempore, aut consentiente patrono seruitutis obstaculum remotum fuit. Præsentationem autem seu ius patronatus seruitutem appellat. & notanda alia Molinæi verba eodem num. Quod procedit, siue patronus sit laïcus, siue Ecclesiasticus.

NVM. LXV.

Quia vtroque casu non confert iure deuoluto, sed proprio & primæuo.

PER antiqua Concilia erat deuolutio de instituente ad superiorem: vt ex Concilio Lateranensi & Basiliensi videre licet; & in Cap. Quòd siquis cuiuscunque. De collat. in Pragmat. sit tantùm mentio de collatione, non de præsentatione, nec præsentatio prouisio dici potest, & secundùm antiqua illa iura loquitur Molinæus. Sed nouo iure fit etiam deuolutio de patrono ad instituentem, non quòd textum in iure de eo habeamus, sed glos. quam Doctores singularem existimant in Clement. 1. in verbo Dispositionem. de supplenda neglig. Prælatorum. & quæ probatur per aliam glosam Procul sunt. in §.

An per negligentiam præsentationis vt collationis fiat deuolutio ad superiorem.

Quod si quis. in verbo Proximum. de Collationib.

NVM. LXVI.

Atqui si potest simpliciter iure ordinario conferre ante dicta tempora.

EX stilo ordinario & communi vsu, collatores, elapsis præsentationum induciis, solent iure ad eos deuoluto conferre pleno iure, ex Concilio Lateranensi. & quia collationis causæ ad amussim sunt considerandæ, existimarunt nonnulli aliter factam collationem, id est iure ordinario, non iure deuoluto, nec patronatus facta mentione, nullam ex defectu potestatis. Errorem refutat Molinæus, & ius primæuum collatori ordinario ex iuris communis dispositione concessum considerandum. Collationem quidem ea forma factam ab initio non nullam, sed in pendenti fuisse sub patroni consensus, dissensus, aut negligentiæ futura expectatione: at elapsis præsentationis induciis, seu accedente patroni consensu, vires assumere, & per actum retroactum vim à die datæ assumere: causa enim quæ impedimentum præstabat cessat. Quæ patroni fauore à Concilio Lateranensi introducta fuerunt, non sunt in consideratione.

NVM. LXVII.

Secus in vera deuolutione.

MAIOR ergo Episcoporum potestas in beneficiorum dispensatione, quàm Archiepiscoporum. Episcopi in sua diœcesi duplici iure vtuntur, & ordinario, & deuoluto ordinario, ex can. Si ex laïcis. can. Siquidem. can. Decretum. can. Quæcunque. 10. & quæst. 1. at Archiepiscopi iure tantùm deuoluto. Inter vtrumque autem hæc est differentia, Episcopi si intra 4. aut 6. mensium tempora conferant, non ipso iure annullatur eorum prouisio, sed tantùm patronis conquerentibus, & ideo tempore conualescit. At Archiepiscoporum collationes iure deuoluto factæ intra 6. mensium dilationes, nullæ sunt ipso iure ex defectu potestatis, cùm tantùm elapsis legalibus induciis per Concilium Lateranense, Basiliense, & per Concordata, iure deuoluto possint conferre. Non est autem maior defectus quàm potestatis: Non vult, qui non potest. Ideo nulla collatio Archiepiscopi facta ante deuolutionis tempora, nec tempore conualescit, nec dat coloratum titulum, quod pauci animaduertunt.

Maior Episcoporum in sua diœcesi potestas, quàm Archiepiscoporum, in beneficiorum collatione.



NVM. LXVII.

Tunc ergo necesse est non modò deuolutum.

Cur in Archiepiscoporum collationibus hac clausula solet apponi: Quæ ad nos iure deuoluto &c.

ANTIQVIS canonibus, & sanctorum Patrum decretis prohibitum erat Episcopis & Archiepiscopis extra suam diœcesim quid agere, & limitatam in diœcesi propria habebant potestatem. can. Si quis ausu. can. Clericus. can. de aliena Ecclesia. 7. distinct. Incongruum ergo esset Archiepiscopo extra diœcesim propriam quid facere, nisi causa expressa, quæ in hac hypothesi in deuolutionis iure tantùm consistit: Ideo hæc clausula apponi debet vt necessaria & essentialis (Quæ ad nos iure deuoluto pertinet) vel quid simile: & si omitteretur, collationum iura confunderentur, & temporis lapsu Archiepiscopi in suffraganeorum diœcesibus beneficia pleno iure conferre possent. Igitur ex necessitate clausula in prouisione Archiepiscopi (Quæ ad nos iure deuoluto) apponenda est, & politia Ecclesiastica id postulat, vt Archiepiscopi in suffraganeos nil vsurpent, vt vnicuique iura seruentur.



EOD. NVM. LXVII.

Ita in beneficialibus nullam potestatem habet.

DVOBVS in casibus Archiepiscopi in suffraganeos, sua Archiepiscopali dignitate & auctoritate vtuntur; in iurisdictione, & deuolutione. Suffraganeorum appellationes recipiunt Archiepiscopi. tit. de friuol. Appellat. in Concordat. Beneficia ad se deuoluta conferunt. cap. Licet. de suppl. neglig. Prælat. & hæc moribus nostris ad vnguem obseruantur. Vide glos. in cap. Pastoralis. in verbo Inuitum. de offic. ordin. glos. in cap. Sicut vniri. in verbo Attentare. De excessibus Prælat. quæ Archiepiscoporum in suffraganeos potestatem limitant. Sed antiquis sanctorum Patrum constitutionibus in nullis aliis negotiis extendebatur hæc Archiepiscoporum potestas in suffraganeos: siquidem suffraganeorum consecratio Archiepiscopo attributa erat tam ex Nicæna synodo, quàm ex Arelatensi Concilio, & postea in Concilio Laodiceno canon. 12. Concilio Carthaginensi II. Visitationum iura cuilibet Archiepiscopo in tota sua prouincia Antiochenum Concilium concessit. Ius conuocandi suffraganeos ex qualibet iusta causa habebant Archiepiscopi, ex Concilio Agatensi canon. 38. & Con- *Quæ potestas Archiepiscoporum in Episcopos.*

cil. Aurelian. II. Sed hæc omnia Archiepiscoporum incuria sepulta fuère, & suffraganeis multa cum omni libertate concessa fuere, ac si nullum haberent superiorem. Ideo Procurator generalis publicæ disciplinæ vindex tantam Archiepiscoporum negligentiam supplere desiderans, in messem alienam falcem mittere inuitus compellitur, cùm sua intersit ea obseruari quæ ob publicam Ecclesiæ disciplinam, bonum publicum, commoditatem & vtilitatem subditorum regni, à sanctis Patribus tanta cum deuotione & ratione sanctissimè instituta fuerunt.

EOD. NVM. LXVII.

Quemadmodum enim in iurisdictionalibus nullam potestatem habet Archiepiscopus.

MVLTI in foro Ecclesiastico ea non obseruant, sed lucri causa vel litigantium vtilitati inseruientes, aut alio prætextu solent friuolæ appellationis intuitu, principalem instantiam partibus consentientibus euocando, super principali ius dicere: sed id facere nō posse ex defectu potestatis docet Molinæus. Priuatorum voluntate iurisdictionis potestas non conceditur. Sententiæ verò nullitas ex iudicantium potestate elicitur. Et ita contra Remensis Archiepiscopatus Officialem pronunciauit cap. Roman. de foro compet. in 6.

NVM.

NVM. LXVIII.

Nec est simile de præuentione Papæ vel Legati, pendente dicto tempore facta, quo prorsus nulla est.

VT à numero 60. ad numerum 68. quid certi colligere possis & regulam paucis statuere: Dic Papæ prouisionem de beneficio in iure patronatus laïci existente factam intra tempora quatuor mensium, cum derogatione iuris patronatus, licèt cum clausula (pro hac vice) aut alia clausula derogatoria, nullam, abusiuam & contra iura, & libertates Ecclesiæ Gallicanæ, in temporalibus Papæ potestatem limitantis: collationem Archiepiscopi de beneficiis in suffraganeorum diœcesibus situatis factam intra tempora deuolutionis, nullam, siue sint beneficia in patronatu Ecclesiastico aut laïcorum: idem si collatio clausulam non contineat (Cuius collatio ad nos iure deuoluto) aut quid simile: has collationes nec coloratum titulum tribuere: collatorum verò collationes intra præsentationis legitimas inducias factas, esse in pendenti, donec patroni laïci, vel Ecclesiastici eas vel probarint expressè, vel tacitè: puta si intra quadrimestre siluerint, non præsentauerint patronis, officio functi non fuerint, de collatoris prouisione non conquesti: & ita esse in pendenti, vt

I

conquerente patrono inualidæ fiant, nulliúsque momenti: non conquerente, firmæ & validæ maneant à die datæ, cùm actum retroactum habeant. eóque speciali casu non inquirendum de forma collationis, siue enim collatio facta sit iure ordinario, siue iure deuoluto, validam, non conquerente patrono, dicendam esse indicat Molinæus.

NVM. LXXII.

Quia etiam collatio pendens impedit præuentionem.

Absenti facta collatio ante acceptationem an Papæ præuentionem impediat.

APPOSITE Molinæus præuentionis verbo vsus est; collatio enim facta absenti ante acceptationem ius tantùm tribuit ad beneficium, non in beneficio, & res desinit esse integra, vt dictum fuit sup. Sed cùm ius tantùm det ad beneficium hæc collatio, an post triennium posset acceptari, & non posse probat Rebuff. cons. 186. Per regulam enim de pacificis possessor. trium annorum spatium datur tantùm ad acceptandum beneficium, cùm eo tempore beneficij titulus præscribatur, fortiori ratione ius tantùm ad rem, quod minus est, ex glos. in Cap. Si tibi absenti. in verbo Terminum. de præbend. in 6.

An absenti facta collatio post triennium possit acceptari.



NVM. LXXIII.

Eásque nullas & subreptitias (mentione non facta) reddit.

SEQVITVR Molinæus communem Doctorum, & Canonistarum opinionem, Papam, ante collationem, & antequam ius in beneficio quæsitum sit, præuenire posse ordinarios collatores: cùm ante acceptationem ius datur non in beneficio, sed ad beneficium: ius fit in spe & ex incerta acceptatione vel repudiatione dependente; ideo dispositio cap. 1. Si tibi absenti. de Præbend. in 6. non in summo Pontifice, sed in Ordinario & Legato tantùm procedit. Contrariam opinionem veriorem & moribus nostris probabiliorem existimo, siquidem per §. Declarantes. de Mandat. Apost. in Concord. summus Pontifex de iure suo multum remittens in prouisionibus beneficiorum per obitum vacantium, præuentionem tantùm sibi reseruauit. At dictum fuit suprà, præuentionis iura procedere re integra, non incepto negotio; ius ad beneficium impedire præuentionem Papæ, vt in patronorum præsentatione (quæ ad beneficium ius tantùm tribuit) videre licet. Rem integram dici non posse in beneficiorum prouisionibus, cùm ius ad beneficium quæsitum sit: immo verò cùm beneficium absenti collatum postea acceptatur, ius retrotra- *An ius ad beneficium impediat Papæ præuentionem.*

hitur à die prouisionis, si modò ratihabitio legitimo tempore facta sit; ad instar donationum inter viuos, quæ acceptatæ intra quadrimestre vimà die contractus accipiunt, & hypothecas medio tempore contractas eludunt. Ideo rectiùs Molinæus, si hæc verba (mentione non facta) non dixisset; licèt enim mentio facta fuerit, vel non fuerit, cessat præuentio: cùm Ordinarius suo functus fuerit officio, & ritè contulerit. Et ita sentit Molinæus inf. num. 82. per rationem cap. Si absenti. de Præbend. in 6. versiculo Etenim nihilominus interim præuentiones Papæ.

NVM. LXXIV.

Si igitur præsentatio solius patroni dictam præuentionem impedit.

Præsentatio patroni impedit preuentionem Papa.

QVIA ius ad beneficium tribuit, inceptum est collationis negotium, res non est ampliùs integra. quæ omnia præuentionem impediunt, vt pleniùs sup. dictum fuit.

NVM. LXXV. IN FINE.

Sed ad superiorem Episcopi immediatum.

De speciali consuetudine in canonicorum receptione.

ID est ad Archiepiscopum: fit enim deuolutio ad superiorem. Quod autem hîc Moli-

næus de collatione præbendarum & canonicorum receptione disputat, pendet ex laudabili seu potiùs immemoriali consuetudine in qualibet Ecclesia obseruata, quæ pro lege obseruari debet, nec vlla tanquam ab abusu appellatione violari aut eludi potest. & hæc probarunt senatusconsulta quæ hîc recitantur à Molinæo. Hæc enim immemorialis consuetudo præsumptionem iuris & de iure inducit. Ita antiquitus conuentum in partitione bonorum Ecclesiæ inter Episcopum & Capitulum: & adhuc hodie præbendarum æqualis partitio est inter Episcopum & Capitulum in Ecclesia Rupenensi.

EOD. NVM. LXXV.

Scis enim collationem canonicatuum & præbendarum cathedralis Ecclesiæ spectare de iure communi ad Episcopum, eiusdémque Ecclesiæ Capitulum

CANONVM auctoritate probat Molinæus de iure communi præbendarum collationem ad Episcopum & Capitulum Ecclesiæ cathedralis ex æquis partibus spectare: aliorum verò beneficiorum ad Episcopum cum consilio Capituli: quod magna ratione institutum fuit, vt ab vno solo, nec vnius voluntate, penderent ij quorum consilio regitur & gubernatur Ecclesia: non

enim cathedralis Ecclesiæ canonici ad Episcopum tantùm, sed etiam ad Ecclesiam seu diœcesim oculos habere debent. Ideo & ab Episcopo & à Capitulo alternatim instituuntur, & adhuc hodie in Ecclesia Gallicana obseruatur, vt in nominandis diœceseon procuratoribus seu deputatis canonici cathedralis Ecclesiæ primas partes obtineant. & quòd ex Lateranensi Concilio deuolutio de Episcopo fit ad Capitulum, & de Capitulo ad Episcopum. cap. Nulla. §. Si autem. de concess. præbend. Id eo casu institutum cùm Episcopus quid sine Capituli consilio, & è conuerso Capitulum sine Episcopo fecit. Cùm Episcopus æqualis esse debeat suo Capitulo, vt cum omni libertate canonici vota sua emittant, & cum eadem libertate Episcopi canonicorum sperent consilium. Dixerunt nonnulli non esse Episcopum supra Capitulum, sicut nec Papa supra Concilium: Ecclesia multorum, non vnius congregatio. (Vbi congregati fueritis duo vel tres in nomine meo &c.) quæ Conciliis generalibus Constantiensi & Basiliensi decisa fuerunt. Sed hodie deuolutio fit ad superiorem, & ex communi vsu nunquam deuolutio fit de Episcopo ad Capitulum, & penes Episcopos gladius spiritualis remanet. Hæc autem præbendarum collatio pendet ex qualibet Ecclesiæ consuetudine, vt suprà notauimus.

NVM. LXXVII.

Adiecta hora in litteris collationis suæ.

IASON in l. 1. ff. Solut. matrimon. refert suis temporibus Romæ agitatam quæstionem, inter duos idem beneficium contendentes, qui eodem die vnus ab Ordinario cum adiectione horæ, alius à summo Pontifice absque horæ adiectione prouisionem obtinuerant: existimantes nonnulli à Papa conferentis omnimodam potestatem habente prouisionis validitatem petendam, ex cap. Si à Sede Apostolica. de Præb. in 6. Contrarium sentientes alteri ex dicti cap. dispositione in hæc verba (si non appareat de prioritate temporis) adiectionem verius & certius ius in beneficio tribuere, ex glos. in L. Si pluribus. §. finali. ff. soluto matrim. ibi enim ex adiectione horæ temporis prioritas probatur. & hæc vltima opinio iure nostro præualuit, pro qua non negligenda verba §. Lucius, in L. Titius. ff. De liber. & posthum. (Ordinaret testamentum in ciuitate hora diei sexta coalescente cælo) vt tempus partus à tempore testamenti distingueretur, & de eorum prioritate constare posset: & Galli veritatis amatores, quod certum est elegerunt, incertum reiicientes. Sed quid si nulla sit horæ aut alterius temporis adiectio, incertúmque sit cui prima gratia facta fuerit, an con-

De hora adiectione in prouisionibus beneficiorum.

currentia seu paritas dictæ prouisionis nullitatem inducat, & nullam prouisionem iudicarunt Senatus Parisiensis, & Prætorianum Consilium, ex doctrina glos. Prag. Sanct. in §. Ita tamen. in verbo Nominatorum eiusdem anni. versiculo. Quòd si Papa vel Ordinarius eodem die. de collat. mutuo enim concursu hæ prouisiones se impediunt, vt probat Philippus Probus in adit. sua ad dictam glos. num 3. impossibile & de iure & de facto, vno eodémque temporis momento, idem beneficium ex eodem vacationis genere, duobus conferre: beneficiorum collationes ex sui natura hanc partitionem & sectionem admittunt, sed ius indiuiduum vni tantùm acquirunt. Sed quid in concurrentia datæ prouisionum summi Pontificis, & ordinarij collatoris sine horæ adiectione? an summi Pontificis potestas, & in beneficiorum prouisionibus omnimoda auctoritas consideranda sit? & præualere Ordinarij collationem iudicarunt nostri ex §. Declarantes. de Mandat. Apostol. in Concord. habet enim Papa solam præuentionem, quæ hoc casu speciali cessare dicitur propter incertitudinem temporis: nec quis in hac hypothesi dixerit Papam præuenisse Ordinarium qui eodem tempore contulit. Quid si sint duo eiusdem Ordinarij vicarij, qui eadem die sine horæ adiectione beneficium contulerunt, & nullas prouisiones existimo, sed denuo conferre poterunt. Animaduertant igitur ordinarij collatores in suis
pro-

prouisionibus horam adiicere, nec negligant consilium Ioan. de Selua tract. de Benef. part. 3. quæst. 15. num. 4. & Rebuf. in d. §. Declarantes. de Mandat. Apost. Sed non ita in eorum verbis iurent, vt à doctrina d. glos. Prag. Sanct. discedant. Seruatur enim in hoc regno, vt probat Ruzeus tract. iuris regal. priuil. 46.

NVM. LXXIX.

Nec derogat veteri consuetudini dictæ Ecclesiæ.

QVÆ sint solennitates obseruandæ in præbendarum collatione, hoc pendet ex antiqua & laudabili cuiusque Ecclesiæ consuetudine, si modò ius commune, antiquorum Patrum decreta, generalia Concilia non repugnant: aliàs ad summa tribunalia Franciæ foret prouocandum abusus nomine. *Quæ consuetudo in præbendarum collatione.*

NVM. LXXX.

Sed resolubiliter respectu ipsius Capituli & formæ consuetæ.

EX his quæ suprà notauimus hæc elicientur. Quæ contra iuris dispositionem ex speciali priuilegio conceduntur, licèt adiecta nullitatis clausula, aut ex immemoriali consuetudine admittuntur, vel statuto tolerantur, nullitatem actus non admittendam, nisi eo conquerente, in *Quando nullitas à statuto fauore alicuius statuitur, aut à lege, & quæ differentia.*

cuius gratiam priuilegium, consuetudo, vel statutum introducta sunt, alio verò reclamante actum ipso iure remanere. Hæc enim nullitatis clausula restringenda ad personas in priuilegio denominatas, vt videre licet in nominatorum, graduatorum, patronorum, & indultariorum personis, vt probat Glos. Prag. Sanct. in §. Quòd siquis. in verbo Irritum. de collat. Non idem si nullitatis pœna sit à lege introducta, tunc enim (nisi certæ personæ contemplatione sit constitutum) nullus est actus, nec vllum producit effectum, nec ex eo quid elici potest, L. non dubium. C. de legibus, & statutis. l. 2. C. de sent. ex breu. recit. Notat Alexand. Consil. 24. lib. 4. Et hanc communem opinionem probat Tiraquellus in legibus connubialibus, in verbo *Ne peut.* quicquid in contrarium dicat Boerius in Consuet. Bitur. tit. *des Mariages & Doüaires*. §. 1. in verbo Sed quid si maritus. quæ omnia exemplis & ratione probat Molinæus num. 81. 82. & 83.

NVM. LXXXIII.

Et idem extra terminos iuris communis vt in terminis huius regulæ statim valet collatio.

ENVMERANTVR casus à Molinæo, in quibus collationes beneficiorum validæ quidem sunt, sed resolutionis causam continent.

Sunt sub conditione resolubili in collatione facta absenti, valet collatio si sit acceptata, ante acceptationem est in pendenti. valet sub conditione resolubili in Regula de infir. Idem dicendum in collatione facta alteri quàm graduato in mensibus eis affectis, valet quidem collatio, sed sub simili conditione, conquerente vel non conquerente graduato, in collatione facta spreto patrono, spectandum enim an patronus conqueratur, vt supr. notauimus. Idem in resignatione in fauorem certæ personæ facta, pendet enim ex acceptatione vel resignatarij declaratione. Huius quæstionis decisio pendet ex glos. Prag. Sanct. in §. Quòd siquis. in verbo Irritum. de collat. quam Ioannes de Selua laudat & extollit in tract. de benefic. parte 3. quæst. 48. Et eandem opinionem sequitur Rebuff. in glos. Concord. in §. Si quis verò. in verbo Ipso iure. de collat.

NVM. LXXXIII.

Et tamen interim præuentiones impedit, quia mero iure tenet, & beneficium replet, licèt resolubiliter.

CONFIRMANTVR hîc quæ numero præcedenti dicta sunt, collationes sub conditione resolubili factas, ita validas vt ab initio stent, ius plenum, sub ea tamen resolubili con-

ditione tribuant; ideo si facta sit collatio graduato nominato die 2. Ianuarij valebit, & si intra sex menses vacationis antiquior sese offerat nominatus, collatio ei facta vera & legitima erit, & primam destruet, nullam reddet, & resoluetur prima illa collatio per antiquioris graduati, licèt posterioris requisitionem: & ita vera sunt valuisse ab initio primam collationem, vt si intra duarum collationum datam Papa per obitum contulerit, & graduatum secundum præuenire voluerit, nulla præuentio iudicabitur; cùm re ampliùs non integra Papa præuenerit, cùm ius per primam collationem quæsitum fuerit: & ea est sententia Molinæi.

NVM. LXXXIV.

Non enim potest admittere resignationes in fauorem.

Resignationes in fauorem solus Papa admittit.

SVMMO Pontifici, & ab eo spiritualem potestatem habenti concessum, resignationes in fauorem certæ personæ admittere, ordinariis autem collatoribus prohibitum. Siquidem hæ resignationes speciem habent simoniæ, propter conditionem ex se illicitam, & hæc simonia sola Papæ auctoritate & potentia toleratur. Hæ resignationes conditionales dicuntur. Sub ea conditione enim fiunt, vt resignatarius acceptet & ratum habeat, aliàs nulla resignatio, & plenum ius penes resignantem remanet, seu reuer-

titur etiam sine noua collatione & ministerio Ordinarij. Nec enim aliter aliàs, nec alio modo resignatum fuit. Vide infrà num 101. Vide etiam de huiusmodi in fauorem resignationibus, & earum prohibitione sup. num. 9. in fine, iure communi prohibita odiosa & simoniaca, & num. 111. reprobatæ illicitè simoniacæ.

NVM. LXXXVI.

Sed in hoc regno iamdudum pro lege recepta est.

RECEPTA quidem vt lex est regula Cancellariæ Apostolicæ, cui ad libitum summus Pontifex, eius Cancellarius, & Datarius ex stylo derogare possunt, & solent : si modò extra Curiam Romanam vacatio beneficij aduenerit, siue si beneficium Romæ vacauerit, aut in patria obedientiæ in 8. mensibus Papæ reseruatis, tunc ei denegatur derogatio, & vacat beneficium per obitum. Nec ad litteram Molinæi verba accipias, non enim hæc regula pro lege in regno admittitur, sicut regula de publicandis, nec etiam probata in registris summorum Franciæ tribunalium : immo adeo frequens & communis est derogationum stylus, vt huius regulæ effectus penitus eludatur & ad nihilum reducatur, & satius fuisset ordinariis collatoribus hanc regulam Romæ nunquam fuisse promulgatam.

De derogatione ad regulam de 20. diebus.

NVM. LXXXVII.

Si igitur Ordinarius reſignationem quantumuis infirmi admiſerit.

Ceſſat regula de infirmis in Ordinario.

PERPERAM dicta ſunt de ordinariis collatoribus quæ hîc ſtatuuntur, cùm reg. de infirm. in eis locum non habeat, nec per obitum conferre poſſint, quod per reſignationem probarunt & admiſerunt: nec etiam poteſt ſummus Pontifex poſt hanc reſignationis admiſſionem beneficium per obitum conferre, nec ius in beneficio plenè quæſitum tertio auferre, ſi ſemel huic regulæ derogauerit, ſecus ſi non derogauerit, vacaret enim beneficium per obitum.

NVM. LXXXIX.

Aduerte quia multi etiamnum errant, tametſi pulchre ſibi videantur philoſophari.

Ceſſat regula de infirmis in Ordinario.

HÆc ratio hodie inutilis, cùm regula de infir. locum non habeat in Ordinario: nec refert an ex cauſa permutationis, vel ſimplicis reſignationis admittatur collatio, cùm nullo caſu in eo procedat regula. at ſi ea repeterentur

tempora, in quibus locum regula habebat, in Ordinario procederet hæc ratio; cùm non propria voluntate, sed iure permutationis Ordinarius inuitus beneficium contulerit. Vide supr. num. 22.

NVM. XC.

Quia in resignatione ex causa permutationis resignatarius aliquid accipit à resignante.

ANTIQVITVS tamen qui iure permutationis beneficia obtinebant, partim à collatore, partim à resignante ius habebant, & permutationem donationem dicebant. Sed negotiò accuratiùs inspecto Molinæi præualuit opinio, suísque temporibus statutum, compermutantes non impleta permutatione ad sua redire beneficia etiam sine noua collatione, vt dicemus infrà. & in iure canonico permutatio collatori necessitatem imponit, & inuitus eum admittere (si iuris non sit impedimentum) tenetur, quæ omnia donationi & liberalitati repugnant: & in huius necessitatis consequentiam postea iudicatum, Episcopum permutationem beneficiorum admittere posse, spreto patrono Ecclesiastico, inf. num. 111. in addit. referente Ruzeo tractat. Regal. priuileg. 44. num. 4. Si enim ex legis rigore compellendus collator, cur pa-

Permutatio spreto patrono Ecclesiastico, ab Ordinario admitti potest.

tronus deprecandus qui maiori non gaudet priuilegio? Vera igitur auctoris sententia, compermutantes ab ipsa permutatione totum ius percipere, nil verò ex liberalitate collatoris. Et iudicatum in Senatu Parisiensi, iudices qui à prælatis permutationis causa beneficia obtinuerunt, Blesensi non comprehendi edicto, nec à Prælatorum causis abstinere debere.

NVM. XC.

Secus in resignatione mera & absoluta, quia in ista collatarius non dicitur resignatarius, sed simplex collatarius: nihil enim prorsus accipit à resignante, sed totum à collatore & mero eius delectu & arbitrio.

In simplici resignatione quid iuris habet resignatarius à resignante.

QVI enim purè & simpliciter in manibus ordinariorum collatorum resignant, successorem non quærunt, nec quem suo beneficio gratificare desiderant: ideo talis resignatio pura & simplex, nulla conditione adiecta, nec vllius personæ consideratione facta, dicitur: plena & libera resignati beneficij dispositio remanet penes ordinarium collatorem, ad quem eiurati beneficij gratificatio, & pura donatio pertinet. & quicquid iuris ij resignatarij

rij habent, ex mera collatoris liberalitate obtinent, nil autem à resignante: nec in hac simplici resignatione ad resignatum beneficium datur regressus. Et quæ pro infirmis resignantibus gratiosè tolerata sunt, vt eiuratum repetita valetudine repeterent beneficium, in hac resignatione simplici locum non habent: vt puta fauorabile Henrici II. Regis decretum pro parochiali Ecclesia sanctorum Innocentium, Parisiense senatusconsultum pro domino Bouchetel Canonico Bituricensi: licèt pro canonicatu Ecclesiæ Claromontensis ab infirmo purè in manibus Ordinarij eiurato, postea de consensu Capituli, vno tantùm reclamante, statu primæuo & ordine repetitis, causa in 5. Inquisitionum classe, postea in prima ad æqualia vota deuenisset, domino Hennequin referente cùm de prætorum optione antiquiori Canonico debita ageretur. Sed alia quæstio in hac pura & simplici resignatione moueri potest. Ex communi vsu, & tolerata consuetudine, & ab ipsis collatoribus ordinariis comprobata, resignantes qui ita purè resignant eodem momento idoneam personam collatori nominant, in cuius gratiam in effectu eiurant beneficium, si collator alteri conferat, quid dicendum? Clamant resignantes hoc extraordinarium, speciem perfidiæ, ex dispositione iuris in Cap. Super hoc. de Renuntiat. non verisimile quem pingue beneficium quo sustentari debet, magnis laboribus & sumptibus comparatum, sine causa

An in resignatione simplici regressus dari possit?

De Ordinario resignationem admittente, & alteri quàm ei nominato conferente.

resignasse : non verisimile incognito collatori nec benemerenti donare voluisse : resignationis causam inquirendam : resignationem quidem simplicem, sed ex communi vsu collatores à resignantibus oblatos (si modò sunt idonei) eligere & gratificare. Aliàs quis ita prodigus, aut in hac ferrea ætate imbecillis, parúmque de se sentiens, qui ita suum eiuraret aut potiùs perderet beneficium, non merenti daret. Quid si patruus nepotem suo gratificare velit beneficio, si amicus amicum, cur collator in necem resignantis tanta gaudere poterit liberalitate? Receptum est in iure, collatores eos obligare liberalitate summa quibus beneficia conferunt, conferre donare est, nunquid licitè hoc facient sumptibus resignantium, & contra eorum intentionem? Sed aliud ex curialitate, aliud ex dispositione iuris lites decidere: pendet ex libera collatorum voluntate, à resignantibus oblatos & nominatos gratificare, hos aliis præferre : sed nulla constitutione nullóque iure ad id peragendum adstringi & compelli possunt. quædam ex curialitate petuntur, quæ nullo iure debentur: imputandum resignantium facilitati, qui Ordinariorum fidei se ita liberè & faciliter submiserunt. Laudantur quidem collatores qui idoneis à resignantibus nominatis conferunt, minori laude digni apud bonos & graues cùm aliis conferunt, & ita resignantes miserè decipiunt, suísque facultatibus spoliant.

NVM. XCIII.

Probare vellet resignationem nullam esse de iure communi.

ENVMERANTVR casus, quibus beneficij collatio est ipso iure nulla: si à furioso, si metu, si per simoniam, per falsum procuratorem, vicarium legitimè reuocatum, quod & auctoritate & ratione probat Molinæus. vide glos. in §. Siquis verò. in verbo Ipso iure nullæ. de collat. in Concordat. glos. Prag. Sanct. tit. de Pacif. possess. in verbo Coloratum. vbi appositè distinguitur titulus coloratus à titulo nullo. Vera autem nullitas ea est, quæ ex defectu potestatis conferentis prouenit, ex glosa d. Prag. Sanct. ibidem, ibique nullitatis causæ exprimuntur. Obiter notandum ex iis vacationum generibus Ordinarios posse conferre, vacant enim ipso iure beneficia, vt hîc probat Molinæus in fine. vide inf. num. 385. in fine. *Quæ nulla ipso iure dicatur prouisio.*

NVM. XCV.

Non ignoro quosdam quos refert Gomesius quæst. 17.

DISPOSITIO cap. 2. de Renuntiat. in 6. nulla ratione ad regulam de infirmis resignantibus, referri potest. nec de 20. die loquitur, sed de resignatione dolo malo extorta, & *De resignatione facta in necem expectantium.*

fraudulenter in necem expectantium, ad eludendam ſpem vacationis beneficij: & propriè hæc conſtitutio adaptari ſolet ad permutationes, & reſignationes, quæ ab infirmis graui morbo laborantibus, in ipſo mortis articulo extorquentur, aut alio negotiationis genere obtineri ſolent, in menſibus Ianuarij, Iulij, Octobris, & Aprilis graduatis affectis, aut in fraudem aliorum expectantium. Quæ autem in hoc particulari negotio ſit Molinæi ſententia, vide inf. num. 110. & 111.

NVM. XCV.

Quæ non eſt iuris priuati, ſed iuris publici.

IDEO ſolet Procurator Generalis reiecta ſpeciali vtilitate, ordinariorum collatorum cauſas amplecti: cùm ordinariorum collatorum iura in regno inter Eccleſiæ Gallicanæ libertates annumerentur, ſunt iuris publici, in iis priuatorum pactiones admittuntur, & ſi à ſummo Pontifice probatæ eſſent vel homologatæ per concordata priuatorum, tanquam ab abuſu prouocare liceret.

NVM. XCVIII.

Quæ ambitioſæ, ſunt odioſæ & reſtringendæ.

NON omnino Molinæi opinioni ſubſcribendum, præuentiones ſiquidem in colla-

tiuis beneficiis Papæ per Concordatorum iura conceduntur, in §. Declarantes. de mandat. Apost. in Concord. à quo iure discedere non licet: sed quia contractuum seu Concordatorum verba non extendenda, sed in propria significatione accipienda, præuentiones Papæ non extendendæ sunt, sed tantùm re integra tolerandæ, vt inf. dicemus num. 171. & 217.

NVM. C.

De non admittendis resignationibus.

DE Concordatorum, pactionum, aliarúmque conuentionum validitate beneficiorum reseruationem continentium non quærendum, cùm tam per Basiliense Concilium, Pragmaticam Sanctionem, quàm Concordata reseruationes sunt sublatæ, ob publicam Ecclesiæ vtilitatem, toto titul. de reseruat. sublatis. & solent à talium conuentionum homologatione tanquam ab abusu nostri ad summa tribunalia Franciæ prouocare. Hæ beneficiorum reseruationes liberam ordinariis collatoribus conferendi potestatem auferunt, ordinariorum iura diminuunt, graduatorum, aliorúmque expectantium spem minuunt: & si aliquo tempore toleratæ essent in regno, omnia beneficia his reseruationibus afficerentur & contaminarentur. Idem dicendum de omnibus gratiis quæ ad certa beneficia vacatura conceduntur, siue directæ

fiue indirectæ, propter votum captandæ mortis, ex Molinæo inf. num. 294.

NVM. CI.

Sunt enim huiusmodi resignationes (etiamsi non sit aliud vitium quàm certæ personæ fauor) iure communi reprobatæ vt illicitæ & simoniacæ.

An resignatio in fauorem admittatur in regalia.

DICTVM suprà num. 84. resignationes in fauorem ad ordinarios collatores non pertinere, sed ad summum Pontificem, eóque iure vtimur. Sed in Regaliorum iure quæsitum fuit an Christianissimi Francorum Reges has resignationes in fauorem admittere possent. Dicebant nonnulli, Reges nostros in ius & locum Episcoporum succedere sede Episcopali vacante, ideo quæ Ordinariis vetita erant, Regi etiam prohiberi. Quod summo Pontifici ob omnimodam in spiritualibus potestatem speciali quodam iure concessum fuerat, omnibus aliis denegari. Has in fauorem collationes speciem simoniæ habentes iure communi reprobari: simoniam sola Papæ auctoritate & potestate purgari eo in negotio. & ea fuit domini Ruzei sententia in tract. Regal. priuileg. 32. licèt Ioannes Probus contrariam opinionem sentire videatur in principio quæst. 34.

tract. Regal. Cùm hæc quæstio in publicis causarum actionibus in Senatu Parisiensi tractaretur anno 1601. dicente domino Seruin Regio patrono, prouisio Regis in fauorem facta legitima à Senatu pronuntiata fuit. Rex enim noster Christianissimus iure suo regio, seu iure coronæ, Regaliorum iura habet, nullum superiorem agnoscit, summus, solus, & supremus est in suis collationibus, solíque Deo optimo maximo, à quo regnum, regiámque coronam obtinet, de iis rationem reddere debet: summorum Pontificum constitutionibus nullo modo obligatur, & quam in suis beneficiorum prouisionibus legem apponere desiderat potest, & valent hæ in Regalia prouisiones in fauorem, valent permutationes, pensiones creare potest, & alia exercere quæ summus & supremus superiorem non habens facere potest. & ideo cessant in Regalia deuolutionum iura, & reiicienda erronea Probi opinio ad glos. Prag. Sanct. in §. Statuit, in verbo Fiant. num. 1. de Electionibus, deuolutionem in Regalia admittentis duobus in casibus, propter negligentiam, & propter delictum. Quantum ad negligentiam absurdum. Regalia enim ad triginta annorum spatia extenditur, nec in ea locum habet regula de pacificis, & deuolutiones quæ in beneficia per Concil. Lateran. & Basiliens. institutæ sunt, in regalia procedere non possunt: nec enim ea iura Regaliorum iis generalibus Conciliis subiiciuntur. Nec minùs absurdum propter delictum,

An in Regalia deuolutio locum habeat.

nec enim iuris liliorum axiomata hoc patiuntur. vide inf. num. 416. immo siquis à summo Pontifice prouisionem canonicatus & præbendæ in regalia vacantis obtineret, Procurator Generalis tanquam ab abusu ad Senatum appellaret.

NVM CI.

Vt eam nec Legatus quidem à latere facere possit.

LEGATORVM potestas pendet in regno ex homologatione seu verificatione facultatum in curia Parlamenti Parisiensis: nihil aliud possunt Legati, maximè in iis quæ à iure communi prohibentur, vt in resignationibus in fauorem videre licet, cap. Cum pridem. Cap. vlt. de Pact. Cap. ex parte. de Offic. delegat. cap. Dilecto. de præbend. Et si quid vltrà fecerit, ex defectu potestatis annullatur: immo solent nostri appellationis tanquam ab abusu remedium quærere. Vide Molinæum inf. num. 184. 185. & 186. versiculo Quoties autem legatus.

NVM. CII.

Et è singulis collationibus nomine sigilli sex aureos exigere.

Quid pro sigillo accipiendum.

RECITAT Lucius placit. lib. 1. tit. 4. Arrest. 7. solenni senatusconsulto decretum 17. Ianuarij 1548. Episcopos alióſque collatores aureum

reum solarem pro sigillo accipere posse, ne quid amplius: quod postea Blesensi constitutione confirmatum fuit, artic. 12. Sed hodie quibusdam in locis quod pro sigillo accipitur, simonia dici potest, & tanta est quorundam Ordinariorum auaritia, vt conductionis nomine plus offerenti sigilli reditus publicè licitentur.

NVM. CIII.

Sed etiam manifestè fraudare Ordinarium iure suo libere prouisionis iamiam imminentis.

HÆc omnia planè inutilia, cùm de stylo communi soleat in prouisionibus Cancellariæ Apostolicæ huic regulæ derogari, moribúsque nostris talis probatur derogatio: & locum tantùm habet regula in collationibus illustrissimorum Cardinalium, in quorum præiudicium cessat derogatio per compactum in consistorio factum. Hodie illustrissimi Cardinales à Sede Apostolica indultum obtinent, & Galli à Rege patentes literas, earúmque in Prætoriano Consilio verificationem supplicant: & si post verificationem derogatum sit regulæ de infir. solent tanquam ab abusu ad Prætorianos iudices appellare.

Derogatio ad regulam de 20. diebus ordinaria.

De indultis Cardinalium.

NVM. CIII.

Quod rarò fieri contingit in Curia Romana.

Etiam resignationes beneficiorum purè admittuntur in Curia, & mandata purè ad resignandum Romæ mittuntur. Vide Molinæum inf. num. 165. versiculo Siue per simplicem, quod rarissimum est. Nummulariorum probitas & fidelitas id permittit, aliàs periculosum purè & simpliciter in manibus Papæ eiurare beneficia. multi namque famelici Romæ inueniuntur, qui resignata arriperent beneficia: sed cùm hæ admittuntur resignationes, solent Nummularij ex speciali eiurantium mandato resignatarium nominare. Aliàs nouum & ridiculum existimarent nonnulli, ignoto Romæque planè incognito, seu filio terræ, vt aiunt, conferri beneficium, & quodammodo impossibile veluti prophetico spiritu resignatarium diem & horam resignationis præuidere, & eiuratum supplicare beneficium.

NVM. CIV.

Et etiam in laïcis, quando in fundatione & reseruatione iuris.

ET hoc extraordinarium. Cessat enim Papæ præuentio in beneficiis, quæ sunt iuris patronatus laïcorum, vt alibi notauimus.

NVM. CV.

Vt ipse registra eiusdem Curiæ adij, vidi, & indicem ad verbum transcripsi.

NON vt hæc regula sit in Senatu approbata vt lex Regni, vt sunt regul. de public. resignat. de verisimili notitia, de idiomat. aliàs omnis cessaret derogatio: nunquam enim Papa iis legibus & constitutionibus potest derogare, quæ in tribunalibus Franciæ registratæ & probatæ sunt, nec talem nodum soluere & vinculum dissoluere potest, & Regis & Regni læderetur auctoritas. Vide inf. num. 107. 108.

Cuius sit auctoritatis in regno regula de infir. resig.

NVM. CV.

Item quòd si quis in infirmitate constitutus resignauerit beneficium, vbicumque, etiam si in Romana Curia.

Ex verbis huius regulæ iudicabant antiquitus ante arrestum pro parochiali Ecclesia de la Boissiere latum, Regulam de infirmis locum habere in Ordinario propter verba regulæ (vbicumque etiam si in Romana Curia) sed cùm in regulæ refor-

matione hæc verba omiſſa fuerint, & alia inſcripta, meritò ab illa iuriſprudentia receſſum, & nouo iure ſtatutum regulam in Ordinario locum non habere, eóque iure vtimur, vt ſuprà dictum fuit num. 22.

NVM. CVII.

Per arreſtum eiuſdem Senatus anno 1422. ſtatutum fuit ne tali interdicto.

NOTENT Ordinarij duplici remedio contra vſurpationes quæ contra Eccleſiæ Gallicanæ libertates & iura à Cancellariæ Apoſtolicæ miniſtris fiunt, mederi; per patentes litteras in Parlamento Pariſienſi probatas, & per appellationem tanquam ab abuſu, & hoc in Regno antiquitus fuiſſe obſeruatum. Nil mutat Reges noſtros Chriſtianiſſimos, ſummáque eorum tribunalia contra Papæ auctoritatem nil ſtatuere poſſe, cùm par in parem nullum habeat imperium. Antiquis namque regni legibus, politia Eccleſiaſtica quæ regni partem conſtituit, regni ſubditos, eorúmque viuendi modum concernit, animos diſponit, & voluntates præparat, à regia pendet auctoritate, Regni legibus ſubiicitur, vt in prooemio Prag. Sanct. legimus, & ex Molinæo inf. num. 128. verſiculo Ad quem in ſuo regno. Ideo Caroli Magni conſtitutiones de rebus ſeu politia Eccleſiaſtica, ſancti Ludouici

Prag. Sanctio, Caroli V. Edictum pro conseruatione libertatis Gallicanæ Ecclesiæ, Ludouici XII. Francisci I. Henrici II. Caroli IX. Henrici III. de rebus Ecclesiasticis & Sacerdotum prouisionibus constitutiones editæ, in summis Franciæ tribunalibus verificatæ. Hæc in regno vtilia & necessaria: vtilia, vt inter regni subditos, regni legibus sacræ disceptationes decidantur: extranei regnicolarum panem non manducent, ad Ecclesiasticas dignitates non vocentur, Prælati, primum regni ordinem constituentes, ad peregrinas leges non vocentur, nec alliciantur, ne aliquantulum immutato illo primo ordine (qui ex aliis duobus componitur) totius regni status in aliquo læderetur. Necessaria ad regni defensionem contra vetitas & damnatas vsurpationes, vexationes, exactiones & excōmunicationes, quæ regni statum immutare, subditorum conscientias timorosas, & debiles opprimere possent. Sed hæc extraordinaria remedia nobis hodie sub Paulo V. summo Pontifice inutilia: pater communis pacis amator, quem ad longos annos Deus conseruet.

NVM. CX.

Graduati autem & nominati nihil expectent per resignationem simplicem.

VIDE quæ diximus inf. ad reg. de publ. n. 330. graduati enim & alij nominati vacationem

tantùm per obitum, per Concordata in §. Volumus. de collat. respiciunt. Ideo si per incapacitatem, si ob delictum inducatur beneficij vacatio, graduatorum iura excedit.

NVM. CXI.

Ideo in graduatis & nominatis, quibus proinde facilius est fieri fraus.

De fraudulenta permutatione, & cur variè iudicatum.

PLVRIES in Senatu agitata fuit quæstio de permutatione cum moriente facta, de pingui beneficio, cum alio tenui vel nullius valoris, spreto patrono Ecclesiastico, cùm tres aut quatuor fraudis præsumptiones considerari poterant, vt diximus supr. num. 39. & variè iudicatum. Vt autem senatusconsulta concilientur, distinguenda permutationis tempora, si in mense libero, nec nominatis, graduatis, aut aliis expectantibus affecto: aut in alio mense in quo graduati, & alij expectantes sua iura exercent, Ianuario, Iulio, Aprili, Octobri. In mense libero, si viuentibus compermutantibus, omni ex parte adimpleta & perfecta sit permutatio, validam etiam in necem & præiudicium patroni Ecclesiastici iudicauit Senatus Parisiensis pro parochiali Ecclesia de Cohors, vt notauimus suprà n. 39. etiam conquerente dicto patrono. Virtus enim permutationis hæc est, vt etiam spreto patrono Eccle-

siastico ab Episcopo admitti debeat, ex doctrina Ruzei priuil. Regal. 44. num. 4. contra Rebuf. opinionem in Praxi benef. tit. de permut. num. 21. immo inuito & repugnante collatore, qui tantùm potest permutationis causam intra legitima tempora diligenter & ad amussim inquirere: admissa autem hoc casu permutatione decipiuntur, & decipiunt ij qui existimant post permutationem perfectam fraudis inquirendas præsumptiones. & hoc iudicauit Senatus pro dicta parochiali Ecclesia de Cohors. Ibíque probatæ erant omnes præsumptiones fraudis, resignatio facta nepoti ab auunculo moriente, de pingui beneficio cum capellania nullius reditus, vno eodémque die & momento mandata ad permutandum facta, & permutatio admissa, eodem die adepta possessio. Nec quæritur an quid fraude factum sit, sed tantùm an permutatio perfecta fuit vtroque compermutantium viuente: nec consideratur quid post actum perfectum euenerit, an mors subsecuta, aut quid simile. Nec alia ratio arresti petenda, nec huic opinioni subscriberem, si decretum rationes dubitandi, & partium media & conclusiones non contineret, cùm doli probatio actus perfectionem impediat, & post actum perfectum possit allegari & probari. In aliis verò mensibus permutationes factæ in necem, & præiudicium expectantium seu graduatorum, qui ius habent ad vacatura beneficia, fraudis præsumptiones inquiruntur, ex cap. 2. *De permutatione facta in necem expectantium.*

de Renunt. in 6. Si enim permutationes fraudulenter factæ eo casu admitterentur, facillimè graduati & alij expectantes suo iure priuarentur, & aliquo accepto Episcopi collatores & patroni resignationes & permutationes admitterent, & vlla vix vacarent per obitum beneficia: fraudis inirent consilia patroni & collatores, inauditos expectantes deciperent. Sed nónne eadem causa limitat pro patronis Ecclesiasticis, cùm permutationis simulatæ prætextu Episcopi resignationes admittunt, patronósque iure præsentationis priuant. an licitum inauditum patronum ita decipere, & graduatum in iure suo conseruare. qua lege quis iure suo malis iis artibus priuare licet? Sed quia rebus iudicatis standum, sufficiat hæc de permutatione dixisse.

De resignatione facta in necem expectantium.

Quid autem de resignatione pura & simplici? Aut ab ordinario collatore admittitur in mense libero, spreto patrono Ecclesiastico, & nulla est, patrono conquerente, vt dictum fuit suprà. Aut pleno iure confert Ordinarius, & valet resignatio licèt illico mors secuta fuerit. Sibi imputet Ordinarius, qui voluntariè admisit & liberè contulit suo munere functus, nec fraude resignationem admissam dicere potest, propriam allegaret turpitudinem. At si in mense non libero, quia in necem expectantium, fraudis præsumptiones diligenter ab expectante conquerente inquirendæ sunt, per ea quæ dicta sunt; & facilius Ordinariis expectantium iura, per harum re-

signa-

signationum admissionem eludere, quàm per permutationes. Quæ autem de expectantibus dicta sunt seu graduatis, procedunt si modò conquerantur: hæc enim in eorum commodum tantùm introducta sunt, cap. 2. de Renunt. in 6. glos. Prag. Sanct. in §. Quod siquis. in verbo Irritum. de collat. Ioan. de Selua tract. de benefic. parte 3. quæst. 48. l. penult. cod. de Legat. leg. 2. §. Si duo. de collat. bono. & hæc est Molinæi opinio inf. num. 120. versiculo Sed non ad commodum alterius. Fraudis autem præsumptiones ex variis causarum figuris & circumstantiis à bono iudice ex æquitate iudicabuntur. nec ferendum vt qui fraude subtiliori decipiunt optata obtineant beneficia, & in fraudis probatione quanto maior cautela, tanto euidentior fraus ex Molinæi sententia in §. 13. Conf. Parisienf. glos. 5. num. 52. An autem capacitas nepotis resignatarij fraudis minuat præsumptionem, vide infrà num. 124. Diximus suprà num. 39. non tantùm Episcopis concessum permutationes beneficiorum admittere, sed & ordinariis collatoribus. Adde verba Molinæi num. 41. quo etiam veteri disciplina sensim eneruata per inferiores collatores expenduntur. Diximus etiam contra Rebuf. opinionem ex Ruzei sententia, spreto patrono Ecclesiastico admitti posse permutationem, cui opinioni subscribit Molinæus dicto num. 41. in hæc verba, Contemptis & irrequisitis & patronis Ecclesiasticis & diœcesanis. & hoc iudicauit decretum

Senatus Parisiensis in causa dictæ parochialis Ecclesiæ de Cohors, vt dictum fuit sup. num. 39. Hanc Molinæi opinionem approbat Christophorus de Rufign. in commentar. Pont. lib. 3. cap. 32. in principio.

NVM. CXX.

Sed post viginti dies superuiuere, quo casu cessat hæc regula: sed stantibus iis coniecturis succedit dispositio iuris communis, qua in fraudem factum iudicatur.

Quando infirmi resignantes post 20. dies decedunt.

ODIO decipientium hæc à Molinæo statuuntur, & totius mensis spatium datur graduatis, vt in eo vacantia beneficia eis subiiciantur: & fraude semel admissam resignationem eo viginti dierum spatio non præscribi: cui sententiæ subscribere non possum. Siquidem 20. dierum spatium in hac regula ita statuitur, vt in infirmitate constituti post 20. diem ab omni fraudis præsumptione liberentur & absoluantur. Quis scit an adiiciant hodiernæ crastina vitæ tempora dij superi: & hoc in prouisionibus regiorum munerum seu officiorum animaduertere licet. Quòd si certum tempus non statueretur, & hoc iudicantium daretur arbitrio,

omnia essent in incerto, & de 20. die ad 30. & de 30. ad 40. diem fieret progressus, postea in infinitum, & tandem medici, non iudices, hæc tempora deciderent.

NVM. CXXII.

Facit argumentum collusionis.

APPOSITE Molinæus inter fraudis præsumptiones beneficij repudiationem annumerat, cùm regulariter naturali affectione ad bonum & commoditates nostras inuitemur, & sit extraordinarium & contra communem viuendi modum propria commoda reiicere. Sed hæc præsumptio fraudis seu collusionis probatio non est: nonnulli siquidem etiam probitate vitæ, magníque nominis beneficia Ecclesiastica acceptare recusant, existimantes onus beneficio impositum commoditatem excedere: id etiam ex qualitate beneficij euenire potest.

NVM. CXXIV.

Honesti ratio præpollet, vt si auunculus senex ægrotans permutat dignitatem cum tenui nepotis doctoris beneficio.

Inter fraudis præsumptiones sanguinis affectio non computatur.

SANGVINIS affectio in idonea persona quæ sua virtute mereri potest, fraudis præsumptio-

nem non inducit in resignatione beneficiorum à moriente facta, & in his fraudis præsumptionibus pactiones illicitas & beneficiorum nundinationes reiicere voluit Molinæus, non nepotes parentum liberalitate priuare, nec inimica sacris canonibus hæc sanguis affectio, immo duplici vinculo parentes obligantur, & capacitatis & sanguinis, & hæc iusta existimo. Sed si hæc obtineant totum fraudis negotium in iis resignationibus à moriente factis in necem expectantium, erit in iudicantium arbitrio, cùm de resignatarij capacitate agatur. Quæ enim capacitas si de simplici beneficio moueatur quæstio, sola tonsura sufficit: si de Parochiali Ecclesia, Sacerdotalis ordo tantùm requiritur: nunquid expectantium læsa erit conditio, si per nepotum capacitatem à fraudis præsumptione & probatione arceantur expectantes? Quæ pactiones inter auunculum & nepotem beneficiorum solum hæredem desiderari possunt. Quid graduatis refert in mensibus eis affectis iure suo eludi per capacitatem aut incapacitatem resignatariorum? nunquid ex Concordatorum lege graduatis sufficit gradum & qualitatem habere? nunquid omni iure prohibita beneficiorum successio? Vndique angustiæ, nec mirum si in iis argutiis & ambiguis quæstionibus quæ sunt de apicibus iuris, aliquando variatum sit in Senatu, & persona locum fecerit beneficio. Melius tamen nepotes virtutum & beneficiorum successores admittere, quàm eos

ab iis arcere resignationibus. Sed sufficiat expectantibus iure suo vti in beneficiis verè per obitum, non per has resignationes vacantibus. Pro graduatis militat publica vtilitas; pro nepotibus sanguinis affectio, & familiarum conseruatio, quæ publicæ vtilitati proximè accedit.

NVM. CXXVI.

Prædicta intelligo, si nepos ille est administraturus.

HÆC limitatio in aurea & florenti Ecclesiæ ætate admitti posset, sed hodie capacitas resignatarij ex qualitate beneficij iudicatur. Pluralitas verò beneficiorum non attendenda, cùm per adeptionem secundi beneficij incompatibilis primum vacare dicatur, si ab ordinario collatore collatum sit beneficium: si autem à summo Pontifice, aut expressa sunt in prouisione beneficia, nec obest pluralitas; aut non expressa, & nulla prouisio.

NVM. CXXVII.

An huic regulæ derogare possit, & cuius effectus sit dispensatio.

DICTVM fuit sup. num. 22. huius regulæ effectum nullius esse momenti, ordinariorum collatorum respectu, propter deroga- *Papa regula de 20. diebus ex stylo derogare solet.*

tiones, quæ ex ſtylo communi Cancellariæ Apo ſtolicæ reſignationibus apponuntur, & quæ moribus noſtris probantur, tam in Senatu quàm in foro Eccleſiaſtico, vt teſtatur Probus in Gloſ. Prag. Sanct. in §. Neque etiam. in verbo ſatiendo num. 5. verſiculo Quid licet Papa huic regulæ. de collat. & miſeri ordinatij collatores regnicolæ ſuo iure fraudantur, Eccleſiæ Gallicanæ ignorantes priuilegia, & rationes à Molinæo adiunctas, quæ veluti mortuæ ſepeliuntur, feliciora tempora expectantes; & certè durum hanc regulam bono Eccleſiæ inſtitutam, ordinariorum collatorum commodo introductam, à tanto ſummorum Pontificum numero, tanta cum ratione & cauſæ cognitione laudatam, auctam, correctam, confirmatam, decies in Conſiſtorio & Cancellaria Apoſtolica publicatam, ita eludere, eiúſque effectum per has conſuetas & ordinarias derogationes ſupprimere. Illuſtriſſimi Cardinales in ſuis collationibus non læduntur, ceſſat huius regulæ derogatio eorum reſpectu. Idem in beneficiis in Curia Romana per obitum vacantibus, aut in patria obedientiæ, puta in Britannia, in his octo menſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis: cur eo iure priuantur alij collatores ordinarij? quid demeruerunt? in quo peccauerunt? cur ea ſummi Pontificis liberalitate, ſeu potiùs legis beneficio defraudentur? & cùm Sedi Apoſtolicæ, ſummo Pontifici, & Cancellariæ Apoſtolicæ iuribus nil penitus interſit huic regulæ derogare, exiſtimo collatores or-

dinarios suam Sanctitatem ea de re supplicantes optata facillimè obtinere posse. Vide inf. num. 130. de effectu huius regulæ & derogatione.

NVM. CXXVII.

De Papa verò nemo dubitat quin possit.

SVÆ sententiæ sit memor Molinæus: Papam sua summa & suprema potestate posse huic regulæ de infir. derogare, & siquid postea in contrarium publicæ vtilitatis contemplatione statuat, non audiatur: & ita seruatur in Senatu, & hæc derogatio toleratur.

NVM. CXXVII.

Dummodo expresse & nominatim deroget.

NOTANDA Molinæi opinio, generales derogationes ad ea non extendendæ, de quibus nominatim & specificè mentio facta non est. Ideo priuilegia & leges, quibus derogatur, nominari & exprimi debent: quod notandum contra clausulas in beneficiorum prouisionibus ex stylo Cancellariæ Apostolicæ apponi solitas, nonobstantibus quibuscunque constitutionibus Apostolicis, Ecclesiarum statutis, priuilegiis. Hæc enim omnia ad specificata referuntur: & ea est Ale-

xandri opinio Consilio 122. num. 16. lib. 4. Felinus in cap. Nonnulli, in principio de rescript. Decius cons. 165. & Tiraquel. in repetitione L. Si vnquam, in princip. num. 120. de Reuocat. donat.

NVM. CXXVIII.

Nec enim Ecclesiæ dominus est, sed administrator.

INTER vtrumque lata differentia: Si dominus, sua summa & absoluta potestate, sine causæ cognitione, quid agere, & pro arbitrio facere potest: Si administrator, nil sine ratione & causæ cognitione. Sed hodie veluti ex communi Cancellariæ Apostolicæ stylo vsu receptum, quæ ex summorum Pontificum absoluta auctoritate in partibus conceduntur, ea cum causæ cognitione, aut magna suadente æquitate, & postulante ratione impartiri: eóque prætextu & domini & administratoris distinctio confunditur.

NVM. CXXIX.

Quia vetitæ sunt & simoniacæ & ad fouendum abusum.

ANTIQVIS canonibus prohibitas in fauorem resignationes docet Molinæus, quia simoniacæ, (saltem speciem habent simoniæ propter

pter pactionem cum resignatario) conditionales, & prohibitam in beneficiis successionem contineant, liberámque ordinario collatori conferendi potestatem auferant, & harum prætextu liceat de beneficiis testamentum facere. Cur igitur diuus Petrus Clementem pro successore nominauit? Cur antiqui Patres in Episcopatu successores designarunt? vt in Ecclesiastica historia videre licet. Dic breuiter, Spiritu sancto pro Ecclesiæ vtilitate inspirante hos successores designatos, non ex sanguinis affectione sed Ecclesia postulante: immo antiquis Ecclesiæ constitutionibus resignationes omnino prohibitæ, ordo cum beneficio, beneficium cum ordine conferebatur, & vt ordini renuntiare ita beneficio nefas erat. His temporibus beneficia erant sine reditu, omnia in communi conferebantur, nullum Clericorum peculium, sed alia ætas alios mores produxit. Quòd autem hæ conditionales resignationes, seu in fauorem soli summo Pontifici, aut ab eo speciale mandatum habenti, sint concessæ: ordinariis verò collatoribus vetitæ & prohibitæ: vide Rebuf. in Pra. benef. tit. de Resignat. condit. num. 1. 2. & 3. Christoph. de Rufign. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 14. versiculo Sacrorum quidem canonum. Ruz. tract. iuris Regal. priuil. 32. num. 5. Philip. Prob. quæst. 34. iuris Regal. num. 3. 4. & 5.

O

NVM. CXXIX.

Tum hæc regula vnà cum regula de publicandis, & de verissimili notitia.

SVNT verba & voces, quibus lenire dolorem collatorum ordinariorum licet. Sed ex iis quæ sup. diximus num. 22. & 127. hæc regula de infirmis in regno non recepta; huic pro arbitrio, immo ex stylo communi derogare solet summus Pontifex. & ea est Molinæi opinio in hæc verba, Et nihilominus interim ab eo quod de facto seruatur cauendum moneo.

NVM. CXXX.

Sed ardua fuit quæstio in hoc Senatu circa effectum derogationis.

Papa in præiudicium expectantium huic regulæ de 20. diebus derogat.

SI ratione Molinæi opinionem concertare liceret, multos magni nominis & doctrinæ assertores & defensores haberet; si vsu & placitorum Senatus præiudicio, eam reiicere erit facillimum. Anno siquidem 1536. 4. Non. Iunij solemni decreto consultis classibus decisum fuit, Legatum à latere specialem à summo Pontifice potestatem habentem huic regulæ derogare potuisse in præ-

iudicium graduatorum, Florentino Paramendario, Rodulpho Tabario, & Ludouico Clerico partibus contendentibus pro possessorio parochialis Ecclesiæ Grandis vini in diœcesi Nouiodumensi, vt refert Lucius placit. lib. 1. tit. 4. arrest. 6. Hac ratione potest tueri Senatusconsultum: summus Pontifex graduatos in beneficiis per obitum vacantibus potest præuenire per Concordata, fortiori ratione viuente resignante huic regulæ derogare poterit; cùm tantùm ad beneficia per obitum vacantia graduatorum iura extendantur, & resignationis tempore ius nullum nec in beneficio, nec ad beneficium graduato quæsitum sit, sed nuda spes futuræ vacationis per obitum, quæ nunquam in iis quæ ad dispositionem summi Pontificis pertinent consideratur. cap. Si is cui. de canonicatu & præb. in 6. Et huiusmodi Papæ derogatio admittitur contra omnes expectantes, siue sint graduati, siue à Senatoribus nominati, eos enim omnes potest summus Pontifex præuenire. & ea fuit Molinæi opinio in consulendo pro Theologo Ecclesiæ Andegauensis, inf. n. 141.

NVM CXXXIV.

Tum causa miserationis.

DVBITARVNT nostri, an graduati qui nominationis tempore in beneficiorum reditu 400. lib. habebant, à suo gradu arcerentur,

cùm hæ nominationes pauperibus tantùm conceduntur, in §. Volumus. de Collat. in Concord. Rebuf. tractat. nominat. quæst. vltima num. 8. versiculo Nam mens Ecclesiæ. dubitandi rationem refert in d. §. in verbo Verum valorem. vers. Notandum est. & vers. Quæro si quis habebat. Cùm enim aliunde quàm in vim gradus beneficia obtinuerint, aliis graduatis non faciunt iniuriam, vnde beneficia in vim gradus non obtenta postea resignata non computantur, graduatis non nocent; non idem si in vim gradus obtinuerint beneficia: & cùm hodie mandata in foro pauperum in regno vsu abolita fuerint, vt probat Molinæus inf. num. 256. Rebufi opinio faciliùs à multis recepta fuit, nec cum graduatis summo illo paupertatis iure & priuilegio per Concordata agitur, & aliquantulum à Pragmat. Sanct. præceptis in eo recessum fuit. & si per Concordata in d. §. Volumus, graduati in litteris nominationis beneficia obtenta, eorúmque valorem exprimere teneantur, id tamen non procedere beneficiorum post nominationem per resignationem quæsitorum respectu. Ius enim graduatis plenè per nominationem ad vacatura quæritur, nec ea spe priuantur per adeptionem beneficiorum aliunde quàm in vim gradus obtentorum. Praxis tamen Galliæ est in contrarium, quicquid glos. Prag. Sanct. in §. Quòd si quis. in verbo Tempore vacationis. versicul. Non ex prædictis inito textu infertur. de Collationibus, in con-

trarium sentire videatur. & eadem gl. in versic. Sed nominatio æquiparatur gratiæ in foro pauperum; meliùs sentire videtur. & Prob. ibid. n. 4. quacunque ratione obtenta à graduatis beneficia vt veris pauperibus locum tenere, siue in vim gradus aut alio iure asserit: idque in Senatu Parisiensi probari. & pleniùs in verbo Obtineat. versic. Quouis modo. & ita sub ea limitatione seruatur in Senatu; vt graduati beneficia aliunde quàm per nominationem aut gradum obtenta resignare possint, nec post eiurationem locum faciant. Ita iudicauit Senatus in publicis causarum actionibus Iouis 16. Aprilis 1608. pro canonicatu Ecclesiæ Meldensis pro magistro Vincent Doctore Theologo, qui prioratum S. Leonardi, & parochialem Ecclesiam obtinuerat & eiurauerat ante vacationem beneficij, Mauguin & partium aduocatis. Non idem de beneficiis in vim gradus obtentis, partem enim faciunt tam ante quàm post resignationem. Vide eandem glos. Prag. Sanct. in §. Item quòd Vniuersitates, in verbo Numerum. versicul. Nam dicit glosa. de collat. & versicul. Istud integrè teneas, & ampliùs non dubites, quia opinio est verissima, & plusquam ciuilis & canonica. Ego autem à Præside primæ classis Inquestarum domino Broué in Senatu decisum accepi, Beneficia in vim gradus à graduato non obtenta, paulo ante vacationem beneficij in vim gradus requisiti, eiurata cum retentione pensionis, præiudicare nominationi.

NVM. CXXXIX.

Tamen respectu Academiarum numquam in hoc regno recipitur.

INTER limitationes & restrictiones à Parisiensi Senatu factas in verificatione facultatum Legati à Verallo 16. Decembris 1551. hæc apponitur: Vt nil in necem & præiudicium Vniuersitatum regni agatur, nil moliatur, eorum priuilegia & libertates integræ & illæsæ maneant. Quæ clausulæ & modificationes repetitæ sunt ex præcedentibus homologationibus facultatum præcedentium Legatorum ab Ambosia, de Boisi, à Prato, Farnesio, Sadoleto, à sancto Georgio, & *Voile d'or.* Et prouisiones per præuentionem à Legato de Florentia concessæ in hoc regno anno 1596. & 1597. beneficiorum in mensibus Ianuarij, Iulij, Aprilis, & Octobris vacantium, nullæ per summa Franciæ tribunalia declaratæ fuerunt: vide inf. num. 449. vide etiam verba Molinæi inf. apposita: numquam enim in hoc regno, nisi sub hac restrictione, nec in Academiarum præiudicium facultatibus suis vtitur Legatus.

NVM. CXXXIX.

Per vulgares duntaxat dietas.

DICTVM fuit ad regulam de verissimili notitia num. 28. Legatum à latere, contra Molinæi sententiam, Ordinarios per velocissimos cursores præuenire posse: vsu receptum equites extraordinarios in legationis itinere constitui, vt vnicuique beneficia per obitum in Legatione obtinere hac extraordinaria via seu equitatione volenti sit liberum cursorem extraordinarium mittere: sic in legatione diligentiori cursori, immo velociori equo portæ dignitatum aperiuntur. Ne quis igitur ex Molinæi opinione existimauerit, Legati in præuentione Ordinariorum facultatem limitandam per vulgares dietas.

NVM. CXL.

Sed nec Imperator quoque patitur Legatos vllo modo præuenire posse Ordinarios.

DETVR Carolum quintum Imperatorem in partibus Hispaniæ & Imperij, Papæ præuentionem in beneficiorum prouisionibus denegasse; eam tamen in hoc regno per Concordata admisimus, in §. Declarantes. de Mandat. Apost. & quod durius, locum habet in Britannia *De præuentione Papæ in patria obedientiæ.*

& aliis Prouinciæ partibus, in quibus anni Ordinariorum ad quatuor menses reducuntur, & forte quadam inæquali in aliis octo mensibus Ordinarij resignationes, nec quidem causa permutationis admittere possunt, ne (vt in Cancellaria Apostolica contendunt) Papæ iura eludantur. Vtinam Ordinariorum iura in Ecclesia Gallicana ita accuratè obseruarentur! Sed quicquid dicant Cancellariæ Apostolicæ Doctores, mihi vnquam persuadere non potui, nec in vllo probatæ lectionis auctore animaduertere, Ordinariis in patria obedientiæ prohibitum resignationes in iis octo mensibus (cessante fraude) admittere. Quidquid gratiosæ admodum patentes litteræ Henrici II. sub data 24. Iunij 1549. 29. Octobris 1553. 18. Aprilis 1553. super iuribus Apostolicis in patria Prouinciæ & Britanniæ, Nannetis à Senatu comprobatæ, contrarium statuant: quæ à bonis Senatoribus in hoc speciali casu receptæ non fuerunt, cùm Ecclesiæ Gallicanæ iuribus repugnent.

EOD. NVM. CXL.

Tamen in mense graduati vel nominati non potest, nisi eodem modo conferat.

SVPRADICTÆ opinioni limitationem adfert Molinæus, Legatum à latere posse beneficia in gra-

graduatorum vel nominatorum mensibus vacantia conferre graduatis vel nominatis, eo scilicet modo quo potuissent vel debuissent Ordinarij conferre: ideo si antiquiori graduato Legatus contulerit, valida erit prouisio, si graduatum simplicem gratificauerit, vt verbis Concordatorum vtar, valida prouisio, si à Senatore nominatum, si modò in iis omnibus prouisionibus graduati nominati, vel simplicis, vel nominati qualitas inscripta sit: eo enim casu ad ea obligatur Legatus, ad quæ tenentur ordinarij collatores.

EOD. NVM. CXL.

Vt vidi per litteras patentes Caroli quinti.

Nec mirum propter nimiam in Hispaniæ partibus Legatorum frequentiam, qui Ordinariorum iura exercebant, & ordinariorum collatorum potestatem vanam & inutilem reddebant, eorum iura & iurisdictionem perturbabant.

NVM. CXLIII.

Sexto quod in registro insinuationum procuratorium illud carebat nomine procuratoris.

Advertant Notarij Apostolici & communem errorem emendent, cùm procu-

rationes procuratorum nomina in albo nullo procuratore expresso continentes partibus dant: subtiliores Notarij subtiliori vtuntur clausula (procuratorem vel procuratores in albo præsentium describendos, vel latores præsentium) quæ si omittatur, inutile quid agitur: & prudentiores in grauioribus negotiis & quæ mandatum speciale requirunt, procuratores nominant, aliàs instrumentum nullitatis suspicione notabitur: vt videre licet in donationum insinuatione, quæ cùm in persona, aut virtute mandati specialis fieri debeat, nullam donationem iudicauit Senatus Parisiensis, cuius insinuatio virtute mandati procuratoris nomen non exprimentis facta fuerat.

NVM. CXLIV.

Cùm edictum illud insinuationum sit quæstuarium.

Insinuationum edictum quo casu seruandum.

MAGNO consensu recepta fuit Molinæi opinio, insinuationum edictum vltra casus suspicionis fraudis vel falsi, non extendendum, & apposité suspicionis verbo vsus, alio namque Henrici II. edicto contra paruas datas artic. 16. qui falsum in iis spiritualibus controuersiis commiserunt, causa possessoria cadunt. Aliud igitur crimen falsi, aliud falsi suspicio. Cùm autem fraudis suspicio sit in iudicantium arbi-

trio, & non magis sint in sententiis dissimiles iudices, quàm in suis rationibus, ita vt vnicuique sit liberum quam sibi voluerit speciem effingere, eos fraude notari existimo, qui in suis resignationibus beneficiorum, & possessionis adeptione aliud agunt, aliud simulatè concipiunt, vt sua possint conseruare beneficia in præiudicium ordinariorum collatorum. Edictum enim insinuationum in eorum necem institutum, qui beneficia, veluti successório quodam iure, sibi suísque conseruare contra sanctorum Patrum decreta, desiderant : & qui instrumenta & alia quæ beneficiorum vacationem, aut eorum in alterius persona conseruationem seu perpetuationem inducunt,in insinuationum registris non inscribunt, fraudem faciunt : & ex iis violentæ certæque fraudis præsumptiones à bonis Senatoribus iudicantur. Hæ sanè præsumptiones, quæ ex ipsa re procedunt, sunt iuris & de iure, quæ non admittunt probationem in contrarium.

NVM. CXLV.

Scholares autem non habent domicilium in loco studij, nec sunt de illis testibus quos edictum requirit.

Scholares an testes legitimi in mandatis ad einuranda beneficia.

IN iure receptum est (quod & iuris prudentibus placuit) duobus in locis quem habere

posse domicilium, si in vtroque loco ita se instruxerit, vt non ideo minus apud alteros se collocasse videatur, l. 6. §. Filius. ff. Ad municipal. de incol. sit animus commorandi, L. Alius. §. Celsus. eodem titul. vbi quis larem rerúmque ac fortunarum suarum summam constituit, L. Ciues. C. De Incol. Quæ omnia in scholaribus animaduerti nullo modo possunt: ideo in Vniuersitate domicilium habere non dicuntur. At constitutio Henrici II. quæ contra paruas datas denominatur, requirit in mandatis ad eiuranda beneficia testes domicilium habentes: & hæc in his mandatis apposita cautio, vt fraudibus, & falsitati obuiam eatur; & notarij in his mandatis conficiendis faciliores & procliuiores sunt ad fraudes & falsitates perpetrandas, cùm nemini iniuriam facere existiment.

NVM. CXLVII.

Sed non tamen beneficium est Ecclesiasticum.

Discrimen inter præstimonias & beneficia.

DIFFERENTIA est inter præstimonias, donationes pias, & beneficia: præstimoniæ dicuntur piæ donationes Ecclesiis factæ, Episcopi decreto non approbatæ, ad beneficium tamen destinatæ. can. Nemo. can. Nullus. de consecrat. dist. 1. Piæ donationes quæ Ecclesiis largiuntur pro celebratione missarum, non tamen vt in be-

neficiorum catalogo inſcribantur, at beneficia dicuntur poſt Epiſcopi homologationem, decreti approbationem, & quæ in titulum conferuntur. Nec mihi incognitum præſtimonias beneficia extenſiuè ſeu abuſiuè vocari, quæ in titulum perpetuum dantur, & Clericis ratione diuini officij debentur, ex Ordraldo Conſil. 81. & Conſil. 140. quæ procedunt cùm de iurium à dictis præſtimoniis dependentium conſeruatione agitur, vt Eccleſiaſticis gaudeant priuilegiis, non quòd verè ſint beneficia, nec exprimi debeant in prouiſionibus Apoſtolicis, ex doctrina Ioannis de Selua tract. de beneficiis tertia parte quæſt. 17. ſub finem, & Rebuf. Conſil. 58. Nec admittimus Caſſadori opinionem tit. de Præb. dec. 3. in fine, vt ipſemet teſtatur Rebuf. tract. de pacif. poſſeſſoribus num. 90. & 91. Sed an graduati præſtimonias exprimere debeant? & non teneri exiſtimo, cùm lege Concordatorum beneficia tantùm exprimere debeant.

Præſtimonia an inter beneficia computentur, & exprimi debeant in prouiſionibus.

NVM. CXLVIII.

Aliàs non eſt verum dicere permutationem impletam.

VT enim vera dicatur permutatio, mutua præſtatio ex vtraque parte eſſe debet: vicaria vnius rei pro altera, & adimpleta eſſe debet ex vtraque parte, quoad titulum: ex Chriſto-

Ad veram permutationem quæ requiruntur.

phoro de Rufignac in commentariis Pontif. lib. 3. cap. 30. Rectè quidem quoad titulum seu collationem, vt vnicuique compermutantium ius in beneficio quæratur: quòd si absit titulus, ius tantùm ad beneficium ex permutationis pactione dabitur. at vera permutatio dici non potest, quæ tantùm dat ius ad beneficium, non in beneficio, vt vnus sit dominus, alius non. Caueant ergo qui à morientibus beneficia permutationis velo emungere conantur, vt ante obitum fiat compermutatorum beneficiorum collatio: aliàs nulla erit permutatio, & vacabit beneficium per obitum. Vera enim fraudis præsumptio, cùm beneficij morientis non alterius compermutati fit collatio, & neglectus patronus poterit eo casu per obitum præsentare. De vera illa permutatione vide Molinæum sup. num. 92. versicul. Et insuper. permutatio enim non adimpleta, permutatio non est.

NVM. CXLIX.

Ranus duo habens optima beneficia, canonicatum & præbendam.

Regressus damnati, & conuentiones regressum continentes reprobata.

SI hypothesis circumstantias attentè consideres, nullam permutationem inuenies, sed potiùs quandam nundinationem ad resignata beneficia regressum ex parte superstitis haben-

tem. Nil mutat Concordatum Romæ probatum seu homologatum: illis namque miseris temporibus Romæ omnia probabantur. sed de facili à talium conuentionum homologatione ad summa tribunalia abusus nomine appellabatur, maximè cùm de illo odioso & omni iure reprobato regressu agebatur. Sed hodie vix hæ conuentiones Romæ admitterentur.

NVM. CL.

Tamen nimis multa concurrunt, vt appareat concordatum & resignatum in fraudem Ordinarij.

APPOSITE Molinæus ius in causa seu hypothesi esse existimat, & qui permutationis prætextu decipere voluerunt, imputent sibi permutationem nullam, & permutationem legibus repugnantem fecisse. Hac autem reiecta permutatione omnia corruunt, & nullus titulus, nec coloratus remanet: Ideo per obitum resignantis vacarunt beneficia, & potuit Ordinarius conferre. Suorum enim non alienorum est permutatio.



EOD. NVM. CL.

Et vtroque casu nihil vacaturum erat per obitum Rani.

INTER fraudis probationes & nullitatis media, Molinæus existimat, cùm inter resignantem & resignatarium ita implicatum est negotium, resignatio ita dolosè ea machinatione concepta, vt per obitum resignantis, aut resignatarij beneficium vacare non potest: ea via fraus committitur, Ordinariorum iura eluduntur, malis artibus Ordinariorum collationes vsurpantur. & quidem sceleris est species in spiritualibus caussis doli crimen committere, in parua data species fingi potest: ea enim in libro datarij Romæ admissa & inscripta sex mensium spatio, tantæ est efficaciæ, vt quocumque die resignante decedente, resignatarius paruam datam extendere poterit, & impudenter (verè tamen) sustinere viuo resignante admissam resignationem: & è conuerso decedente resignatario resignans in beneficio remanebit: cùm ordinario collatori sit impossibile datam admissam probare. magna autem paruæ datæ præsumptio (quæ tamen in Regis Henrici II. constitutione expresse non notatur) cùm per quinque vel sex menses data extensa non fuit, quod videre licet à tempore datæ ad tempus missionis ad regestum, hæc enim dilatio,

dilatio, vera expectatio incerti euentus mortis resignantis. vide quæ notaui ad Regul. de public. num. 5.

NVM. CLII.

Quæ non à voluntate priuatorum, vel à voluntate & dispensatione superioris dependent.

VERISSIMVM axioma & extendendum ad omnia priuilegia: contractus & actus ex superiori auctoritate dependentes, idem in litteris aliisque contractibus qui in summis Franciæ tribunalibus probantur. Tunc enim superioris, seu Parlamenti voluntas consideratur, potiùs quàm aliarum partium. Totum enim negotium, vis & substantia actus à superioris, seu Regis voluntate, & Curiæ verificatione pendet, non à partium seu contrahentium intentione.

NVM. CLIII.

Quòd non fieri potest permutatio nisi de beneficiis titulatis & suis.

An suorum tantùm, an etiam alienorum beneficiorum permutationes fiant.

CONTRARIAM opinionem tenet Rebuf. in Praxi beneficiali tit. de permutat. num. 14. & 15. Si enim non conquerantur compermu-

tantes, cur annullanda permutatio? cur quieti negotio lis imponitur? Verior tamen Molinæi sententia, & quæ in Senatu probatur, & ante Molinæum eam probauerat Boerius in decis. 308. n. 21. eámque secutus Christoph. de Rufignac in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 40. in fine. Si tertius in permutationis negotio interueniat, & ad complendam permutationem suum eiurauerit beneficium, pactio non permutatio erit, nec etiam permutationis gaudebit priuilegio, nec ad eiuratum redibit beneficium sine noua prouisione, sed tantùm ad repetendum beneficium agere poterit, si modò totum negotium summi Pontificis auctoritate approbatum sit; aliàs ex huiusmodi conuentione nulla dabitur actio. Cùm hæ rerum spiritualium pactiones, canonica sanctione vt illicitæ & simoniacæ reprobentur, cap. Cùm pridem. Cap. fina. de pact. Ille quidem tertius erit in conuentione sed extra permutationem, vt prædictus dominus de Rufignac existimat, & tota vis huius decisionis pendet ex cap. 1. de Rerum permutatione in 6. in verbo Sua beneficia, ex quo colligunt nostri suorum non alienorum beneficiorum permutationes fieri debere. Vide eundem Molin. in Consil. 30. num 17. & legem finalem. De Rerum permutat. ff. in hæc verba, Alienam rem dantem nullam contrahere permutationem.



NVM. CLIV.

Et collatio & possessio vtrinque secuta, sed postea alter euincitur.

DICTVM fuit sup. n. 48. perfectam tunc dici permutationẽ quando collatio ex vtraque parte subsecuta, nec aliàs: addit Molinæus possessionis adeptionem ad vitandam fraudem. Quod vix probarem, cùm in beneficialibus possessio nil iuris tribuat, sed sola collatione plenius ius quæratur, perficiatur gratia, & nil imputari possit qui possessionem est assecutus tempore legitimo, qui compermutantis negligentia puniri non debet, nec factum alienum præstare. Procederet quidem Molinæi opinio quando possessione non secuta permutatio euictione vnius ex compermutatis beneficiis annullaretur, vt in iure regaliorum videre licet: sed cuius culpa hoc accidisset, priùs inquirendum esset. *An possessio sit de essentia & perfectione permutationis.*

EOD. NVM. CLIV.

Tunc enim eo modo quo euincitur, potest ad prius beneficium redire sine noua collatione.

RESOLVTIO contractus datur post contra-

ctum perfectum: ante autem contractus perfectionem ad resoluendam rem quæ non est, malè agitur. Admittitur autem hæc resolutio quoties sub essentiali conditione contractus perfectionem acceperunt, qua conditione non subsecuta (cuius consideratione solæ partes contraxerunt, nec aliàs contrahere voluissent) ita resoluitur contractus, ac si contractum non fuisset, & contrahentes eo statu quo erant ante contractum ponuntur, vt verbis fori vtar. & hoc extendendum ad omnes contractus, sub conditione à lege approbata conceptos. Hæc est communis doctorum opinio in L. cum te. C. de Pact. ff. int. empt. & vend. cod. quæ non de qualibet conditione accipienda est, sed quæ essentialis est, id est quæ dedit causam contractui, vt ibi notatur.

NVM. CLV.

Quòd superstes compermutantium possit vti bona fortuna.

An superstiti compermutata retinere liceat beneficia, & bona fortuna gaudere.

ITA necessaria est collatio ex vtraque parte compermutantium ad perfectionem permutationis, vt superstes beneficia compermutata retinere non possit, cùm hoc sit contrarium permutationi: nam ex vtraque parte dominium transferri debet. Sed de hac quæstione aliàs ex se obscura, dicemus ad Regul. de public. num. 191. vbi existimat Molinæus speciem esse furti vtrumque hoc casu retinere beneficium.

EOD. NVM. CLV.

Quandiu ergo compermutans non conficit reciprocum procuratorium, vel confectum apud se retinet.

Cvm ex natura permutationis ius in beneficiis compermutatis compermutantibus tribuatur, hoc autem nisi per prouisionem (quæ solum dat ius in beneficio) fieri possit, non per mandatorum ad compermutanda beneficia traditionem reciprocam, sed per prouisionem perficitur permutatio. Nec enim quis dixerit, per mandata ad compermutandum quacunque bona fide confecta ius in beneficio acquiri.

EOD. NVM. CLV. IN FINE.

Vel procuratorium confectum apud se retinet, permutatio semper est in fieri.

Non ita Molinæi verba concipias, vt procuratorij seu mandati ad resignandum traditione perficiatur permutatio, immo desideratur collatio, vt sup. diximus. Prodest autem huius procuratorij traditio, vt qui eam bona fide nec decipiendi animo dedit, non teneatur beneficia

in procuratorio ad resignandum contenta exprimere in summi Pontificis prouisionibus, vt diximus sup. num. 4.

NVM. CLVII.

Illa dilatio quatuor mensium respectu monachi euidentem fraudem regressus arguit.

De conuentionibus in permutatione appositis fraudem continentibus.

SI in permutatione hæc admitteretur conuentio, vt intra mensem vel 40. dies mandatum ad resignandum vnus ex compermutantibus non daret, facillimum infirmo permutare, si enim intra illa tempora non decederet, resignata repeteret beneficia, ex parte compermutantium omnia essent certa, nullo casu pendente illa dilatione beneficia vacarent, nisi vno instanti compermutantes decederent; eáque via ordinarij collatores fraudarentur. Obiter notandum cùm de fraudulenta résignatione, seu permutatione beneficiorũ agitur, non tantùm fraude suspectas conuentiones, quæ regressum continent, reprobari, quæ negotium in suspenso propter incertum infirmitatis euentum habent, cùm certo tempore (ex qualitate morbi concesso) omnia sint in incerto. tunc nullum ius compermutantibus quæritur in beneficiis; & vt paucis dicam, cùm compermutantes exitum morbi potiùs considerant quàm beneficiorum prouisiones, reiiciuntur hæ conuen-

tiones, & omnia inde secuta: & vera hæc est Molinæi sententia.

NVM. CLVIII.

Præterea non est in potestate summi Pontificis.

NON quòd summus Pontifex omnimodam in beneficiis potestatem & auctoritatem non habeat, sed quia per Concordata regressus sunt prohibiti in beneficiis, ideo ex conuentione diminuta eo in casu Papæ potestas. *Regressus Papa auctoritate non prabentur.*

EOD. NVM. CLVIII.

Erant hæc verba insolita sine consensu.

CVM permutatio sit contractus, sine consensu compermutantium consistere nullo modo potest. *Permutatio sine consensu non consistit.*

NVM. CLIX. IN FINE.

Et omnem aliam clausulam & dispensationem inexistentem pariter ab initio infecit.

NOTANDA hæc est Molinæi sententia, subreptionem totam gratiam seu prouisionem nullam & inefficacem reddere. cap. Ex par- *Subreptio reddit prouisionem nullam.*

te. 1. de Reſcrip. Rebuf. in Praxi Benef. lib. 1. cap. 29. Hoc enim perpetuò verum in iure canonico, reſcripta gratiæ ad beneficia ſubreptione annullari, Clement. 1. de præbend. gloſ. Prag. Sanct. in §. Licet. in verbo Impediri. verſ. quia ſubreptitia. & ibi Prob. num. 3. de elect. & ex Molinæo ſup. n. 72. in hæc verba, Quia quælibet vel minima ſubreptio gratiam reddit ipſo iure nullam. & 32. Rot. deciſ. aliàs 468. num. 1. de Reſcript. in nouis. vide inf. n. 86. ad regul. de veriſſ. notit. & pobat Ruzeus in 4. priuileg. iuris regal. n. 2. & priuileg. 7. n. 2.

NVM. CLX.

Quia in collatiuis non eſt prohibitum, ſed permiſſum plures titulos accumulare.

Accumulatio titulorum licita in beneficiis.

QVIA in collatiuis beneficiis non eſt prohibitum ſed conceſſum plures titulos accumulare, ideo ex communi notariorum Apoſtolicorum ſtylo apponi ſolet hæc clauſula, (ſine præiudicio iuris iam quæſiti, & accumulando iura iuribus.) quod conſuetum & ordinarium in beneficiis, in quibus ob nimiam Canoniſtarum ſubtilitatem, ſeu potiùs cauillationem, nullus, licèt triennali gaudeat priuilegio, vix inueniri poſſit, qui ſine litis metu beneficium quietè poſſideat. Scio quandam diuerſitatis cauſam in electiuis, ſeu conſiſtorialibus beneficiis, ſed ſi

si varios electionum euentus, si incerta eligentium vota consideremus, si dubias Regis nostri Christianissimi nominationes spectemus, quæ de collatiuis diximus, in electiuis statuere erit facillimum: exempla pro ratione sumantur, pro exemplis lites & controuersiæ quæ quotidie in magno regis Consilio harum litium enucleatore, disceptantur. Sed in consistorialibus beneficiis nulla noua prouisio, nisi Rege nominante, aliàs nulla & abusiua prouisio, quia contra Concordata.

NVM. CLXI.

Tum in dubio dispensatio censetur restricta ad actum, in quo fit.

QVIA dispensationes pendent ex intentione concedentis, dispensationis verba consideremus, ex quibus dispensantis voluntatem enixam elicimus, ex doctrina Probi ad glos. Prag. Sanct. in verbo Impediri. num. 3. in fine. §. Licet. de Elect. & quia sunt odiosæ dispensationes, & contra iuris communis regulas, ad ipsa verba referuntur: in iis verba tantùm valent quantum sonant, & omnis ampliatio & extentio reiicitur, ad non cogitata nunquam referuntur. Et in iis dispensationibus vt odiosis cessat illa regula, Cui conceditur maius & conceditur *In dispensationibus nulla extentio.*

minus. Omnis enim de beneficio ad beneficium, etiam suadente ratione, cessat extentio. ex 2. aliàs 136. Rotæ decis. De filiis Presbyt. in nouis. & 1. al. 54. de fil. Presbyter. in antiqu. Voluit quidem summus Pontifex in parochiali Ecclesia dispensare, in alio beneficio simplici noluit, quia non expressit; & hæ dispensationes concedentis voluntate (quæ per propriam verborum significationem interpretatur) non ratione reguntur, vtputa generali beneficiorum verbo cathedralis Ecclesia non continetur in his dispensationibus dict. decis. 1. in antiquis. In expressione autem beneficiorum secus. qui enim simplicis beneficij curam animarum habentis mentionem in impetratione fecerit, subreptitia non ob id dicetur gratia, ex 73. aliàs 562. Rotæ decis. de Rescript. in Antiquis. Cùm autem de re fauorabili agitur, quæ sacris canonibus non repugnat, facilis extentio: & generali beneficiorum verbo veniunt dignitates, vt in vicario ad beneficia conferenda potestatem habente iudicatum fuit in Rota, ex 2. Rot. decis. de offic. vicar. in Antiquioribus. Fallit in iis quæ in consequentiam dispensationum veniunt, ex præsumpta mente dispensationem concedentis, ex glos. Prag. Sanct. in §. Item insuper. in verbo, Consecrari. versic. Queritur. de collationibus.

NVM. CLXIII.

Nonobstante quòd eorum indulta in eodem Senatu priùs homologata fuissent.

Indultis Cardinalium an possit derogari.

ILLIS temporibus nondum cognita erant illustrissimorum Cardinalium indulta, & iudices quid extraordinarium eis per indulta concessum existimabant, contra libertatem eiurantium sua beneficia; ideo de facili derogationes Papæ contra talia indulta admittebantur. Sed re pleniùs inspecta, talia indulta antiqui & veri iuris dispositionem continere cognitum fuit, in his antiqua iura longo tempore sepulta renouata: Lateranensi siquidem statuto sex menses patronis Ecclesiasticis & aliis collatoribus dabantur ad conferendum, reiecta omni spe præuentionis. Si Cardinalium dignitati & collegio hoc sit indultum, non est quòd referant gratiam, cùm iure communi & antiquo tantùm vtantur: & ideo talia indulta fauorabilia extendenda, & amplectenda, & ante indulti verificationem, siue in Senatu siue in Prætoriano Consilio, possunt illustrissimi Cardinales eo gaudere priuilegio: nullásque prorsus in præiudicium indulti Papæ prouisiones, si expressam derogationem non contineant, aut subreptitias si generalem & ordinariam existimo; nil enim addit priuilegio

homologatio Senatus, ſed huiuſmodi deſideratur homologatio, vt coram iiſdem iudicibus decidantur controuerſiæ, vt probentur quædam clauſulæ extraordinariæ prouiſionum in commendam, quæ iuri communi ſunt contrariæ, immo iuri Concordatorum. regularia enim beneficia regularibus perſonis ſunt conferenda, vt ſecularia ſecularibus.

NVM. CLXV.

Papa ſibi expreſsè reſeruauit vacantia per reſignationem.

Indulto Cardinalium non derogatur.

CAVTIONES adhibitæ fuerunt in his indultis, & promittit ſummus Pontifex nullo caſu huic regulæ, in præiudicium indulti collegio Cardinalium conceſſi, derogare: & ita ex ſtylo communi obſeruatur in Cancellaria Apoſtolica, in qua nunquam huic derogatur indulto: hócque perpetuò verum. An autem talia indulta Pauli quarti temporibus, an per ſolemne compactum in Conſiſtorio iuratum, ſatis nondum cognitum: & in eo variarunt Cancellariæ Apoſtolicæ Doctores.



NVM. CLXXII.

Notandum quòd præuentiones primùm vsurpatæ sunt.

AN sint tolerandæ summi Pontificis præuentiones contra collatores ordinarios, inutile quærere: cùm per Concordata in omnibus beneficiis collatiuis summus Pontifex præuentionem in Ordinarios sibi expressè reseruauerit, in §. Declarantes. de Mandat. Apostol. *Præuentio Papæ in beneficiis.*

NVM. CLXXV.

Si Ordinarius beneficium vacans in Curia Romana simpliciter intra mensem conferat.

BENEFICIA in Curia Romana per obitum vacantia ad collationem summi Pontificis pertinent, ex cap. 12. de Præb. in 6. Communis hæc est Canonistarum opinio, eóque iure vtimur, vt probat Rebuf. in tractat. nomin. quæst. 15. num. 27. & in Praxi beneficiorum tit. de Reseruat. in fine. & hæc reseruatio est in corpore iuris, nec sub reseruationum prohibitione continetur, ex glos. Prag. Sanct. in Cap. Sicut. §. Quibus. in verbo Clausis, versic. Item beneficia vacantia. de Elect. & Ruzeo tract. regal. priuil. *De beneficiis in Curia vacantibus.*

16. num. 24. Existimat autem Rebuf. tit. de Pacific. possess. num. 228. contra Molinæi opinionem, virtute collationis ab Ordinario factæ intra mensem de beneficio in Curia Romana vacante, nullum posse triennio beneficium legitimè obtinere ex defectu potestatis conferentis, nec coloratum titulum dici posse ab eo factum qui conferre non potuit lege prohibente. Sed moueor pro Molinæi opinione, aliud esse contra iuris communis rationem possidere, aliud contra priuilegium. Qui ab Ordinario collationem habent iure ordinario possident, sunt in bona fide, titulum habent coloratum, maximè cùm tale priuilegium summi Pontificis sit contra Ordinariorum libertatem, in iuris antiqui dispositione non includatur, non sit fauorabile, nec extendendum contra decretum de Pacificis possessoribus: quod etiam procedit si summus Pontifex intra mensem contulerit, si autem non contulerit, nulla dubitandi ratio, cùm tale priuilegium locum tantùm habere possit, si Papa iure suo sit vsus, cui iuri satis renuntiare videtur non conferendo intra mensem, ex Cap. Statutum. de præbend. in 6. Fallit si Ordinarij collatio contineat beneficium infra mensem in Curia vacasse: obstaret enim eo casu mala fides propter iuris prohibitionem, ex d. cap. 2. de Præb. in 6. Sed nimis extraordinarium ea clausula in prouisionibus vti. vide rationem à Molinæo adductam in fine n. 176. versiculo Sed Papa non prouidente.

Collatio beneficij in Curia vacantis intra mensem ab Ordinario facta an colorata.

NVM. CLXXVIII.

Sed quid si Papa intra suum mensem contulit, sed incapaci.

Prouisio Papæ nulla non impedit Ordinarij prouisionem.

OPTIMA & legitima hæc Molinæi sententia, & quam ordinarij collatores negligere non debent: quotiescunque enim inualida est & contra iuris rationem Papæ prouisio, siue propter incapacitatem personæ, aut obreptionem vel subreptionem, idem ac si summus Pontifex non contulisset, & poterit Ordinarius liberè conferre ac si à Papa nihil factum fuisset. Quod nullum est, nullum producit effectum.

NVM. CLXXIX.

Quia ab eo tempore aliquid addere vel detrahere in præiudicium tertij, crimen est falsi.

Quæ clausulæ signaturæ in bullis extendi possunt.

SOLENT Apostolicæ Cancellariæ officiarij per bullas signaturæ clausulas exprimere & dilatare, in iis scilicet quæ sunt de stylo consueto & ordinario: in substantialibus verò quid addere vel detrahere crimen esset falsi: vnde si per signaturam orator vnum tantùm expresserit beneficium, & in bullis duo, si qualitas essentialis in signatura omissa exprimatur in bullis, id fit contra iuris rationem, nec ista tertio præiu-

dicant, cui ius esset quæsitum: & ita hæc moribus nostris obseruantur, virtute constitutionis Henrici Secundi à Molinæo recitatæ, nam bullæ ad id quod est quale est clariùs explicandum obtinentur.

NVM. CLXXXI.

Quia non est priuilegium, sed reditus ad ius commune antiquum.

EX his verbis refutatur eorum opinio qui Cardinalium indulta odiosa iudicant, cùm fauore summo sint amplectenda, & ad ius primæuum & antiquum reducantur. Ex Lateranensi enim Concilio sex menses Ordinariis dabantur, & intra ea tempora cessabat omnis Papæ præuentio. Notanda verba Molinæi inf. num. 195. versiculo Tum quia hoc indultum.

NVM. CLXXXII.

Sed certè cauda d. capituli Statutum, nunquam fuit recepta in hoc regno.

Collatio fieri potest extra diœcesim, & per vicarium.

IVRIS quidem est Ordinarij collationes beneficiorum fieri posse etiam extra diœcesim, cùm hoc sit voluntariæ iurisdictionis, vt statuit

ſtatuit Gloſ. Prag. Sanct. in §. Item voluit. in verbo, Vicario. verſ. Et conferre eſt voluntariæ iuriſdictionis. de Collat. Decipiuntur qui contrarium tenent, quidquid gloſ. in cap. Statutum. de præbend. in 6. in verbo Remotè. in contrarium dixerit. Et hæc eſt communis opinio ex ſeptima, aliàs 371. Rotæ deciſione, de Officiis vicarij in nouis n. 5. & 5. deciſ. de Officiis vicarij in antiquioribus. Sed contra Molinæi opinionem gloſ. d. cap. Statutum. in verbo Per ſe ipſos, dubitationem mouet, collatores per ſe ipſos, non per vicarios beneficia conferre poſſe, ſub hac conditione conſtitutionem dicti capituli Statutum eſſe factam, ſummum Pontificem ea lege à iure Sedi Apoſtolicæ per dictum cap. 2. conceſſo receſſiſſe, donationem ordinariis collatoribus ea lege conceſſam, hæc omnia in Concilio Lugdunenſi inſtituta. Præualuit tamen opinio Molinæi, cùm ſit in hoc regno receptum, collatores ordinarios per vicarios conferre poſſe, ſiue in diœceſi, ſiue extra diœceſim: & ita ſentire videtur gloſ. dicti Capit. Statutum. in fine. Nec ſummo Pontifici, aut cuilibet ius & poteſtatem ab eo habenti interſit, collatores per ſe vel per vicarios conferre. at poterit Papa poſt menſem conferre, vicarius autem Romæ exiſtens eum præuenire: hoc ſordidum quidquid gloſa ſentiat, & contra Sedis Apoſtolicæ dignitatem, & ſummorum Pontificum in conferendis beneficiis liberalitatem, Adde conſtitutionem cap. 2. de

præbend. in 6. odioſum regreſſum beneficiorum continentem contra ſanctorum Patrum decreta factam, conſtitutionem Cap. Statutum. lenire quodammodo dolorem, ideo extendendam; aliàs poſſent Ordinarij priorem conſtitutionem reiicere.

NVM. CLXXXII.

Sed nec ampliùs per Papam præueniri poterit.

GLOSA in dicto Cap. Statutum. in verbo Perſe. de Præbend. in 6. exiſtimat Papam re integra poſt menſem Ordinarios poſſe præuenire. & cùm hoc in iure non ſit prohibitum, immo cùm per §. Declarantes. de Mandat. Apoſtol. in Concordat. Papa generaliter in omnibus beneficiis collatiuis ſine vlla limitatione, & exceptione præuentionem ſibi reſeruauerit, Papam conferre poſſe, Ordinariúmque re integra præuenire exiſtimo. Nec neceſſariò concludere videtur argumentum Molinæi, Papa intra menſem horum beneficiorum in Curia vacantium prouiſionem ſibi reſeruauit, ergo poſt menſem ſibi denegauit: Nam poſt menſem concurrit cum collatoribus ordinariis, eóſque præuenire poteſt: Summus Pontifex eſt Ordinariorum Ordinarius, & quæ poſſunt collatores ordinarij, poteſt & ſummus Pontifex, quidquid in contrarium ſubtiliter magis quàm verè ſentiat Molinæus. Adde

per §. Declarantes. de mandat. Apost. in Concord. Papam præuentionem in collatiuis beneficiis indefinitè & sine vlla limitatione sibi reseruasse.

NVM. CLXXXV.

Verùm ex illis constat nec defunctum, nec eius procuratorem.

HÆc si vera sint, vt per rationes Molinæi veras existimo, eadem moueri potest quæstio in Ordinario, cùm de resignantis voluntate constat in fauorem tantùm resignare voluisse, cùm Ordinariis sicut Legatis resignationes in fauorem admittere sit vetitum. Vigilent igitur notarij, cùm mandata ad purè resignanda beneficia in manibus Ordinariorum conficiunt, vt purè & liberè, non contemplatione certæ personæ licèt nepotis, id faciant, maximè in mandatis duplicem clausulam, aut purè & simpliciter, aut in fauorem continentibus, vt clausulæ sint distinctæ & separatæ, nec vna ab alia dependeat, & liquidò constet resignantem non in fauorem, sed purè in manibus Ordinarij resignare voluisse.



NVM. CLXXXVI.

Quoties autem Legatus aliquid facit vltra mandata, vel facultates receptas, & permiſſas à principe vel Senatu noſtro, certum eſt tanquam ab abuſu appellari poſſe.

De Legati etiam à latere poteſtate, & quando incipiat.

INTER leges & ſtatuta Liliorum receptum eſt in regno, & immemoriali conſuetudine comprobatum, ſummum Pontificem in regno & regni ſubditos, ſiue per ſe, ſiue per eius Legatum, etiam à latere, nil agere poſſe, niſi Rege conſentiente, & Senatu Pariſienſi facultates Legati approbante. Quod eadem ratione in regno obſeruari probat Molinæus inf. num. 198. verſiculo Certum eſt quòd in hoc regno. quod ſumma ratione inſtitutum fuit. Et ſcire Rex debet quid velit, quid poſſit Legatus, an ſit legitima poteſtas, an iuſta voluntas: & refert Lucius Placit. lib. 1. tit. 4. Arreſt. 4. Legatum poteſtatem in regno habere, non à die quo probatæ ſunt facultates in Senatu, ſed ab eo quo à Rege exceptus eſt. Quocunque tamen caſu ſiquid contra limitatam à Senatu Pariſienſi facultatem ſtatuerit Legatus, tanquam ab abuſu ſolet appellari. Vide Molinæum inf. num. 340. Referunt noſtri aliam Liliorum legem, Bullas, reſcri-

pta, & alia quæ sub plumbo Romæ expediuntur & conceduntur, in regno vim non habere, nulliúsque ponderis, nisi à domino Cancellario litteris patentibus suo sigillo sigillatis approbentur.

Plumbum Romanum cera regni probatur.

NVM. CLXXXVII.

Deinde Parisiis audito & consentiente Procuratore generali sub modificationibus.

POST hanc homologationem & indultorum approbationem in supremo Senatu, certum est moribúsque nostris receptum, summum Pontificem iis indultis derogare nullo modo posse, aliàs appellari posset tanquam ab abusu. Cùm autem talia indulta in Senatu Parisiensi verificata fuerint, satis mirari non possum horum cognitionem ad Prætorianum Consilium deuolutam, & nil penitus penes Senatum remansisse: sed illustrissimi Cardinales aulici Regis aulicorum iudices elegerunt vt sibi propitios: ordinarios verò neglexerunt.

Indulta post homologationem reuocari non possunt.

NVM. CLXXXXV.

Tum quia hoc indultum non est datio gratiæ, sed conseruatio iuris communis & ordinarij.

HÆC indulta vera priuilegia, & priuilegiatis dignitatibus concessa esse non est du-

Indulta Cardinalium non cuilibet Ordinario conceduntur.

bium: siquidem Lateranensis Concilij constitutio, qua ordinariis collatoribus sex menses ad conferendum concessi erant, & intra quæ tempora à nullo præueniri poterant, per contrarium vsum sepulta fuerat: Ideo nouo quodam iure compactum factum est in Consistorio in fauorem collegij illustrissimorum Cardinalium; & indultum concessum toti collegio, ad alios Ordinarios in indulto non denominatos non extenditur, quidquid dicat hîc Molinæus.

NVM. CLXXXXV.

Propter appositionem decreti in secundis litteris gratiosis.

De clausula decreti irritantis tam in rescriptis gratiæ quàm iustitiæ.

ALIA est virtus decreti irritantis in litteris seu rescriptis gratiæ: alia in litteris seu rescriptis iustitiæ. In litteris gratiæ tale decretum ligat ignorantes, ex glos. Prag. Sanct. in §. Licet. in verbo Impediri. de electionibus. & eius decreti ea est malignitas vt omnia destruat. totum enim negotium, tota gratia pendet omnino ex pura & mera liberalitate concedentis, ex eius voluntate & intentione. Non idem in litteris seu rescriptis iustitiæ, quæ ignorantes non obligant, quæ à iuris dispositione potiùs quàm à concedentis auctoritate dependent, quæ à lege non à voluntate interpretationem accipiunt, cap. Vt animarum. de Const. in 6. cap. Gratia. de Rescript. in 6.

cap. Dudum. de Præbend. in 6. cap. Si eo tempore. de Elect. in 6.

Ex supradictis vigilent qui rescripta gratiæ à summo Pontifice obtinent, vt ad vnguem obseruent conditiones in gratia appositas sub clausula decreti irritantis. Si enim ignorantes obligantur, quanto magis scientes? & tale decretum gratiam ipso iure nullam reddit, nec ex ea titulus coloratus consequitur, nec triennali possessione quis iuuari potest. Hæc est Probi sententia ad d. §. Licet. in dicto verbo Impediri. versiculo Alius est effectus. num. 2. & hæc est communis opinio. Ideo qui statuto tempore in litteris gratiæ designato sacros non suscipiunt ordines, qui statuto tempore incompatibile non eiurant beneficium, & qui conditioni decreti non parent, in decreti pœnam incidunt.

NVM. CLXXXXVII.

Quòd mandatum ad conferenda beneficia potest reuocari, & tenet reuocatio, licèt non peruenerit ad notitiam.

VIx extendere possem dispositionem cap. vlt. de procuratoribus in 6. ad vicariorum reuocationem, cùm lata sit differentia inter procuratorem ad contrahendum matrimonium, & *De vicariorum reuocatione.*

ad conferenda beneficia. Vicarij generales ad conferenda beneficia veluti personæ publicæ, vt de facili sine aliqua solemnitate à lege præscripta constitui non possunt, ita nec reuocari. & Henrici II. Regis constitutione in Senatu registrata 21. Martij 1553. art. 10. vicariorum potestas ante insinuationem apud acta publica nulla est, ita nec eorum reuocatio; aliàs ordinarij collatores quos vellent incognitos haberent vicarios, haberent vel non haberent, hoc omnino ex eorum voluntate penderet, & fraudibus occasio daretur. Secus si per obitum Præsulis fiat reuocatio, tunc enim non tam reuocatur vicarij potestas quàm annullatur per obitum constituentis. hi enim vicarij generales veluti quoddam accessorium sine subiecto principali, Prælato nempe, subsistere non possunt: & in puncto mortis illius qui vicarium constituit, deficit vicarij potestas; nunquam enim vicarij potestas & qualitas ex se consistit, sed ope alterius existit.

NVM. CLXXXXVIII.

Quod ius fuit concessum Carolo Magno tanquam Francorum Regi.

Quando regibus priuilegia vt regibus conceduntur.

PERICVLOSVM Regibus nostris vt Regibus quid concedere, cùm hæ concessiones illico

illico coronæ ita vniantur & inhæreant, vt postea quacumque reuocatione vel renuntiatione minimè tollantur: immo semel vnitæ domanij naturam induant, legibus domanij subiiciantur, in liliorum priuilegiis inscribantur, iis renuntiare prohibitum.

EOD. NVM. CLXXXXVIII.

Vbi à summo Pontifice & vniuerso Concilio Lateranensi ad hæc congregato, Carolo Magno Francorum Regi datum est ius & potestas ordinandi Apostolicam Sedem.

QVAM variatum sit in Sum. Pontificum electionibus ex Ecclesiastica historia videre licet. Diuus Petrus Linum & Cletum suos designauit successores, cæteri Pontifices à populo & clero electi vsque ad annum 369. quo tempore in Damasi & Vrsini promotione violentia adhibita: & primùm in Damasi electione Imperatoris interuenit auctoritas, Valentinus enim Damasi & Vrsini in promotione controuersiam composuit. Et hæc Imperatorum in Summorum Pontificum electione auctoritas ad annum 686. permansit. Constantinus enim IV. Diuo Benedicto secundo Summo Pontifici concessit, vt in Sum.

Pontificem consecrari posset, neglecto Imperatoris consensu, & à clero & populo Benedictus electus, statímque in Sum. Pontificem publicatus: Et in ea electionis possessione Pontifices restituti remanserunt, vsque ad annum circiter 800. quo Carolo Magno Francorum Regi concessa Sum. Pontificis electio: Et historiæ veritatem ignorant, qui hæc vt Imperatori Carolo Magno concedunt. Stephanus enim IV. & Leo III. erant Caroli Magni temporibus. à Leone autem III. Carolus Magnus in Imperatorem coronatus fuit. Adde in Lateranensi Concilio priuilegium de electione Sum. Pontificis Carolo concessum sub Adriano primo celebratum, in quo Carolus interfuit anno 778. quo tempore Imperatoriam dignitatem nondum consecutus fuerat, fuit enim coronatus sub Leone III. anno 796. Sed ob Ludouici Caroli filij renuntiationẽ breui temporis spatio extinctum tale priuilegium, à clero & populo repetita possessio, in qua permansere Sum. Pontifices vsque ad Leonis VIII. tempora 983. Is ex laïco ad pontificatum vocatur; sed in Benedicti quinti electione Othonis primi auctoritas interuenit, magnæ dissensiones exortæ, Concilium Romæ celebratur pro bono pacis, Othoni Summos Pontifices eligendi datur potestas, Othonísque successores Summos elegerunt Pontifices vsque ad Gregorium VII. circiter annum 1073. quo tempore Henrico IV. Imperatore inuito & contradicente Gregorius VII. in Sum-

mum Pontificem à clero & populo electus fuit: & narrat historia Henricum IV. ob violentiam in ea electione commissam regio diademate spoliatum à Gregorio, excommunicatum fuisse, & nudis pedibus genibúsque flexis delicti veniam seu absolutionem à Gregorio VII. obtinuisse. Apostolica igitur Sedes in sua electionis possessione reintegrata, sed alio quodam modo ea vtuntur Sum. Pontifices. Fit electio à clero, à populo probatur, quod vsque ad tempora Nicolai II. 1059. fuit obseruatum. eóque tempore in Lateranensi Concilio Sum. Pontificum electiones ad Cardinalium vota remissæ, ea tamen lege vt eas electiones populus Romanus approbaret. Populus enim qui tunc temporis summum imperium in ciuitate habebat, hanc probandæ huiusmodi electionis auctoritatem sibi reseruauerat, quod obseruatum fuit vsque ad tempora Gregorij X. anno Domini 1276. quo tempore in Concilio Lugdunensi summa cum ratione & causæ cognitione institutum, vt de cætero Summorum Pontificum electiones ad solos illustrissimos Cardinales pertinerent, in conclaui forma à Concilio descripta obseruata, reiecto populi consensu, cui tamen quædam pecuniæ largitio solet erogari: & hæc vltima solemnitas vt Ecclesiæ vtilior, ad hunc vsque diem obseruatur. hæc omnia ex Genebrardi historia ex qualibet ætate excerpta sunt.

NVM. CC.

Quia erat ſequeſtrum facere per executorem iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quod eſt abuſiuum.

De poſſeſſione non cognoſcunt iudices Eccleſiaſtici.

SEQVESTRVM poſſeſſionem conſiderat, & ab inſtantia poſſeſſoria dependet. Receptum autem in regno, poſſeſſorias lites, earúmque cognitionem fori eſſe ſecularis non Eccleſiaſtici, cùm ſit regiæ auctoritatis poſſeſſores tueri. Et recepta conſtitutio Martini Papæ lata circiter annum 1429. quæ prohibet Eccleſiaſticis iudicibus de beneficiorum poſſeſſione cognoſcere, cùm hoc ad iudices ſeculares pertineat: quam ſententiam probat Guido Papæ deciſ. 1. & bullam Martini Papæ recitat: Conſule Rebuf. ita ſentientem in ſuis commentariis in conſtitut. regias, in tractatu de ſentent: executorialib. gloſ. 1 art. 3. vulgatum illud prouerbium, Quid tibi & poſſeſſioni, quid tibi & Petro. Vt autem Eccleſiaſtico iudici de beneficiorum poſſeſſione cognoſcere eſt prohibitum, ita iudici ſeculari ſeu laïco de petitorio, vt regia Franciſci primi conſtitutione videre licet, promulgata anno 1539. art. 49. 57. & 58 Fallit in regaliorum quæſtionibus, quæ tam in petitorio quàm in poſſeſſorio in ſupremo Pariſiorum Senatu deciduntur, ex regia Ludouici regis conſtitutione lata 1364 à Ruzeo recitata in

prima parte præfat. tractat. regal. num. 13. Quod multis aliis constitutionibus postea confirmatum fuit, constitutione Henrici secundi mense Septembri 1552. art. 1. registrata in Prætoriano Consilio 3 Octobris sequentis. Alias constitutiones narrat Probus quæst. 40. tract. iuris regaliæ. Cognoscunt etiam Regij iudices de aliis beneficiis in regia collatione existentibus, licèt de petitorio agatur: in his enim plenissimam habent potestatem Reges nostri, & summorum Pontificum cessat potestas, deuolutionum iura locum non habent, cùm Rex in regno superiorem non habeat, coronam & iura coronæ à Deo solo habeat, vt alio loco abundè probatum fuit ad reg. De publ. num. 280. & ad regul. De Infirm. num. 416. in fin.

NVM. CCI.

Secus postquam facta est deuolutio ad alium etiam Cardinalem.

INDVLTA enim Cardinalium dantur tantùm pro beneficiis quæ sunt in nominatione, præsentatione, seu collatione Cardinalium Ordinariorum: sed ad alia beneficia quæ pleno iure non conferunt, quæ non sunt in eorum nominatione seu præsentatione, quæ non vt Ordinarij conferunt, indultum non extenditur: & indulti verba id continere solent: Ideo si iure deuo-

luto ad Cardinalem Episcopum, vel Archiepiscopum facta sit vacantis beneficij deuolutio, cessat indulti priuilegium, & poterit Sum. Pontifex, immo Legatus præuenire. Non enim tunc Cardinalis iure proprio seu ordinario confert, sed iure veluti extraordinario, & aliunde proueniente, ex Concilio Lateranensi. & hæc Molinæi opinio seruatur in magno Regis Consilio.

EOD. NVM. CCI.

In quatuor mensibus Ordinariorum, scilicet Martij, Iunij, &c.

DICTVM fuit in Britannia, Sum. Pontificem collationum beneficiorum duas partes habere, Ordinarios verò tertiam partem. & vt in graduatis per menses facta diuisio ad vitandam confusionem, ita in iurium Ordinariorum conseruatione obseruatum fuit: & proprios menses Papa habuit Ianuarium, Februarium, Aprilem, Maium, Iulium, Augustum, Octobrem, Nouembrem; habuerunt etiam Ordinarij Martium, Iunium, Septembrem & Decembrem.

NVM. CCI. in fine. & NVM. CCXXIX in fin.

Eo quòd graduatis & nominatis præfertur. Quibus nonobstantibus dico indultum Curiæ indistinctè præferendum graduatis.

MVLTOTIES iudicatum in magno Regis

Graduati an nominatis à Senatoribus præferantur.

Consilio, nominatos à Senatoribus Curiæ Parisiensis graduatis esse præferendos; & hoc ita notissimum, vt hodie non voce, non verbis, sed pileo tenus, vt aiunt, à iudicibus Prætorianis vota emittantur. Rebuf. tamen Consil. 15. pertinaciter graduatorum partes tuetur: Graduatos publica Ecclesiæ vtilitate suadente institutos: Graduatos tempore priores, siue per Concilium Basiliense circa tempora Eugenij Papæ, siue per Concordata ante Paulinam constitutionem: Graduatorum iuribus publica Concordatorum lege institutis rescripto seu priuilegio quodam particulari Pauli III. Papæ derogari non potuisse: Nominatos à Senatoribus plus iuris non habere, quàm habent ipsi ordinarij collatores, qui graduatorum legibus subiiciuntur. Sed fortioribus rationibus præualuit Molinæi opinio. quibus adde, ante tempora Eugenij IV. Papæ Sedem Apostolicam tenentis circiter annum 1431. Præsides & Senatores Curiæ Parisiensis iure nominationis vsos fuisse, & in registris Senatus legimus an. Dom. 1303. mense Septemb. catalogum confectum Præsidum, Senatorum, & actuariorum nomina continentem, ad vacantia beneficia quemlibet suo ordine vocantem, vt refert Lucius placit. lib. 4. tit. 12. arrest. 1. Nominati enim à Senatoribus in locum, iura, & priuilegia Apostolicorum mandatariorum subrogati sunt, qui graduatis præferuntur, per §. Declarantes. de mandat. Apostol. in Conc. & omnibus innotescit

decretum Senatus anno 1545. promulgatum, quo mandatarij Apostolici in regno reiecti, & ab eorum iugo collatores ordinarij liberati, vt nominatis à Senatoribus locus daretur: eóque iure nominati à Senatoribus semper vsi sunt, vt nominationum litteræ testantur, per D. Franciscum Tanel Senatorem Paris. post indulti verificationé obtentæ an. Dom. 1539. quæ prælationis clausulam continent, & quarum exemplum refert Rebuf. Consil. 6. Et hanc Molinæi opinionem Prætoriano decreto approbatam refert Renat. Choppin. sacræ Polit. lib. 1. cap. 5. num 17. & præcedenti Senatusconsulto Parisiensi mense Quintili 1417. ante Concordatorum tempora, & Pauli III. priuilegium. Vide Molinæum inf. 229. versiculo Quibus nonobstantibus dico.

NVM. CCII.

Si enim non possit prouidere, quomodo potest ad effectum prouisionis dispensare, & derogare.

AD vitandam quæstionem hodie solent in Cancellaria Apostolica clausulam in indultis Cardinalium inserere, vt Papa non possit derogare regul. De infirm. resignant. seu de 20 diebus.

NVM. CCIII.

Sed quid si ipse Ordinarius gratam habendo resignationem.

IMPVTANDVM enim Ordinario etiam Cardinali, qui sponte nullo cogente resignationem admisit, qui suo semel functus officio denuo alteri conferre, nec variare potest: & conferendo indulti renunciauit priuilegio: aliàs de beneficiorum collationibus negotiari liceret, ac si essent in commercio: quod absurdum.

NVM. CCVI.

Quia decretum de pacificis nunquam habet locum vbicumque potest appellari tanquam ab abusu.

HÆC Molinæi opinio seruatur in Senatu. Abusus enim tempore non probatur, præscriptionum legibus non comprehenditur, pacto nec conuentioni subiicitur, & nostris temporibus Senatus Parisiensis admisit Procuratorem generalem tanquam ab abusu appellantem ab executione certi Apostolici indulti, Decano, Canonicis & Capitulo Ecclesiæ diui Martini Turonensis concessi anno 1130. Eo enim deteriora sunt crimina, quo diutius infelicem animam deti-

Vbi potest appellari tanquam ab abusu, ibi cessat præscriptio.

nent illigatam, ideo abusus causa eo deterior, quo antiquior: & cessat triennalis possessio in beneficialibus, cùm de appellatione tanquam ab abusu agitur. In iis vera & legitima persona est Procurator generalis publicæ disciplinæ vindex, contra quem cessat omnis præscriptio: potissimũ in iis quæ sunt sui muneris, puta cùm de publica vtilitate, disciplina, politia Ecclesiastica agitur.

EOD. NVM. CCVI.

Quia quamuis per solam resignationem simoniacam non sit priuatus sed priuandus.

Simoniæ species diuersæ, & quæ incapacitatem inducunt aut priuationem.

PANORMIT. in cap. vltimo de simonia, triplicem simoniæ speciem constituit: mentalem, conuentionalem, realem. De mentali simonia quæ mansit in finibus cogitationum loquitur glos. in cap. Consulere. in verbo Valuerunt. de simon. nec nocet quoad titulum beneficij, quando non processum est ad actum. De conuentionali verò, quæ ad actum non peruenit, sed in terminis & finibus conuentionis remansit, aliud est statuendum. Afficit enim clericum, simoniacum eum reddit: at non ipso iure eum suis priuat beneficiis, sed delicti commissi sententia declaratoria necessaria est. Quod probat Gomes. ad regul. de pacific. possess. quæst. 12. in fine. & nonobstante tali conuentione be-

neficia cum titulo colorato possidentur, & possidentes triennali pacificæ possessionis decreto iuuari possunt. Huicque sententiæ tam de mentali, quàm conuentionali simonia subscribit Rebuf. Consil. 63. Per veram autem & actualem simoniam (quæ realis dicitur) ipso iure vacant omnia beneficia, siue ea in quibus commissa est simonia, siue alia: lepram enim continet hæc simonia, animam ipsam afficit, vt hæresis punitur, corpúsque totum corrumpit, & infectat, & de ea loquitur Molinæus in regul. de public. num. 30. quo in loco mentalem simoniam cum conuentionali confundit, ibíque prædictam Gomesij sententiam probat. Et quando ipso iure, quando per sententiam simoniæ vitio vacare dicatur beneficium, an ex conuentionali, an ex reali consule Christophorum de Rusign. in comment. Pontific. lib. 3. cap. 18. in fine. His adde aliam esse rationem in conuentionali simonia iam adepti aut adipiscendi beneficij: in iam adepto non nocet, secus in adipiscendo ex Concilio Constantiensi, quo omnes beneficiorum electiones & collationes per simoniam adeptæ nullæ sunt ipso iure, nec sententia iuris declaratoria requiritur. Hîc autem loquitur Molinæus de simonia conuentionali in resignatione commissa, cùm ad actum non est peruentum, nec possessoris vlla facta mutatio, sed in nudis conuentionis finibus permansum est, nec ad aliquem actum peruentum. quod probat Re-

buf. in praxi benefic. titulo de simonia in resig. commissa, pleniùs dicemus inf. num. 385. Existimarunt autem nonnulli non solùm in spiritualibus, sed in spiritualitati annexis simoniã committi, puta in fructibus qui ita adhærent beneficio & ei annectuntur, vt separari non possint, ex verbis cap. Quæsitum. de Rerum permutat. Ea sunt circa spiritualia vel annexa spiritualibus, quæ verba repetuntur à Corasio in paraphrasi Sacerdotali c. 2. num. 3. & hanc opinionem confirmant ex verbis canon. Presbyter. 1. quæst. 11. Quia altare & decimas vendere simoniacam hæresim &c. & qui fundum aut decimas à beneficio dependentes venderet, simoniã committeret. Sed cùm simoniæ crimen in rebus temporalibus non committatur, sed tantùm in spiritualibus, vt tota causa 1. quæst. 1. videre licet, meliùs ij dixerunt annexorum verbo, non temporalia, sed quæ spiritualium naturam redolent venire: & quæ quasi spiritualia sunt, & extra hominum commercium & conuentionem, ex doctrina glos. in d. cap. Quæsitum. in verbo Simoniæ. de Rerum permutat. vt puta in iure patronatus laïco competenti, aut patrono Ecclesiastico. Siquis enim pecunia ad præsentationem peruenerit, si illicita pactione simoniæ crimen contrahitur in adipiscenda beneficij præsentatione. qui enim spiritualibus annexa vendit, simoniam committit: nil mutant verba canon. Presbyter. siquidem antiquo decretorum iure decimarum verbo, & altare, & loci

Simonia an in spiritualibus tantùm, an in spiritualı annexis committatur.

sacrificio dicati intelliguntur. Inde spirituales decimæ, quòd locis spiritualibus debeantur, non quòd sint spirituales.

NVM. CCVI.

Quandiu enim talis resignans remanet in possessione, potest dicere resignationem esse conditionalem.

VT Molinæi mentem aliàs obscuram concipias à num. 205. vsque ad num. 207. dic, Legatum à latere resignationem in fauorem contra facultatum suarum tenorem admisisse; resignatarium de facto beneficij possessionem, vidente & consentiente resignante, adeptum fuisse, & de facto beneficij fructus percipere: quibus positis, cùm talis resignatio nulla sit, & simoniæ speciem habeat, cùm sit in fauorem, resignatarius sit sine titulo: (idem enim est nullum, aut non habere titulum) resignans etiam iuri suo tacitè renunciauerit, possessionem à se abdicauerit, de facto possessionem amiserit, de facto dimiserit beneficium, vacat beneficium, & potest conferre Ordinarius. Sola dubitandi ratio esse poterat, resignationem conditionalem fuisse factam in fauorem certæ personæ, non aliàs: resignatum beneficium datum sub conditione, conditione non sequuta datum non videri. Vt

qui in manibus potestatem non habentis resignat, non dicatur resignasse: ita qui in manibus Legati potestatem admittendæ resignationis in fauorem non habentis. Sed præualet consensus resignantis qui de facto abdicauit à se beneficij possessionem, iuri suo renuntiauit abdicando à se beneficij possessionem sponte, nullo cogente, ideo si illico aut celeri animaduersione resignans nullitatem resignationis notet, beneficium repetere desideret, puta intra tres & quatuor menses, aut alio temporis spatio iudicis arbitrio computando, vt in L. si ita §. Si ita. in fine: de verborum oblig. cessabit ratio Molinæi, & malè eiuratum beneficium resignans repetere poterit.

NVM. CCVIII.

Reseruata collatione beneficiorum resignauerat.

Indulta Cardinalium, ad quæ referuntur beneficia.

QVIA dignitati & ordini seu Collegio illustrissimorum Cardinalium talia indulta concessa sunt, & personalia potiùs sunt quàm realia, id est beneficiis non inhæreant, ad præsentationes & collationes quæ illustrissimis Cardinalibus quoquo titulo competunt siue per reseruationes aut aliàs, referuntur. Hoc enim Romæ est veluti iuris ordinarij, summas has dignitates impedire summi Pontificis præuentionem intra sex menses; & quod specialia indulta conceduntur pro reseruatis præsentationibus & col-

lationibus beneficiorum, id fit ad ea consequenda quæ sunt iuris extraordinarij, vt puta vt regularia beneficia in commendam conferant: hæc enim specialis gratia non dependet ex compacto in Collegio Cardinalium facto à Paulo quarto, de quo suprà diximus, & est mixta, partim personalis, partim realis, cùm conceditur gratia pro regularibus beneficiis. At sustineri posset post eorum eiurationem, reuocatam gratiam: hodie tamen ad hanc ambiguitatem tollendam in his indultis de omnibus beneficiis etiam iure reseruationis ad Cardinales pertinentibus gratia conceditur, vt per indulta concessa illustrissimis Cardinalibus à Ioiosa, de Gondy, & de Sourdis videre licet: quæ omnia indulta cum quibuscunque clausulis sine vlla causæ cognitione in magno Regis Consilio probantur, & nefas ab iis clausulis abusus ergô appellare.

NVM. CCX.

Illud statutum iustum esse & sanctum, etsi non fuisset factum in conclaui, vel aliàs.

EX his reprobatur sententia existimantium indulta Cardinalium contra præuentiones Sum. Pontificis, & derogationem ad regulam de 20. diebus, odiosa, & restringenda; immo amplectenda, vt fauorabilia, & extendenda, vt anti-

quo iuri conuenientia. & notanda verba Molinæi posita inf. num. 211. vers. Qui vim iuramenti, voti, pacti & legis simul habet. Ideo ante verificationem in magno Regis Consilio locum habent hæc indulta contra præuentionem & derogationem ad reg. de 20. diebus: iuris enim communis ratio id postulat, nec tam consideratur quod Cancellariæ Apostolicæ ministri contra ordinariorum collatorum iura, corruptis moribus, vsurparunt, quàm quod ex pura canonum doctrina obseruari debet.

EOD. NVM. CCX.

Vel si resignans non fuisset infirmus.

QVÆLIBET enim derogatio siue ad regulam de infirmis, siue ad reg. de 20. diebus reprobatur. Quod non tantùm in Legato obtinet, sed etiam in prouisionibus Apostolicis. Siquidem per illud solemne compactum iura Cardinalium ad ius primæuum, puta ad Concilium Lateranense referuntur & reducuntur, quo libera ordinariis collatoribus conferendi facultas intra sex menses conceditur, reiecta omni præuentione: eóque tempore beneficiorum resignationes Romæ non admittebantur: Summi Pontifices falcem in messem Ordinariorum non mittebant: nondum nata regula de infir. resignant. nec

Nec præuentiones, nec derogationes ad Regul. Cancel. Apost. erant inuentæ. Et ita pro Prioratu Aleonio in diœcesi Andegauensi ab Abbatia sancti Albini dependente iudicatum in magno Regis Consilio contra resignatarium, in cuius fauorem derogatum fuerat ad regulam de infirmis, licèt resignans tempore admissæ resignationis nulla detentus esset infirmitate: referente domino Haligre mense Septembri 1605.

NVM. CCXI.

Quia constitutio Ludouici XII. Art. 2. correcta est.

LVDOVICI XII. constitutione anno 1512. publicata de mandatis & præuentionibus Apostolicis, beneficiorum qualitas distinguebatur, & in quolibet qualitatis numero mandatarij iura sua exercebant, si decem dignitates, si decem simplicia beneficia, & qui nouem tantùm dignitates, à mandatariorum iugo liberatus erat, licèt vndecim alia haberet in collatione beneficia. Sed per tit. de mandat. Apost. in Concord. versic. Hoc modo videlicet vnum collatorem habentem, hæc distinctio sublata fuit; nec enim qualitatem beneficiorum in mandatis Apostolicis, sed numerum consideramus. Sed cur 50. beneficia habentes duobus mandatis Apostolicis onerantur; virtute autem indulti, Sena-

toribus Curiæ Parlamenti concessi, vno tantùm onerantur? Dic ex verbis indulti hoc decidendum, Ordinarij collatores semel in vita vno tantùm mandatario onerantur.

NVM. CCXII.

Sed tum nulla, tum subreptitia est, nisi mentio fiat quòd beneficium spectat ad prouisionem ordinariam Cardinalis.

MVLTOTIES & in Prætoriano Regis Consilio, & in aliis Franciæ tribunalibus summis iudicatum, derogationem ad regulam de 20. diebus nullam & abusiuam, factam in præiudicium indulti Cardinalis, & hodie indulta clausulam continent talem derogationem annullantem. Sed ad vitandam odiosam illam & minùs vsitatam appellationum tanquam ab abusu frequentiam, satius esset has derogationes nullitatis via emendare, quod facillimum cùm in omnibus rescriptis gratiæ ea Papæ sunt exprimenda, quæ suam Sanctitatem tardiorem difficiliorem reddere potuissent.



NVM. CCXIII.

Quia non censetur hanc reseruationem, seu ius reseruatum habere iure Apostolico.

EX sententia Molinæi reseruationes collationum beneficiorum ab eiurantibus sua beneficia petitæ tolerari possunt. idem num. 323. 451. & in Regula de public. num. 443. Et hoc decreto magni Consilij super præbenda Ecclesiæ Parisiensis iudicatum 1. Augusti 1539. Et recitat Probus in tract. Regal. quæst. 32. hypothesim de Episcopo Parisiensi, qui eiurando Episcopatum sibi pensionis nomine collationes retinuerat: & Rebuf. in §. 1. de mandat. Apost. in Concord. in verbo Quinquaginta, versiculo Quæro si vni reseruatæ sunt, eam opinionem sequitur: nec post indultorum verificationem collationum beneficiorum reseruationem continentium, vlla superesse potest dubitandi ratio. Nihilominus multi has reseruationes collationum reprobarunt, vt ipse Molinæus, per rationes hîc adductas, Probus in d. quæst. 32. Rebuf. tam in Praxi beneficiali tit. de reseruat. num. 13. 14. quàm in Concord. ad titulum de reseruat. & Basiliensi Concilio omnes reseruationes damnatæ fuerunt, & in Concilio Turonensi in cap. Moribus. de præbend. & per Concordata tit. de re-

An resignans possit licitè collationes retinere, & eas à titulo beneficij separare.

X ij

ſeruat. ſublat. Nec in iure hæc collationum reſeruatio reperitur. Collationum enim reſeruatio beneficiorum ſectionem & partitionem admitteret contra ſanctorum Patrum decreta, quibus vetitum Eccleſiaſtica beneficia cum diminutione conferre, toto titul. Vt Eccleſiaſtica benef. ſine diminutione confer. & ipſe Probus in §. Ipſas omnes. in verbo Execrabilis. verſ. Ideo Galli in fine. de Reſeruat. in Pragmat. reſeruationes omnes quæ non ſunt in corpore iuris approbatæ, in regno reprobari teſtatur: quæ probari poſſunt per §. Volumus de Reſeruat. in Concord. ibi enim promittit Sum. Pontifex nullas de cætero reſeruationes concedere ſub clauſula nullitatis: & iniquum ſemper exiſtimaui parochiales Eccleſias ab his conferri qui Epiſcopali dignitate aut priuilegio deſtituti erant. Nil mutat, in iure receptum reſignantem aliquem eiurati beneficij fructuum portionem penſionis nomine retinere poſſe, toto titulo de Clericis ægrot. Verum enim in fructibus lucratiuis, prætium & æſtimationem habentibus, quæ homini ad victum, veſtitum, & ad alia neceſſaria prodeſſe poſſunt: non autem in fructu honorifico æſtimationem non recipiente, vt ſunt beneficiorum collationes. Et recitat Papon. in ſuis Arreſtorum collect. à tali collationum reſeruatione abuſus nomine ad Senatum appellatum, & cauſam Concilij Patres iudicaſſe; & referunt, Cardinal. à Caſtellonio in ſimili quæſtione ab vno ex Præſidibus

summis Senatus consilium petiisse, cui respondit collationum eiuratæ Abbatiæ reseruationem Henrici secundi fauore & summa Papæ potestate obtinuisse, id autem ratione tueri non posse: vnde euenit vt qui has reseruationes obtinent, aulicos Senatores sibi propitios stipulantur in Prætoriano Regis Consilio, in quo vsu receptum beneficiorum simplicium reseruationes à summo Pontifice fieri posse, immo & Prioratuum conuentualium curam animarum habentium, vt indulto illustriss. dom. Cardinalis à Ioyosa reseruationem collationum à monasteriis maioris Monasterij, & sancti Florentij in diœcesi Turonen. & Andegauen. dependentium videre licet; & hodie etiam in summis Franciæ tribunalibus conniuentibus oculis hæ beneficiorum simplicium, & Prioratuum conuentualium reseruationes tolerantur, si modò in beneficiis consistorialibus Regis nostri accedat consensus. Nec quis existimauerit appellationem tanquam ab abusu in Senatu Parisiensi à Procuratore Generali, ab executione indulti illustrissimo domino Cardinali de Gondy concessi à Sede Apostolica pro reseruatione fructuum & collationum Episcopatus Parisiensis ob beneficia simplicia interiectam: sed propter quasdam clausulas in dicto indulto contentas, quæ quid extraordinarij continere videbantur. Existimarunt nonnulli prohibitionem factam Legatis etiam à latere in modificatione facultatum Cardinalis Legati de Verallo harum

collationum reſeruationem Papæ conceſſiſſe. Sed hoc neceſſariò non concludit.

Et notanda Molinæi diſtinctio, admiſſam collationum reſeruationem, vt beneficia iure ordinario conferantur, veluti reliquiæ ordinariæ poteſtatis, & vt beneficia graduatis, mandatariis à Senatoribus nominatis, ſubiiciantur. Si autem auctoritate Apoſtolica, vt Legati Papæ, conferunt beneficia qui reſeruationes obtinuerunt; hoc erit abuſiuum: cùm Papa vicarios in regno habere non poſſit ad conferenda beneficia. Legatum quidem iuris ſeruata ſolemnitate creare poteſt, alios vicarios non poteſt. Ideo ſi in concedenda Romæ beneficiorum reſeruatione, clauſula in bullis inſcribatur (auctoritate Apoſtolica) vtile per inutile non vitiabitur: ſed omnia ad iuris rationem erunt referenda. Si quid autem mali exempli ſit in ea collationum reſeruatione, Procurator Generalis publicæ diſciplinæ vindex per appellationem tanquam ab abuſu quod contra iuris regulam conceſſum Romæ fuit, ad iuris rationem & normam reducendum procurabit: quod niſi magna cum ratione fieri conſueuit: puta ſi in ea beneficiorum reſeruatione parochiales Eccleſiæ contineantur: iuris namque canonici decreta poſtulant, vt Rectores à primo Rectore Epiſcopo inſtituantur, ab eo approbentur, ſunt veluti vicarij Epiſcopi quoad Sacramentorum adminiſtrationem: & ita intelligenda Molinæi verba.

Nec eorum opinioni subscribere possum, qui ex qualibet collationum reseruatione etiam canonicè facta tanquam ab abusu licitum prouocare existimant: cùm Episcopatus possint esse sine præbendarum Ecclesiæ cathedralis collatione, vt in plurimis cathedralibus Ecclesiis videre licet, in quibus præbendarum collatio datur Capitulo: & ex iuris canonici dispositione harum præbendarum collatio ad Episcopum & Capitulum ex æquis partibus pertineat.

NVM. CCXIII.

Sed censetur habere iure ordinario, & tanquam reliquias prioris ordinariæ potestatis.

NON iure ordinario, sed virtute prouisionum Apostolicarum reseruationem continentium. qui enim eiurauerit beneficium, Ordinarius esse nec dici potest, cùm titulo careat. Notanda autem hæc verba Molinæi (tanquam reliquias:) necessariò enim requiritur vt harum collationum reseruatio fiat in ipsa beneficij eiuratione, aliàs nulla.



NVM. CCXV.

Etiam ſi non præuenerit patronum, non poteſt præueniri à Papa.

SI ius indulti ſpectes vt exhauſtum ex fontibus decretorum Lateranenſis Concilij, & illa indulta ex antiquo illo iure repetantur, Ordinarij in iis quæ iure ordinario conferunt, à Papa præueniri non poſſunt, pendente ſex menſium ſpatio. cap. 2. cap. Quia diuerſitatem. cap. Dilectus. de Conceſſ. Præbend. Ordinarij collatores patronos Eccleſiaſticos etiam intra ſex menſes poſſunt præuenire, ídque iure ordinario, & valida erit collatio, patrono aut ab eo præſentato non conquerente, vt ſuprà diximus: & ea ratione extendenda indulta exiſtimat Molinæus, ſcilicet ad beneficia quæ ſunt in nominatione, præſentatione patronorum, aut collatione Cardinalis, nec ſine ratione inſanit Molinæus. Sed ſi indultorum verba conſideres, ad beneficia quæ ſunt in præſentatione aut plena collatione Cardinalium limitanda erunt. Quæ verba legem dant priuilegio ſeu indulto, & ab eis ſenſum & interpretationem recipit.

NVM.

NVM. CCXVI.

Sed hîc beneficium spectat ad hunc Ordinarium iure proprio, quum iure suo primitiuo, natiuo & originali plus habeat iuris quàm patronus.

EPISCOPI enim plus iuris habent in iis beneficiis quæ iure proprio ad patronorum præsentationem conferunt, quàm in iis quæ à iure deuoluto ob negligentiam, aut malam prouisionem collatorum. Primo casu verè sunt Ordinarij Episcopi, non tantùm ex ipsis fundationum tabulis, sed ex lege diœcesana, & iuris dispositione quodammodo domini. Alio verò casu iure quodam speciali ex Lateranensis Concilij dispositione conferunt. Sed quid si Episcopus sit Cardinalis, an vtroque casu indulti gaudebit priuilegio, & quoad præuentionem Summi Pontificis, & huic regulæ derogationem? pendet ex verbis indulti, an ij casus in eo exprimantur: in indultis enim non expressa pro omissis habentur: sunt enim gratiæ, non iustitiæ concessiones, quæ à propria verborum significatione non recedunt. & extraordinarium in indultis comprehendi ea beneficia, quæ iure deuoluto conferri possunt per illustrissimos Cardinales.

Alia potestas Episcoporum in beneficiis, quæ ad præsentationem conferunt; alia in iis quæ iure deuoluto.

NVM. CCXVII.

Et generali consuetudine Ecclesiæ ante illud Concilium.

CAP. Nulla. de concessione præbendæ apud Gregor. ex Lateranensi Concilio depromptũ est. Sed cùm ante Lateranensis Concilij tempora ea esset in Ecclesia consuetudo, nec in Conciliis generalibus vel prouincialibus legisse memini, nec affirmare velim, præuentionem contra Ordinarios Romæ in vsu fuisse, & in eo opinioni Molinæi subscribo, versicul. Quia etiam tempore decretalium. Sed si Probi verbis fides adhibenda sit in Scala benefic. prima parte in principio, in aurea illa ætate tota beneficiorum dispositio solis dabatur Episcopis, & in iis spiritualibus negotiis omnimodam habebant potestatem : per deuolutionem beneficiorum collatio Summo Pontifici nondum dabatur : prima hæc fuit deuolutionis institutio antea incognita. Sed ferrea ætas argutias & spinosas spiritualium controuersiarum quæstiones secum adduxit, & tandem subtilitas æquitatem, potestas veritatem superauit, & sic Ordinariorum iura periere.



NVM. CCXVII.

Nec eſt abſurdùm quòd Ordinarius hoc caſu habeat duo ſemeſtria.

SVB limitatione adducta ſup. numero præcedenti, poterit Cardinalis tria habere ſemeſtria: ſex menſes ratione nominationis, ſex ratione præſentationis, ſex ratione collationis. Sed indultorum verba hanc extenſionem impediunt, à quibus vix eſt recedendum.

NVM. CCXIX.

Seſe enim exonerat conferendo mandatario, vel ei conſenſum ſuum qualitercumque adhibendo.

NOTANDA hæc Molinæi ratio: cùm enim de commodo illuſtriſſimorum Cardinalium agitur, de eorum liberatione indultum eiúſque efficaciam communicant nominatis à Senatoribus. Sed an huiuſmodi nominati tali indulto inuitis & contradicentibus Cardinalibus vti poſſunt? Dicebant nonnulli tale indultum perſonale addictum qualitati, non beneficio Cardinalis; Cardinalem eo vti, non quia E-

Cardinalium indulta an iis inuitis poſſint tertio communicari.

piſcopus, aut cœnobiarcha, ſed quia Cardinalatus præfulget honore; à Senatoribus nominatos nil prorſus cum hac dignitate commune habere, ad Ordinarios oculos tantùm intendunt, iuréque ordinario tantùm vti, ad inſtar graduatorum, qui Cardinalium non vtuntur indulto. Contrarium tamen in Prætoriano Conſilio obtinuit. Tale enim indultum non merè perſonale, ſed mixtum, conceſſum Cardinali Ordinarij qualitatem habenti: & faciliùs Cardinalium collegio tale conceſſum indultum, quia antiquo iure ex Lateranenſi Concilio omnibus dabatur ordinariis collatoribus, in cap. 2. de conceſ. Præbend. nec eo in caſu dignitas à qualitate debet ſeparari, ideo nominati à Senatoribus non tantùm Ordinarij iure vtuntur, ſed etiam priuilegio accidenti qualitati Ordinarij, & ita qualitas cum dignitate, & dignitas cum qualitate confunduntur: nec tale priuilegium à collationibus beneficiorum ſeparari poteſt. At longè diſtat graduatorum cauſa, cùm ij diſtinctos & ſeparatos menſes habeant, in quibus Ordinariorum ceſſat poteſtas. Maior dubitandi ratio fuit in perſona Cardinalium reſeruationem collationum habentium, qui ſemel indulto Senatus grauati, nil in eorum liberationem ampliùs obuenire poterat, cùm nil ampliùs negotij habeant cum iis nominatis, nec ſint ordinarij collatores, nec perſonale hoc in ſpeciali reſeruationum iure ſit indultum: & ita pro Prioratu de Leone Andegauenſi iudi-

cauit Prætorianum Consilium mense Septembri anno 1605. domino Haligre referente, contra Senatoris nominatum, pro instituto à domino illustrissimo Cardinali de Gondy Abbatiæ sancti Albini collationes reseruationis iure habenti.

NVM. CCXX.

Omnes enim, ad quos ius prouidendi deuoluitur, debent eisdem personis prouidere, quibus hi à quibus facta est deuolutio, tenebantur.

HÆc est communis opinio, fit enim deuolutio cum sua qualitate: & vltra auctores hîc à Molinæo citatos vide §. Siquis verò. in verbo Prouisiones. de collat. in Concordat. Qui eisdem personis modo præmisso qualificatis prouidere teneantur. Nam in iis deuolutionibus res transit cum suo onere & sua qualitate: hanc opinionem sequitur Rebuf. in tract. nominat. quæst. 8. num. 11. & fit deuolutio semper ad superiorem ex 1. Rot. decis. de suppl. negligentia Prælat. in antiquioribus. Arg. L. cogi. §. Martianus. ff. ad Trebellia L. penult. §. cùm autem. C. ad Trebel. In iis enim spiritualibus causis onus beneficio iniunctum à beneficio non separatur, sed beneficiũ quocunque iuerit sequitur. Nec igitur per deuolutionem mutatur qualitas beneficij.

Beneficiorum deuolutio fit cum sua causa, & beneficij qualitate.

NVM. CCXXVIII.

Addidit tamen ne acceptare tenerentur infra valorem ducentarum librarum Turonensium.

AD litteram hæc restrictio in Prætoriano Consilio hodie seruatur. & si vacantia beneficia sint eiusdem reditus, tenent à Senatoribus nominati, etiam inuiti, illa acceptare: quod contra iuris rationem obseruari videtur, cùm tale indultum sit gratiosum fauore summo amplectendum; indulti tempus considerandum, quo à Sede Apostolica concessum fuit. Sed quia libra Turonensis certum habet pretium, nec auget nec minuit, bonitas monetæ non attenditur: verba indulti immutari non potuerunt, aliàs iudicantium arbitrio limitanda relinqueretur quæstio, reditus beneficij esset semper in incerto, & cùm agitur de liberatione ordinarij collatoris, & sint quodammodo creditores nominati à Senatoribus, tutius est indulti verba in vera significatione sine vlla extensione liberationis fauore accipere.



NVM. CCXXIX.

Quamuis non fuerit publicatum in hoc Senatu, nisi die 28. Iunij 1538.

SATIS mirari non possum Cardinalium nostri temporis incuriam, qui indulti verificationem non in Parisiorum Senatu, sed in magno Regis Consilio postulant: existimant nonnulli id Francisci secundi & Caroli IX. Regum temporibus factum, Regia Curia per diuersas regni partes cum ipso magno Consilio deambulante: domini enim Cardinales aulicos sibi alioquin propitios iudices quærebant, iudices ordinarios sanctorum canonum rigidos obseruatores spernebant, vel potiùs consistorialium beneficiorum causas magno Consilio attributas, & ipsos Cardinales spectantes id introduxisse.

NVM. CCXXIX.

Tum indulta Cardinalium non sunt data nisi vt Ordinariis.

VLTRA rationes à Molinæo adductas, indultum Curiæ Parisiensi concessum, tempore Cardinalium indulta præcedit. Indultum Curiæ in Senatu Parisiensi probatum & homologatum,

cui Papa derogare duplici obstante vinculo non potest. Cardinalium indulta Ordinariorum onera non reiiciunt, immo iis subiiciuntur: & verum Cardinalium indultum in mera conferendorum beneficiorum libertate consistit, contra Apostolicas præuentiones & derogationes conceditur, nunquam contra Ordinariorum iura & onera, cùm pro fundamento antiqua & vera Ordinariorum iura habeat.

NVM. CCXXX.

Ex eo quod non fuit expressum quòd aliàs beneficium debebatur.

QVIA noua Tridentina constitutione Parlamenti Senatoribus concessæ nominationes sunt reuocatæ, inutile Romæ exprimere beneficium resignatum à Senatore nominato esse affectum. De resignationibus beneficiorum in graduatorum mensibus factis, necessariam non esse expressionem multoties iudicatum, cùm per Concordata (in Cancellaria Apostolica registrata) menses graduatis affecti designati sint. Vnum superesse posset, cùm resignata beneficia sunt in collatione, aut cùm super familiaribus Cardinalium obtinentur: certum enim eo casu Summum Pontificem, aut eius datarium ad concedendam gratiam difficiliorem. Sed vix hæc

moribus

moribus nostris probantur: qualitas enim Cardinalium, nec priuilegia eorum collegio concessa, impedire debent beneficiorum in eorum dispositione existentium liberam resignationem: adde resignantes ignorare eiurata beneficia in Cardinalium dispositione. Nec minus impediri debent impetrationes beneficiorum super domesticis vel familiaribus Cardinalium, cùm ij domestici canonum regulis subiiciantur, nec eorum incapacitas domini qualitate suprema validetur.

NVM. CCXXXI.

Consequenter non poterit in præiudicium nominati super Cardinali.

DICTVM fuit suprà non tantùm Legatum etiam à latere, sed nec Summum Pontificem regulæ de 20. diebus, seu de infirm. resignant. derogare posse in præiudicium indulti Cardinalium: dictum etiam Cardinalium indultum tertio communicari, cùm de Cardinalium commodo agitur. Cùm igitur à nominationis iugo se exonerare volunt, cùm eorum iuribus præiudicat derogatio, cùm eis interfit regulæ non derogari, nulla prorsus & inutilis Legati derogatio ad regulam de infirmis. Et hæc est Molinæi opinio prædicta, amplianda in beneficiis à Cardinali debitis ratione iu-

cundi aduentus pro fidelitatis iuramento. Sed an tale indultum graduatis ſimplicibus communicandum, ratio dubitandi erat: graduatos menſes diſtinctos & ſeparatos habere à collatione Ordinariorum; nil in eorum menſibus Ordinariis prorſus metiri, negotium omnino diſtinctum. In contrarium dicebant, per Concordata in §. Statuimus. de collat. Ordinariis gratificationem conceſſam, vt quem ex graduatis ſimplicibus eligere vellent, gratificare poſſent, hanc gratificationem collationem puram, & donationem dici poſſe, vt quælibet alia Ordinarij prouiſio, nec minùs ij graduati ſimplices Ordinario obligantur, ex ea electione ſeu gratificatione, quàm alij ex alia collatione beneficij in menſe libero vacantis. Contrarium obſeruatur, cùm beneficia in menſibus graduatorum, ſiue nominatorum, ſiue ſimplicium vacantia non ſint in mera Ordinariorum collatione, menſes enim graduatorum ab Ordinariorum menſibus ſeparantur & diſtinguuntur, & ſi gratificatio Ordinario concedatur, eſt de perſona incerta ex certis, collatio tamen neceſſaria, nec alteri ſub pœna nullitatis & mulctæ fieri poteſt, §. Siquis autem graduatorum. verſiculo Eodémque vinculo. de collat. in Concord. nec eo ſpeciali caſu Cardinales in aliquo exonerantur, cùm graduatorum etiam ſimplicium qualitas Cardinalis beneficia onerare poſſit, & cùm Cardinales graduatorum qualitate non obligentur, eis concurri non poteſt indultum.

NVM. CCXXXII.

Sed post biduum nepos defuncti impetrat Romæ per resignationem cum clausula etiam per obitum.

DICTVM fuit sup. Summum Pontificem non tantùm Ordinarios, sed à Senatoribus nominatos (qui Ordinariorum iure vtuntur) posse re integra præuenire, non solùm per §. Declarantes. de mandat. Apost. in Concordat. sed etiam virtute indulti Senatoribus concessi: quo Paulus tertius nominatos & mandatarios præuenire posse declarauit: & hæc est Molinæi sententia inf. num. 237. & ita quotidie obseruatur in magno Regis Consilio: ibíque iudicatam refert molinæus num. 237. Maior dubitandi ratio esse poterat ex regula de verisimili notitia, cùm per rerum naturam sit impossibile tam breui temporis spatio Summum Pontificem aut eius datarium adire, scilicet inter diem obitus, & præuentionem per obitum. Et in hac quæstione magna inter Molinæum & Glos. Prag. Sanct. contentio, existimante Molinæo locum esse regulæ de verisimili notitia, cùm quis Romæ iter arripuit cum mandato ad eiurandum beneficium in fauorem certæ personæ, & obtinet per obitum primo vel secundo die obitus resi-

Et nominatos & graduatos præuenire potest Papa.

De præuentione Papæ in regula de verisimili notitia.

gnantis, & nullam eo casu esse Papæ præuentionem propter regulam de verisimili notit. quæ certum, legitimum & verisimile temporis spatium requirit. quod validissimis rationibus probat ad Reg. de verisimili notitia, à num. 36. ad num. 49. Glos. verò Prag. Sanct. in §. Neque etiam. in verbo, Facienda. de collat. contrarias partes mordicus tenente, cùm ob alium modum vacationis procurator Romam ierat, negotij spectandum initium: & Probus ad dictam Glos. num. 7. testatur opinionem Glos. Prag. Sanct. in Gallia tam in consulendo quàm in iudicando obseruari. & eam Glos. opinionem amplectitur Rebuf. in §. Declarantes. de mandat. Apost. in Consil. in verbo Præuentionis. vers. Intellige hanc præuentionem. Cùm enim talis prouisio per obitum bonum initium habuerit, tempus verisimilis notitiæ à die mandati ad resignandum, vel potiùs ab eo die quo cursor ad deferendum Romæ mandatum cucurrisset, non à die obitus resignantis computari debet, quod probat Rebuf. in Prax. benef. ad regul. de verisimili notitia, glos. 4. in verbo Per obitum. & Ioan. de Selua tract. de benef. tertia parte quæst. 46. vers. Et si in partibus existens. Nec hoc in dubium reuocare licet, cùm ipsemet Molinæus senatusconsulto Prætoriani Consilij decisam quæstionem concedat inf. num 237. Iulij 27. anno 1557. Ne quis igitur in posterum Molinæi rationibus alioquin validissimis decipiatur, vsus enim communis fori suas rationes superauit.

NVM. CCXXXII.

Quo recuſante habet collationem à ſuo executore.

VNVS ex indulti executoribus eſt Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis. vacante igitur beneficio per obitum, nominatus à Senatore beneficium ab Ordinario ſeu eius vicario requirere debet in propria perſona, aut per procuratorem: & Ordinario recuſante, à Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis prouiſio obtinetur. Ordinarij autem verbo eum, ſuper cuius beneficio nominatio facta fuit, qui indulto & nominatione grauatur, intelligas, & prouiſione ab eo Ordinario, aut in eius denegationem à Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis obtenta, adipiſcitur beneficij poſſeſſio iuris ſolemnitatibus obſeruatis, & à magno Regis Conſilio prouiſio obtinetur ad eos euocandos, qui in beneficij poſſeſſione perturbare contendunt.

NVM. CCXXXVI.

Sed ex compacto Papa habet ibi octo menſes ſibi reſeruatos, in quibus vel vacationibus tunc occurrentibus Ordinarij nil poſſunt.

QVIA per Concordata & antea per Prag. Sanct. ordinarij collatores certos menſes *De poteſtate Papæ in Armo-*

rica prouincia in octo mensibus ei reseruatis.

ad conferenda beneficia habebant, alios verò graduati nominati & simplices, nulli autem Sum. Pontifici reseruati erant: Apposité Sum. Pontifices post Britanniæ & Prouinciæ vnionem ad coronam Franciæ, literis patentibus & Regum declaratione speciali, iura sua seu potiùs priuilegia conseruare voluerunt. Et refert Rebuf. Consil. 6. in fine patentes literas Henrici II. Regis Christianissimi Lutetiæ concessas 4. Iunij 1549. quibus declarat per Concordata Sedis Apostolicæ iuribus derogatum non fuisse, Pontificum iura illæsa permansisse, siue in collatione beneficiorum per octo menses, siue in pensionum collatione. Sunt autem ij octo menses reseruati Sum. Pontifici, Ianuarius, Februarius, Aprilis, Maius, Iulius, Augustus, October & Nouember. Alij quatuor Martius, Iunius, September & December Ordinariis conceduntur; sorte quidem inæquali, in iis namque octo mensibus Ordinarij nullas ab infirmis resignationes, nec quidem permutationum prætextu admittere possunt, sicut nec vacantia beneficia conferre. Summus enim Pontifex in his octo mensibus nec parem nec socium in collatione beneficiorum habere desiderat: at in aliis quatuor mensibus Summus Pontifex sua potestate ordinaria vtitur, resignationes admittit per obitum, Ordinarios præueniendo confert: quidquid in contrarium sentiat Molinæus num. 236. cuius opinio reuocata, & penitus contra Ordinariorum

libertatem suppressa fuit, tribus Henrici secundi edictis in Armorico Senatu, multis iteratis iussionibus, & reclamante Procuratore generali Regis, publicatis tertia Septembris 1549. 4. Ianuarij 1553. 18. April. 1553. & ita antiquæ modificationes seu limitationes Senatus pro conseruatione iurium Ordinariorum appositæ, veluti sepultæ ad hunc vsque diem dormierunt. Accepi tamen à quibusdam magni nominis Armorici Senatus, Ordinarios in iis octo mensibus resignationes sine fraude admittere posse, & hoc in Senatu tolerari, maximè in personam eorum qui alternatim non vtuntur beneficio.

NVM. CCXXXVII.

Prioratus verò Renensis nominato Curiæ.

An nominati à Senatoribus in Armorica prouincia habeant os apertum.

PROBAT hîc Molinæus indultum Senatoribus Senatus Parisiensis concessum, in Britannia locum habere, cùm Britannia regni partem faciat, sit regno & coronæ vnita 18. Nouembris 1532. Indultum autem Senatui concessum sit à Paulo tertio anno Domini 1539. omnes regni Ordinarij huic subiiciuntur indulto, & ad eius obseruationem obligantur, cuius indulti exemplum fideliter recitat Rebuf. Consil. 6. Sed si re integra agitanda esset hæc quæstio, nullóque decreti Prætoriani Senatus præiudicio iu-

gulata, Armoricæ prouinciæ Ordinarij, seu patroni Ecclesiastici ab huius indulti seruitute se liberare possent: Cessant in Britannia graduati tam simplices quàm nominati, cessant mandatarij Apostolici, quia quatuor menses dantur tantùm ordinariis collatoribus & patronis Ecclesiasticis, in quibus cessant gratiæ expectatiuæ per compactum antiquum cum Sede Apostolica factum: ideo indulto Curiæ non debent comprehendi, nec in eo etiam nominantur, nec tali compacto derogatum. Sed hæc omnia penitus superflua & inutilia, cùm decretis quamplurimis decisa sit quæstio, tam pro beneficiis Britanniæ quàm Prouinciæ. Referunt in magno Regis Consilio alio decreto hanc quęstionem decisam pro nominato à domino Duual Senatore Parisiensi pro Prioratu de Monfort in partibus Britanniæ existente. Maior dubitandi ratio de beneficiis in mensibus Papæ vacantibus. Negant nonnulli in his indultum Senatorum locum habere, cùm ad Ordinariorum collationes tantùm locum habeat, Ordinarij autem in his mensibus nil penitus possunt. Alij contrà, Summum Pontificem Ordinariorum iure in iis octo mensibus vacantia conferre beneficia, non summi Pontificis auctoritate id facere, cùm extra Britanniam absoluta Papæ potestas extendatur, eóque iure alibi vti posset. & citant Molinæi verba hîc inscripta num. 237. Indultum istud debet in Britannia locum habere, nulla distinctione adhibita mensium

aut

aut Papæ, aut Ordinariorum. Ego verò existimo Sum. Pontificem non tam Ordinariorum iure, quàm priuilegio quodam speciali Sedi Apostolicæ antiquitùs concesso, & per Regem Henricum II. confirmato id facere, nec ad hunc vsque diem decisa in Prætoriano Consilio quæstio.

NVM. CCXXXVIII.

Non est ius specificum certum, sed vagum & incertum, & nullomodo ius ad rem quæsitum esse in specie, sed tantùm in genere.

DICTVM fuit suprà ius ad beneficium impedire præuentionem Summi Pontificis, cùm res non sit integra. Rectè autem Glos. Prag. Sanct. hîc à Molinæo citata existimat, ius ad vacatura beneficia competens, seu ad iam vacantia virtute mandatorum, seu nominationum esse non tam ad beneficium, quàm in spe ante requisitionem beneficij: ius nudum incertum nec impediens quin res dicatur integra: ideo locus est præuentioni: aliàs nulla omnino posset effingi aut imaginari præuentio in beneficiis per obitum vacantibus in mensibus graduatorum, vel in beneficiis nominatis aut mandatariis affectis. Sola igitur requisitio ius ad beneficium acquirit graduatis & nominatis, vt existimat hîc Moli- *Expectantium spes ad vacatura ius nec in beneficio nec ad beneficium tribuit, nec præuentionem Papa impedit.*

næus, verſiculo Sed ante ſpecialem requiſitionem.

NVM. CCXXXIX.

Deinde Rex Henricus ſecundus eiuſdem Eccleſiæ Capitulo alium Conſiliarium nominauit.

Qui Ordinarij indulto Curiæ grauari poſſunt, & quando?

EX indulto ab Eugenio & Paulo tertio Senatui Pariſienſi conceſſo quilibet Ordinarius decem habens beneficia in ſua præſentatione, ſeu plena diſpoſitione, poteſt ſemel in vita grauari. & dubitatum fuit quando Eccleſiarum Capitula, & aliæ Communitates quæ ſubrogatione perpetuantur nec tempore pereunt, indulto grauari poſſunt. Nonnulli Epiſcopi mutatione, ſeu eius qui caput eſt Eccleſiæ, id fieri poſſe dixerunt. At indultum requirit Ordinarij patroni, vel collatoris mutationem; quæ verba in Capitulo, aut Communitate quæ non mutatur, verificari non poſſunt: hominis vitæ ſpatium puta 70. annorum ſpectandum, ſemel enim in vita Ordinarij grauari tantùm debent. Sed quia huius indulti virtus omnes quoſcumque Ordinarios afficit, ligat, & comprehendit, magni Conſilij iudices quadam æquitate ex qualibet Regum noſtrorum mutatione Capitula, & Communitates indulto grauari poſſe hac ratione ſtatuerunt, quia Reges Capitulorum & Communi-

tatum sunt vtplurimùm primi fundatores, sunt patroni & protectores. Citat hac de re senatusconsultum Renat. Chopp. lib. 2. de Domanio cap. 10. num. 18. in fine, Non. Decembris 1548. Quod ex verbis Molinæi colligere est facillimum, & ita hodie obseruatur. Morte enim Regum nostrorum obtineri solent à Senatoribus nominationes super Capitula, & Communitates decem in prouisione seu collatione beneficia habentes. Notanda verba Molinæi num. 241. vers. Capienda sit ex persona Regis nominantis, & versiculo Ita etiam Rex noster Henricus.

NVM. CCXLII.

Sed pōssidebat tanquam Commissarius Regis, cuius nominationem (placitum vulgò vocant) habebat.

VARIATVM in magno Regis Consilio de duobus nominatis, vno post Regis nominationem, alio post prouisionem insinuantibus, & ius eorum potior esset, & tandem iudicatum pro primo nominato post Regis nominationem. Cùm enim Regis nominatio electioni successerit, electio autem ius ad beneficium tribuat, ex Glos. in can. Quanto. in verb. Relatio. 63. distinct. certum per talem electionem seu nominationem titulum mutari; quod intelligendum,

ſi modò hanc regiam nominationẽ Bullæ ſequantur: nuda namque nominatio (*Breuet* noſtri vocant) reuocari, mutari, ſupprimi pro arbitrio poteſt. Maior dubitatio quando hanc nominationẽ ſubſequutæ ſunt literæ Regis ad Summum Pontificem, & ad protectorem Franciæ, nulla autem ſubſequuta prouiſio Papæ, at tacita. Et ita communis in his obtinendis regiis nominationibus olim fuit facilitas, vt iudices Prætoriani ex variis circumſtantiis variè iudicarint, maximè cùm hæc nominatio ſuum ſortita non fuerit effectum, in finibus puræ & nudæ nominationis remanſerit.

NVM. CCXLIV.

Breuiter cenſeo nominatum Curiæ potiorem, & vincere debere.

Prouiſio Ordinarij ius nominati conſeruat.

NVLLA dubitandi ratio cùm Ordinarius Papam præuenerit. Ordinarij autem prouiſio impedit Sum. Pontificis prouiſionem, eámque nullam reddit, & ita ius nominati conſeruat ac ſi ipſo prouiſionis die nominatus requiſiſſet ab Ordinario. Valida namque eo caſu eſt Ordinarij prouiſio, ſaltem non eſt ipſo iure nulla, ſed venit tantùm annullanda nominato conquerente. Et quæ hoc ſpeciali caſu de nominatis dicta ſunt, ad graduatos ſunt extendenda.

NVM. CCXLV.

Insinuationes graduatorum & nominatorum Vniuersitatum Ordinariis factæ, non successoribus eorum reiterandæ, & ita practicatur.

VERISSIMA Molinæi opinio, ex mutatione Ordinarij insinuationem reiterari non debere, & ea est Glos. Prag. Sanct. sententia in d. §. Statuit. versiculo Spectat. de Collationibus. & quasi graduatis impossibile ob mutationem Ordinarij reiterare insinuationem, cùm tempore quadragesimæ, nec alio insinuationes fieri debeant, & semel Ordinario sit tantùm insinuandum §. præfato, in hæc verba Semel ante vacationem. de collat. in Concord. hæc enim insinuatio & beneficium afficit & collatorem, & potiùs rem quàm personam aspicit, & cùm rem afficiat, id est beneficium, quemcumque sequitur successorem.

Ex mutatione Ordinariorum non iteranda insinuatio.

NVM. CCXLV.

Perpetuò quandiu viuet ab hoc indulto immunis erit.

SEMEL indulto grauati Ordinarij liberantur

Semel in vita onerantur indulto Ordinarij.

in posterum, semel enim in vita grauari possunt ex verbis indulti. Fallit si Ordinarius eiurauerit beneficium, & postea ex noua causa per nouam prouisionem denuo obtinuerit: nouus enim est Ordinarius, & ex noua causa onerari debet. Sed quid si nominatus & Senator ante beneficij vllam vacationem decesserint, an liberetur Ordinarius aut noua nominatione grauari possit? Nunquid bona fortuna Ordinarium debito liberabit? Et noua nominatione grauari posse Ordinarium existimo, cùm verbotenus grauatus fuerit, non cum effectu nec in rei veritate; at onus indulto collatoribus aliísque Ordinariis impositum non verba, sed effectum desiderat: & cùm in fauorem Senatorum sit introductum de facto, debet in eorum commodum adimpleri. At maior dubitatio cùm per nominati negligentiam beneficium vacans per obitum requisitum non fuit, sed aut per obitum Romæ collatum, aut in Legatione, & beneficij vacatio ad notitiam Senatoris, vel ab eo nominati verisimiliter peruenire potuit: quo casu tam Senator quàm ab eo nominatus sua priuantur nominatione, ex cap. Si Clericus. de Præb. in 6. Si verò Ordinarius contulerit aut eius vicarius, integra & illæsa remanet nominatio ad vacatura beneficia.

An nominati negligentia liberet Ordinarii.

NVM. CCXLVI.

Qui ex dispensatione (quam Beatus Bernardus dissipationem vocat) tenebat membra quædam à sua dignitate dependentia.

An beneficium ex collatione Abbatia cum ipsa Abbatia obtineri possit.

EXISTIMAT Panormitanus in cap. fin. de Institut. Abbatem ex Apostolica dispensatione beneficia à suæ Abbatiæ collatione dependentia obtinere posse; & si illis temporibus Abbatibus regularibus concessum fuit, multo magis hodie Abbatibus secularem commendam pro titulo habentibus concedendum, cùm ij à beneficiorum pluralitate non ita arcentur. & Panormitani opinionem amplectitur Ægidius Magister Protopræses in tract. appellationum tanquam ab abusu cap. 1. in fine, probat & Rebuf. in praxi Benefic. titul. de dispensat. cum regularibus facta num. 11. nec etiam de ea dispensatione loquitur D. Bernardus, nec quis sacris constitutionibus contrarium hoc dixerit. Secus si ipsemet Abbas sibi contulisset, tunc enim nullitatis viâ non abusus reprobaretur prouisio; quæ nulla ex eo dici posset, cùm discrimen esse debeat inter dantem & accipientem, inter instituentem & institutum, donantem & donatarium, & sit ridiculum sibi ipsi donare. Excom-

Duo beneficia ab eodem collatore dependentia simul obtineri possunt.

muni autem vſu quis duos Prioratus ab eadem Abbatia dependentes in commendam à Sum. Pontifice obtinere poteſt, vt decreto Senatus Pariſienſis iudicatum fuit pro Prioratibus S. Sepulchri & de Rueil Ordinis Cluniacenſis, ab eodem monaſterio Beatæ Mariæ Charitatis dependentibus, 29. Auguſti 1598. in quinta claſſe Inquiſitionum, Gauterio litigatore. Poſſet tamen Molinæi opinio procedere in illis Prioratibus conuentualibus, qui qualitatem ſeu dignitatem in Ordine ſeu regula habent, vt in Ordine Cluniacenſi, & Ciſtercienſi, in quibus quædam ſunt filiæ quæ perſonam propriam in Ordine ſeu regula deſiderant, quo ſpirituale quoddam vinculum ſeu affinitatem cum ſuo Abbate contrahunt. at de matre & filia diſpenſare abuſiuum, & etiam Ordinum repugnant ſtatuta, repugnat & ratio.

NVM. CCXLVII.

Sed quid ſi is qui ſemel grauatus fuit, deinde reſignauit, & poſtea eandem dignitatem iterum recuperauit, an noua nominatione grauari poſſit.

An ex qualibet noua prouiſione Ordinarij grauari poſſint.

VT videre licet in permutatione reſoluta, in reſignatione metu vel dolo extorta à reſignante, reſignatario non acceptante. Non enim mutatur perſona Ordinarij, nulla noua prouiſio de-

desideratur: ideo si ad maiorem antiqui tituli cautionem, nouam Ordinarius prouisionem obtinuerit, sine præiudicio iuris quæsiti, sed accumulando iura iuribus, denuo grauari non potest: cùm ex duplici causa lucratiua rem eandem, nec ex duorum resignatione idem possidere beneficium possit: vnius enim beneficij non duo, sed vnus est dominus purè: beneficium vni conferendum, duobus non concedendum. Alia moueri potest quæstio de Abbatibus semel à Senatoribus nominato oneratis, qui à Sum. Pontifice ad Regis nominationem Episcopali dignitate honorantur, an denuo super iisdem beneficiis grauari possint, cùm per Episcopalis dignitatis adeptionem priora omnia vacent beneficia, cap. cùm in ciuit. de elect. noua priorum beneficiorum desideretur prouisio, annatarum pro iis Abbatiis denuo exoluendum tributum noui tituli contemplatione, idem in Episcopo Cardinalis dignitatem accipiente, & regalia aperitur ex Ruzei tract. de iure Regal. priuileg. 13. canon. Filium. 1. quæst. 1. Prob. quæstione 7. tract. regal. Nihilominus noua nominatione non onerari, multoties Prætoriani Consilij Patres iudicarunt. Nullæ enim nouæ prouisiones, sed antiquorum beneficiorum retentiones in camera Apostolica dicuntur. Nil mutant quæstuariæ annatarum compositiones, quæ tam ex noua prouisione, quàm ex beneficiorum retentione præstantur. Regaliorum autem alia causa, Cardinalis enim dignitas prin-

Retentio beneficiorum in Curia an ius nominatis tribuat.

Promotio ad Cardinalatum an nominationis viam aperiat.

Bb

cipis honore decoratur: Cardinales illustrissimi sunt Principes in Ecclesia, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos & Episcopos præcedunt. Huius principatus consideratione Summo Pontifici fidelitatem debent, & aliquantulum à fidelitate Regi nostro debita recedere videntur, cùm duobus dominis seruire Euangelica lege prohibeatur. Quòd si nouam Regi nostro fidelitatem non debeant, saltem antiquam huius nouæ dignitatis consideratione renouare tenentur; ideo Regaliorum iura aperiuntur, cùm in Regalia fidelitatis sacramentum potiùs consideretur quàm noua prouisio. Noua igitur horum beneficiorum sic retentorum non desideratur possessio; quæ pro iucundo aduentu peti possunt, non debentur: Cessant Releuiorum iura pro feudis ab Abbatia sic retenta dependentibus, vt & alia onera quæ patroni à nouo cliente exigere solent, & triennalis possessio non à die retentionis, sed antiqui tituli computari debet, si modò in naturali possessione permanserint.

NVM. CCXLVII.

Etiam in commendam, scilicet perpetuam, quæ vim tituli habet.

An commenda sit titulus.

ANTE Concilij Tridentini tempora dubitabatur in Cancellaria Apostolica, an commendæ

vim & auctoritatem tituli haberent: an commendatarij iisdem legibus, quibus qui in titulum beneficia legitimo iure obtinent, obligarentur: cùm hi temporalium quidem bonorum, non verò spiritualium administrationem haberent. & à titulo commendam Romæ distingui, & in hoc Regno, testatur Ægid. Magister Protopræses in tract. regal. cap. 2. num. 8. Sed cùm in Concilio Tridentino eadem honoris prærogatiua commendatariis concessa, quæ titulum habentibus, commenda facta perpetua vt titulus, temporalium & spiritualium bonorum administratio commendæ concessa, meritò commenda à titulo distingui & separari non debuit: ideo commendæ triennalis possessionis priuilegio gaudent, cùm sit canonicus titulus, cap. dudum. 2. de Elect. canon. qui plures. 21. quæst. 1. & hæc est communis Doctorum sententia in cap. Nemo. de Elect. in 6. & ita in hoc regno obseruari testatur Rebuf. tract. de pacif. possessoribus, num. 35. & 36. pleniùs dicemus infrà num. 306.

NVM. CCXLVIII.

Et in cuius vita & tempore amputatur, provt futuro successori debent collationes reseruari.

VVLGATVM in iure collationes esse in fructu honorifico, collationes futuro succes- *Collationes in fructu.*

ſori reſeruari. ex Gloſ. Prag. Sanct. in titul. de collat. §. Cui rei. in verbo Iuriſdictio. Gloſ. & Doct. in cap. Cùm olim. de monit. & obedien. cap. Cùm vos, in fine. de Offic. Iud. ordin. Gloſ. in cap. Si propter tua, in verbo Nota primo. de Reſcript. in 6. Coraſius in Paraphr. Sacr. parte 1. cap. 2. num. 9. Et appoſitè in fructu honorifico dicuntur, non enim verè in fructu, ſed quaſi in fructu, ex doctrina Ioan. de Selua tract. de benef. parte 2. quæſt. 7. idem in deciſione 7. aliàs 268. de iure patronatus in nouis. Sed quæritur, nominatus à Senatore ſuper Abbatia S. Benedicti obtinuit beneficium ſede Abbatiali vacante, nouo Abbate adueniente, alius ſe offert Senator qui nouum Ordinarium noua nominatione onerat: Ordinarios ſemel in vita onerandos, indulto dicente non illum Abbatem nondum oneratum nominationem reiicere non poſſe. In contrarium verò nouus Abbas, non tam perſonam quàm Abbatiam conſiderandam: Abbatiam ſede Abbatiali vacãte nominationis iugum exoluiſſe, ideo nominationis onere liberatam; & multoties iudicatum, repletionem nominatie, ſede Abbatiali vacante, nouo & immediato ſucceſſori prodeſſe, & rationem reddit Molinæus, quia fructus reſeruantur futuro ſucceſſori, & ad eum pertinent; & in beneficiis Abbatiæ nominatione Senatoris grauatus ex beneficiis Abbatiæ ſe exonerauit: ſemel grauatus, ſemel exoneratus non ampliùs onerandus, nec vnus Or-

Abbatia ſede vacante nominato liberata, an nouo Abbate adueniente iterum poſſit onerari.

dinarius duplici nominatione onerari potuit. Vide suprà num. 31.

NVM. CCXLIX.

An sit electio nominati.

NOTANDA Molinæi distinctio in mandatariis à Sede Apostolica motu proprio nominatis, aut ad mandatariorum, aut alterius supplicationem. Primo casu duobus beneficiis eodem tempore vacantibus mandatario dabitur electio. Secundo verò Ordinario, C. Si pluribus. de Præb. in 6. Sed moribus nostris alia ratio constitutionem reformat, siquidem Bonifac. VIII. temporibus (qui auctor fuit constitutionis Si pluribus) Sum. Pontifices collatorum ordinariorum primi erant collatores, plenissimam in beneficiorum collationibus potestatem habebant, in beneficiorum collationibus legem pro arbitrio imponebant, Ordinarios mandatis onerabant: sed Concordatorum lege limitata hæc potestas ad præuentionem prouisionum in §. Declarantes. de mandat. Apostol. in Concord. & iure nostro dispositio cap. Si pluribus, planè inutilis, cùm mandatarios Apostolicos nullos agnoscamus. A Senatoribus autem nominati hanc electionem, contra ordinarios collatores habere non possunt: indultum enim Senatoribus concessum, non motu proprio Sedis Apostolicæ, sed ad supplicationem Regis Christianissimi Francisci I. ideo collatori ordinario remanet electio.

Duobus beneficiis simul uno eodémque tempore vacantibus an nominato vel graduato detur electio.

NVM. CCLIII.

Statim faciunt illud vel ſumptu ſuo impetrari per tertium à Papa vel Legato.

Papa nominatos à Senatoribus poteſt præuenire, non Legatus etiam à latere.

EX his colligere licet Summum Pontificem nominatos à Senatoribus re integrà præuenire poſſe; cùm in omnibus beneficiorum collationibus collationem ſibi reſeruauerit, per §. Declarantes. de mandat. Apoſt. in Conc. Secus in Legato etiam à latere qui præuenire non poteſt, cùm Summus Pontifex ſibi tantùm, & non alteri, hanc præuentionem reſeruauerit. In contractibus autem (vt ſunt Concordata) de perſona ad perſonam non admittitur extenſio, maximè in præiudicium perſonæ, cuius contemplatione conuentio eſt appoſita, puta ordinarij collatoris, vel eorum qui in eius locum ſuccedunt. Ita deciſum per modificationes à Senatu appoſitas in facultatibus Legati Cardinalis à Verallo 16. Decembris 1551. vt in Regiſtris Parlamenti videre licet.

NVM. CCLIII.

Vt Ordinarius ſtatim præueniendo Papam vel Legatum non expectata requiſitione mandatarij.

ORDINARII collatores Molinæi conſilium

non negligant, sed nominato confestim conferant beneficium valoris 200. l. annui reditus, vt à nominationis seruitute liberentur.

NVM. CCLIV.

Sed etiam si simpliciter & liberaliter contulerit.

IN prouisionibus graduatorum hæc verba veluti essentialia apponi debere (tibi tanquam graduato) suprà diximus: non idem in collationibus nominatis debitis (tibi tanquam nominato.) In mensibus graduatorum Ordinarij aliis quàm graduatis vacantia beneficia conferre non possunt, sub pœna nullitatis, §. Siquis autem graduatorum, in fine. de collat. in Concord. omnibúsque graduatis interest hanc clausulam in collatione inseri, vt qui in vim gradus beneficia obtinuerunt, aliis liberas ædes concedant: hoc publica postulat vtilitas, cùm iura graduatorum sint publica vtilitate suadente instituta, & quòd in collationibus aliorum expectantium non ita sit statutum, quia cùm Ordinarij ex vna tantùm causa expectanti debeant, & conferendo debito se liberasse quis facilè dixerit: vnde cùm ordinarij collatores cum nominatis colludendo fraudes committant, & graduatorum iura eludant, appositè graduati quamlibet prouisionem beneficij per obitum vacantis expectanti factam locum tenere dixerit, & donationem creditori suo factam solutionis vicem obtinere,

In graduatorum prouisionibus graduati qualitas essentialis & neglecta vitiat.

NVM. CCLV.

Nec est in potestate Ordinarij, vel mandatarij in alia re mandatum adimplere.

Collatio mandatario debita annullanda conquerente mandatario.

QVOD est intelligendum, mandatario conquerente si alteri facta sit collatio: si enim non conqueratur, iuri pro se introducto renunciasse præsumitur, & ius penes conferentem remanebit. Sed hæc Molinæi opinio ad pactiones, quas Ordinarij cum mandatariis facere solent, referenda: his enim non obstantibus mandatariorum iura extinguuntur, eísque imputari solet cur vacantia non requisierint beneficia: nec enim mandatariis licet cum ordinariis collatoribus de suæ nominationis iure ita negotiari. Nominationes quidem fauore amplectuntur, cùm à nominatione non est recessum: at si pactione aut alia via discessum sit à iure suo, inutilis remanet nominatio & sine vllo effectu: & ratio Molinæi hæc est, Nominatio est stricti iuris formulis addicta, in forma specifica adimplenda, nil in ea mutandum: omnia ad litteram iuris rigore seruato obseruanda: beneficium pro alio beneficio non datur: nec suos limites egreditur, nec admittendos nominatarios iudicauit Prætorianum Consilium, qui aliquo modo de sua nominatione negotiauerunt, & sic nominationis priuile-

uilegia amittunt. Aliæ rationes à Molinæo adducuntur versiculo Tum esset dare.

NVM. CCLVI.

Vel ante insinuationem.

NOTANDVM obiter ordinarios collatores nec mandatariis Apostolicis; nec nominatis à Senatoribus obligari ante notificationem, seu insinuationem Ordinario legitimè factam, Cap. Si cui. §. 12. de Præbend. in 6. Arg. Cap. Si nulla. ibidem. & ita seruatur. & ea est Rebuffi opinio in §. Forma mandat. Apostolic. in verb. Pro alio non scripserimus. Versic. Ideo si secundus præsentauerit. in Concordat. Huius autem insinuationis ea est virtus, vt ex pluribus nominatis qui primus Ordinario insinuauerit præferatur, licèt in literarum data posterior: nam Principis gratia Ordinario non notificata inutilis est, debitè autem insinuata, & Ordinarium & Ordinarij beneficia afficit, & ita Prætoriani Senatores obseruant, harum disceptationum iudices legitimi. nunquam enim hæc gratia ignorantem obligat Ordinarium; scientia autem per literarum insinuationem seu significationem tantùm probatur. Et vt primi sunt in nominatione vigilent Senatores, vt insinuationes per Notarium testibus præsentibus, cum clausula (ante vel post meridiem) ad Ordinarij aut eius vicarij personam, vel ad Capitulum Ecclesiæ,

Ante notificationem indulti aut nominationis non obligantur Ordinarij.

In notificatione seu insinuatione mandati, insinuationis non mandati data attenditur.

De modo & forma insinuationis.

vel monasterij, vel ad maiorem partem Capituli, vel monasterij, ad hunc effectum conuocati, fiant, & detur literarum nominationis exemplum, vt persona nominata innotescat Ordinario, & Ordinarius nominato sit astrictus seu obligatus, vacatione beneficij per obitum adueniente. Sed quid si duo nominati in literarum data simul concurrant, eodem autem temporis momento facta sit insinuatio: existimarunt nonnulli notificationem reiterari, cùm ex paritate datæ prior nulla sit. Alij contrà, insinuationis actum nullum quidem, sed gratiam factam validam. Alij nouo Regio diplomate nouáq; insinuatione opus esse, hæc enim concurrentia datæ gratiam Principis extinguit. De concurrentia datæ, & quomodo annullatur gratia, vide quæ notauimus num. 77. de horæ adiectione: nec omittenda Christophori de Rufigniac Præsidis opinio in comment. Pontific. lib. 3. cap. 12. versiculo Aliquo pòst tempore existimatus. versic. Itaque talis ista possessio. primum in possessione in paritate datæ præferendum, contra Geminiani sententiam, vt in versic. Quare contra Geminianum. videre licet. Sed obstat Prætoriani Consilij decretum pro Decanatu sancti Millionis diœces. Burdeg. inter illustrem Cardinalem de Sourdis & Brigard, latum mense Septembri 1607. relatore domino Bautru, quo iudicatum concurrentiam datæ gratiam annullare, nec possessionis vllam rationem habendã. Sed Christophori de Ruffignac defendi

De duobus nominatis in data concurrentibus.

potest opinio, cùm inter eos tantùm qui eadem die gratiam obtinuerunt, mouetur controuersia, vt primus in possessione potior sit in titulo, secus tertio cum noua prouisione beneficium contendente: is enim primam gratiam propter incertitudinem temporis nullam ritè contendere potest, quæ nullitatis exceptio cessat in persona concurrentium in data. De nullitate prouisionis propter datæ concurrentiam consule Prob. quæst. 28. num. 2. iuris regaliorum. Meliùs qui noua nominatione & insinuatione vtuntur, non quòd nullam primam gratiam iudicare vellem, sed in iis argutiis optimum immo summum, omnes ambiguitatis causas fugere & euitare. Sed cùm nominationis vis & effectus sit in insinuatione, si à Senatore nominatus non Capitulo, sed ei qui à Rege est ad Episcopatum nominatus, alius verò nominatus Capitulo sede Episcopali vacante ritè insinuauerit, quis potior? hoc enim pendet ex legitima insinuatione. Maior dubitandi ratio ex illa pendebat clausula, Episcopo & Capitulo tam cõiunctim, quàm diuisim, ideo Capitulo insinuandum. Sed veritas in contrarium, qui enim ad Episcopatum est à Rege nominatus, designatus est successor, & ad Episcopatum veluti electus, cùm in beneficiis consistorialibus Regis nominationes in electionum locum iure Concordatorum sint subrogatæ, & cùm electio ius in beneficio tribuat, ex glos. in can. Quanto. in verbo relatio. *63*. distinct. immo

noua quadam iurisprudentia primi à Rege nominati subsequentes in data etiam bullas à Sede Apostolica habentes, in Prætoriano Consilio obtineant: legitima insinuatio nominato facta præualebit.

NVM. CCLVI.

Quamuis Papa cum chorda canapis ea sigillet, eo quòd non licet ei.

In Concilio Basiliensi sessio 4. de Bullis Sum. Pontificis, forma rescriptorum gratiæ & iustitiæ in cordulis sericeis, aut canapis designata fuit. & docet Rebuf. in Praxi beneficiorum, titulo Differre inter rescript. grat. & iust. num. 27. priuilegia seu rescripta gratiæ concedi cum filo sericeo, rescripta, quæ sunt iustitiæ, cum corda canapis. & hæc est Molinæi sententia versiculo Eo quod non licet, hæc enim rescripta licèt sint gratiæ & in cordulis sericeis expediri debeant, tamen ex lege Concordatorum sunt iustitiæ non gratiæ, à lege enim Concordatorum debentur, nec pendent ex mera gratia Papæ, qui formulis per Concordata designatis astringitur. vide eundem Molinæum eandem opinionem tenentem ad regul. de verisimili notitia num 42. vers. Quod enim quidam scribunt. & ita adhuc hodie in Cancellaria Apostolica obseruatur.

NVM. CCLXI.

Hodie verò debet Ordinarius habere liberas habenas, vt possit liberare.

INVTILIS ferè hæc quæstio, cùm moribus nostris sepulta sint mandata Apostolica, licèt per Concordata, tit. De Mandat. Apostol. concessa sint, & vim habuerint vsque ad annum 1539. quo toto Senatui Parisiensi concessum fuit indultum. Et hæc tantùm ordinariis collatoribus prosunt, vt liberentur à iugo nominationis, si beneficium sæculare nominato sæculari, aut regulare nominato regulari contulerint, reiecta Ludouici XII. Regis constitutione inter dignitates, officia, vel conuentualitates beneficiorum distinguente. Sufficit enim Ordinariis, si beneficium valoris 200. lib. Turonens. annui reditus nominato contulerint. Decem autem beneficia in Ordinarij dispositione requiruntur, antequam nominationi locus relinquatur.

NVM. CCLXII.

Non tamen intelligas quòd debeat posse se liberare de sæculari respectu regularis.

NON tenentur nominati à Senatoribus beneficium regulare si sint sæculares, nec *Discrimen inter mandatarios & nominatos.*

ſæculare ſi ſint regulares acceptare : fallit ſi ſint diſpenſati ad regularia. Differunt autem nominati à Senatoribus à mandatariis Apoſtolicis. in his perſonæ qualitas , non diſpenſatio attenditur : nec mandatarius Apoſtolicus, licèt ad regularia diſpenſatus, mandatum ſuum ad beneficia regularia extendere poterit. hi mandatarij defuncto Summo Pontifice, à quo mandatum acceperunt, pereunt, Cap. ſi ſuper gratia. de offic. deleg. in 6. cap. Si cui. in fine, de Præb. in 6. At in nominatis à Senatoribus perſonæ qualitas & diſpenſatio attenditur, & continuatur nominatio vſque ad primi beneficij vacationem, & donec de beneficio competenti nominato prouiſum fuerit, durátque gratia donec ſuum ſortita fuerit effectum, ſi modò debitè Ordinario ſit inſinuata : hæc enim inſinuatio afficit beneficium, & impedit rem eſſe integram, per hanc inſinuationem inceptum eſt negotium, ideo gratia morte concedentis non extinguitur. Vide infrà num. 266.

NVM. CCLXII.

Nec tenetur Ordinarius obedire.

Hæc omnia mandatariorum Apoſtolicorum perſonam non excedunt, nec ad nominationes Curiæ Pariſienſis extenduntur. Contrario enim vſu receptum in magno Regis Conſilio, nominatos à Senatoribus legitimè ad re-

gularia beneficia obtinenda dispensatos sua dispensatione vti posse. non enim ij nominati mandatariorum Apostolicorum formulis subiiciuntur, nec verbis Concordatorum sub tit. Forma mandat. Apostolic. subiiciuntur: fauorabilior eorum conditio iudicatur.

NVM. CCLXII.

Quia est diuersus ordo.

NON igitur qui sunt sub eadem Diui Benedicti regula, sunt eiusdem ordinis, cùm Cluniacensium ordo sub regulæ Benedictinæ verbo seu appellatione non veniat, sed speciali nota indigeat. Cluniacenses quidem sub regula Diui Benedicti vota solemnia emittunt, sed quia regulæ verba, non vsum regulæ obseruare debent, & arctiori viuendi modo obligantur, vnum habent superiorem Cluniacensis voti rigidum obseruatorem: non ea vt cæteri monachorum libertate gaudent, meritò à reliquis Benedictinis separantur, & hæc est Rebuf. doct. in praxi beneficiorum tit. de dispens. ætat. in verbo, Ac constitutionibus, versiculo, Item non valet prouisio. num 14. Notandum obiter Diui Benedicti regulam vsu & obseruatione mutatam, ideo à Cluniacensium ordine reformatam, & ab eodem ordine cum tempore mutatam, & tandem à fratribus casæ Benedictinæ in primum statum

reductam. Hæc in Senatorum nominationibus inutilia non sint, nec Cluniacensis ordinis aut casæ Benedictinæ Religiosum nominent ad beneficia regulæ Sancti Benedicti, sicut nec Religiosum Diui Benedicti, ad beneficia ordinis Cluniacensium.

NVM. CCLXII. IN FINE.

Adiudicata Oliuario regulari, qui fuit Episcopus Andegauensis.

Is Ianus Oliuarius auunculus domini Cancellarij, Benedictinæ regulæ votum emisit in monasterio Diui Dionysij in Francia: postea monasterij Sancti Marci Abbas creatus, & tandem permutationis iure cum Francisco de Rohan Primate Lugdunensi & Andegauensi Episcopo, ad Episcopatum Andegauensem vocatus fuit.

NVM. CCLXIV.

In mense graduatorum vacauit Prioratus regularis ad collationem Abbatis S. Lomerij.

Regularia regularibus: Secularia secularibus.

IVRE Concordatorum regularia beneficia regularibus, sæcularia sæcularibus personis sunt conferenda: quod graduatorum fauore est intro-

introductum §. Volumus, in verbo Prætextu cuiusuis dispensationis. de collat. in Concordat. Si igitur sæculari graduato ad regularia beneficia obtinenda legitimè à Sede Apostolica dispensato, regulare sit collatum beneficium, nulla erit collatio, conquerente graduato regulari. Hac de re consule Glos. Pragmat. Sanct. in §. Illi verò. in verb. Religiosis expressè professis. De collat. Verbum autem dispensationis non ita latè accipias, vt omnem quamcumque hac in quæstione dispensationem inter graduatos contineat, sed eam tantùm quæ sæcularia à regularibus beneficia confundit, vt in sæculari ad regularia dispensato videre licet. Si igitur graduatus regularis ordinis sancti Benedicti, ad beneficia regularia sancti Augustini aut alterius ordinis obtinenda, sit dispensatus, poterit in vim gradus, sancti Augustini obtinere beneficia. & hæc est Rebuffi sententia in d. §. Volumus. in verbo Dispensationis, quod & ex verbis §. colligere licet. Voluit enim Summus Pontifex regularia beneficia regularibus, vt sæcularia sæcularibus graduatis in vim gradus concedere. Et poterit graduatus ad duo beneficia sub eodem tecto obtinenda dispensatus sua vti dispensatione: Idem in ætatis, vel super defectu natalium dispensatione, aut in corpore vitiatis: idem si canonicus ad effectum obtinendæ dignitatis. vide inf. num. 432.

Graduati quo casu sua dispensatione vti possunt.

NVM. CCLXVI.

Quamuis contrarium tenuerit Rebuf. in Concordat. tit. de mandat. in verbo, Sui Pontificatus.

Quando gratia nominato facta pereat morte concedentis.

PROBVS in addit. ad Glos. Prag. Sanct. in §. Item voluit. versic. Vsum. in verbo Mandatum. de Collat. Molinæi & Rebuffi opiniones conciliat cum dicta Glos. Prag. Sanct. In omnibus mandatis, gratia executoribus aut Ordinario non notificata aut insinuata, perit cum concedente, siue Summo Pontifice, siue Rege: Res enim est integra, secùs post notificationem aut insinuationem quæ mandatario vel nominato ius quærit: & hanc distinctionem in Gallia placere testatur. Igitur Senatorum nominationes ante literarum insinuationem concedentis morte pereunt & extinguuntur. Nec omittenda Probi ratio, Per eam, inquit, insinuationem videtur quæsitum aliquod ius, saltem implorandi officium executoris, ideo res non est ampliùs integra. & ita moderanda Molinæi opinio numero 267. Breuiter contrarium respondi.



NVM. CCLXVII.

Qui fiduciariam possessionem, (quam recredentiam vocant.)

REGIA Francisci primi constitutione, anno 1539. publicata, art. 46. 62. statutum sententias prouisionum & definitiuas in materiis beneficialibus (nostri *de recreance & maintenue* vocant) executioni mandandas, nonobstante quacumque appellatione, dando cautionem, si modò à septem iudicibus Regiis datæ fuerint. Alia Henrici secundi lata 1559. in Parlamento registrata 30. Iulij 1560. art. 14. & Caroli noni constitutione anno 1572. publicata 6. Februarij, Ambasiæ data, art. 3. à limine iudicij appellantes ab iis sententiis repelluntur, fructibus perceptis non restitutis. Mota in Senatu quæstione contra appellantem à sententia fiduciaria seu recredentiæ beneficij, quem aduersarius non admittendum prætendebat fructibus non restitutis. Dicebat appellans durum, indirectè sententiam à iudicibus ordinariis datam, à qua licitum prouocare erat, confirmare, seu potiùs appellationi eam necessitatem imponere, vt cogeretur iuri suo renuntiare: fructus quidem sub canonici tituli fide percepisse & consumpsisse, hos restituere non posse: hæc si passim admitterentur, iniqua iudicis ordinarij sententia hoc necessitatis seu impossibilitatis prætextu, non visis iuri-

busconfirmari poſſet. Contraria nihilominus opinio prævaluit, háſque ſententias cum effectu executioni demandandas, nec ab eis admittendos appellantes, fructibus ſub idoneis cautionibus datis non reſtitutis. Hæc enim regiæ conſtitutionis verba denotant (executores) hoc eſt cum effectu. Hæc decreto Senatus deciſa 17. Auguſti 1602. in cauſa Franciſci Ioulet Prioris ſancti Genitoris, contra fratrem Dionyſium de Forges: alio 12. Octobris 1602. pro Renato Raguyn contra Ioannem Galland: alio 22. Maij 1604. pro Claudio Regnauld contra Nicolaum le Clerc pro Prioratu de Maiſons: alio domino Bouyn referente 26. Ianuarij 1608. pro Roger Priore diuæ Mariæ Magdalenæ contra Henet.

NVM. CCLXVIII.

His ceſſantibus Tirolius caruit mandato.

Ad acceptanda beneficia an ſpeciale mandatum requiratur.

SPECIALE mandatum requiritur ad requirendum & acceptandum beneficium virtute nominationis, vt ad requirenda prima vacatura beneficia virtute nominationis: nec generale mandatum ad ea requirenda & acceptanda ſufficeret, ex Gloſ. Prag. Sanct. in §. Statuit. in verbo Per procuratorem. verſicul. Sed ad acceptandum beneficium. de collat. & hanc addidit rationem Probus, num. 3. Quia per requiſitionem præiudicium adferri poteſt domino, per acce-

ptationem consumitur collationis actus, & fit ligamen inter Ecclesiam & titularium, & obligatio nascitur & oritur ad peragenda ea quæ beneficio incumbunt, cap. Cùm pridem. de Renunc. Nec etiam generale mandatum sufficeret ad adipiscendam beneficij possessionem, sed speciale desideratur, ex Molinæi sententia infrà numero 304. Generale autem mandatum sufficit in iis quæ præiudicium domino non adferunt, & procurator generale habens mandatum potest nominationes, mandata ad beneficia obtinere, cap. Ad aures, cap. Nonnulli. de Rescript. Sed hodie talia mandata & nominationes solent nomine proprio impetrantis non procuratorio obtineri. & impetrans Ordinario insinuando vel notificando actum approbare dicitur, nec alia ratificatio desideratur.

NVM. CCLXXI.

Satis esse quòd idem Officialis patiente Capitulo pergebat.

DE destitutione iudicum, aliorúmque officiorum, & causis destitutionum dicemus infrà num. 390. sed hîc Molinæus loquitur de iudicibus seu Officiali Episcoporum, sede Episcopali vacante. Et certum ad Capitulum prouisionem pertinere, nominéque Capituli iurisdictionem exerceri debere : succedit enim Capitulum Episcopo in necessariis, & quæ ex ne-

cessitate Ecclesiæ, & pro eius Clerique vtilitate exerceri debent, in ordinibus concedendis, in collationibus necessariis, in iurisdictionis administratione. Hæc omnia nomine Capituli Ecclesiæ Cathedralis, sede Episcopali vacante harum rerum administrationem & custodiam habentis, conceduntur, & administrantur. Glos. in verbo Debebit, cap. Si Episcop. de supplenda negligent. Prælat. in 6. Hæc est nostrorum communis opinio, ex Glos. in cap. Cùm olim, in verbo, Capitulo. de Maiorit. & obed. Coras. in 2. Paraphra. cap. 7. Ioann. de Selua tract. de beneficiis parte 2. quæst. 11. Rebuf. in Praxi beneficiorum titul. de vacat. beneficiorum num. 36. Glos. Pragm. Sanct. in §. Et nihilominus. in verb. Superiores. versic. Non Capituli. de concubinat. & in Cap. Cui rei. versiculo Iurisdictio. de collat. Non idem in collatione beneficiorum, quæ cùm sit in fructu, futuro reseruatur successori, & Capitulo denegatur. cap. 2. Ne sede vacante. Rebuf. tract. nominat. qu. 8. num 30. Communis hæc doctorum sententia elicitur ex verbis cap. Cùm olim. vers. Præsentent Capitulo, & ex verbis cap. His qui. eodem tit. de Maiorit. & obedientia in fine. Sic autem verba Molinei (patiente Capitulo pergebat) accipienda, Capitulum sede Episcopali vacante, non quidem iudicum personas, sed eorum qualitatem posse immutare, vt qui Episcopi nomine iudicabant, id Capituli nomine faciant: aliàs personarum

voluntaria destitutio à Capitulo facta nominis notam incurreret, ex Renati Choppini sententia Sacræ Politiæ libro tertio, titulo 7. num. 8. Fallit si Capitulum sit in immemoriali possessione destituendi, aut potiùs alios in antiquorum locum substituendi, ad certum tempus vsque ad aduentum noui præsulis, ex solemni Parisiensi decreto pro Decan. Canon. & Capitulo Andegauensis Ecclesiæ, contra Philippum Lestourneau, domino de Fleury referente sexta Augusti 1594. lato.

NVM. CCLXXII. IN FINE.

Donec summam quadringentarum librarum annuam habeat.

SVMMA 200. floren. auri de Camera datur graduatis annui reditus, antequam à gradus beneficio arceri possint, ex lege Concordat. in §. Volumus. vers. Si quis verò, in fine. Sed Guimerius ad Glos. Prag. Sanct. in §. Quod si quis ex dictis, in verbo Florenorum. de Collat. dubitationem in æstimatione florenorum induxit, vt floreni ducatis æquipararentur, ducati libræ Turonensi, ex regula Cancellariæ Apostolicæ. & Probus ad eam Glos. Gomesium ad regulam Cancellariæ de valore exprimendo, quæst. 9. numero 22. allegat idem sentientem. Sed procedere posset Gomesij opinio in taxationibus quæ fiunt in Camera Apostolica, & in

regula Cancell. Apostolic. de valore exprim. in impetrat. beneficiorum. hæc omnia odiosa nulla ratione extenduntur. Et Boerius in §. 28. circa finem ad consuetud. Biturig. florenorum & ducatorum eandem in regno æstimationem existimat. Cùm hæc quæstio agitaretur in Senatu in causa Parochialis Ecclesiæ de Ioüis diœcesis Carnotensis, Leuiste, Beurier, Teard & Godard litigatoribus, in quinta classe Inquisitionum, rationibus subductis, & classibus consultis, Molinæi confirmata opinio, decreto Senatus 14. Februarij 1595. domino le Mareschal referente. Et si Concordatorum verba apposité considerentur, iudicare facillimum 200. librarum summam minùs idoneam ad legitimam & legalem graduatorum portionem statuendam : cùm ex verbis §. Volumus de Collat. in Concord. quis elicere possit graduatis licere duas præbendas, siue in Metropolitana, siue in Cathedrali Ecclesia in vim gradus obtinere. omnibus autem notum, quamlibet Cathedralium Ecclesiarum præbendam 200. librarum Turon. summam excedere.

NVM. CCLXXV.

Sed etiam hodie attentis Concordatis non solùm à Papa, sed à Rege quoque sancitis.

MORIBVS nostris, & iure Concordatorum in §. Statuimus. 2. de collat. Parochiales

chiales Ecclesiæ in ciuitatibus seu villis muratis situatæ, aliis quàm qualificatis conferri non possunt : & hoc probat regia Henrici II. constitutio. Vide infrà num. 279.

NVM. CCLXXVI.

Concordata non venerunt ad interpretationem aut supplementum Pragmaticæ.

NARRAT Historia temporibus Ludouici XII. Regis tractatum de Prag. Sanct. abrogatione, vt in Concordatorum proœmio multis in locis videre licet, & titulo de approbatione conuentorum per Lateranense Concilium, & tit. de constitutionibus : sed sub Francisco primo negotium per Concordata perfectum. Ridiculum igitur Concordatorum constitutiones per Pragmaticam Sanct. interpretari & intelligere. Prag. Sanctionis leges ratione suadente extensionem patiebantur, sed Concordatorum conuentiones seu constitutiones omnem reiiciunt extensionem ad instar contractuum, in quibus verba ad literam accipiuntur.

Concordatorum verba strictè accipienda vt contractuũ, non idẽ de Prag. Sanct.

NVM. CCLXXVIII.

Nec obstat verbũ libere conferre.

LIBERTAS in legum obseruatione consistit, in qua vera potestas consideratur : &

Liberè quid fieri quomodo intelligatur.

quod quis liberè facere poteſt, id ſecundùm leges intelligendum: ne quis igitur libertatis verbo diſpenſationem venire exiſtimet.

NVM. CCLXXIX.

Sed tandem edicto Henrici ſecundi dato Rhemis 9. Martij 1551.

Parochiales Eccleſiæ ciuitatum qualificatis tantùm debentur, quod in petitorio & poſſeſſorio procedit.

PER Concordata graduatis ſeu qualificatis, parochiales Eccleſiæ ciuitatum, aliarúmque vrbium conferri debent. §. Statuimus. 1. de collat. ſed propter verba d. §. (liberè conferre) ſummi Pontifices talia beneficia etiam non qualificatis conferebant. Ideo Henrici ſecundi conſtitutione à Molinæo citata ſtatutum fuit, ne in poſterum aliis quàm debitè qualificatis conferri poſſent. & recitat Rebuf. in d. §. Statuimus, in verbo Non. verſiculo Immo Papa, Clementem VII. & Paulum III. hac de re in Cancellaria Apoſtolica leges promulgaſſe. Sed cùm hæc Henrici ſecundi conſtitutio in poſſeſſorio tantùm locum habeat, & de eo ſolùm loquatur, an iudices Eccleſiaſtici in petitorio antiqua iura obſeruare teneantur? ſiquidem ante hanc conſtitutionem Papa alteri quàm qualificato poterat conferre, vt ex reſtrictione appoſita verificationi conſtitutionum videre licet, quantum ad futuras beneficiorum vacationes duntaxat; &

ita pro Ecclesia parochiali sancti Nicolai Parisiensis iudicatum fuerat. Contrarium veritas & ratio suadent: hæc enim Henrici secundi constitutio ob publicam ciuium vtilitatem instituta, explicare videtur ambiguitatem d. §. Statuimus, constitutionem d. §. extendere & ampliare, immo ex præfatione edicti dispositionem Pragm. Sanctionis hac in re renouare. Adde regias constitutiones super beneficiorum possessorio, non petitorio, promulgatas, quæ tamen bono publico institutæ fuerunt: in vtroque foro seruari debere: aliàs appellatione tanquam ab abusu eluderentur sententiæ iudicis Ecclesiastici. & ita pronuntiauit Senatus Parisiensis contra sententiam Officialis Rhemensis, qui contra Henrici II. edictum (contra paruas datas denominatum) iudicauerat in petitorio: aliàs hæ constitutiones bono publico introductæ planè inutiles, & in subditorum Regni fauorem promulgatæ, in instanti in eorum odium retorquerentur, petitorium eluderet possessorium, inanibus sumptibus in possessorio subditi vexarentur: ideo in vtroque foro hæc constitutio ad literam obseruatur, & virescit huius publicæ vtilitatis virtus tam in possessorio, quàm in petitorio iudicio.



NVM. CCXXC.

Quod non ſufficit per illud tempus ſtuduiſſe, ſed neceſſe eſt gradum.

QVALITAS enim Doctoris aut Baccalaurei eſt de eſſentia collationis, & à lege deſideratur : eſt qualitas beneficio iuncta : quod ſumma ratione inſtitutum, aliàs in iudicantium arbitrio de capacitate & doctrina iudicare, melius peritis in arte fidem adhibere, & capacem eum exiſtimare, qui doctrinæ teſtimonium, verámque iuris præſumptionem & probationem ex ſchola adfert.

NVM. CCXXCI.

Vltimo circa prædicta occurrit quæſtio.

Nominati Curia ad beneficia in Regno ſituata ius habent.

INDVLTVM conceſſum Senatoribus Curiæ Pariſienſis Ordinarios regni tantùm onerat: non eos qui ſunt extra regnum. & ita ſonant verba Pauli III. Sed quæritur ſi Ordinarius in regno & extra regnum beneficia habeat in ſua diſpoſitione, an indulto ſubiiciantur, & ſi verbis Paulinæ fides adhibeatur (& omnium Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Ordinariorum

regni) ſubiici poſſe; ſufficit enim ſi Ordinarius ſit in regno: excluduntur tantùm Ordinarij extra regnum, non beneficia extra regnum ſituata, quæ à beneficio in regno exiſtenti dependent. Dubitarem in iis prouinciis, in quibus Tridentinum Concilium approbatur, cuius ſpeciali conſtitutione talia indulta reuocantur, nec in iis regionibus nominatorum actio admitteretur. In aliis autem prouinciis, in quibus Concilium non obſeruatur dubitarem, cùm hæc Pauli III. conſtitutio regni Ordinarios tantùm afficiat, extra regnum vires nullas habeat: Adde, alios Principes Senatum Pariſienſem non agnoſcere, & vt eum onerare non poſſunt, nec etiam honorare deſiderant.

NVM. CCLXXXII.

Sed non in Rege impetrante. & valdè fauorabile.

EX his collige quo fauore Senatorum indulta proſequi debeant, & Molinæi rationibus iuris regulam addere poteris, Reſcripta, indulta, aliáq; ſummorum Pontificum priuilegia, per Regem, aut vniuerſitatem, ciuitatem, aut aliam communitatem, obtenta, fauorabilia, quia bono publico inducta & conceſſa, non priuatam, ſed publicam vtilitatem ſpectant. non igitur vt in priuatorum priuilegiis & indultis ver-

ba in vera ſignificatione accipiuntur & reſtringuntur, ſed ex ſui natura ampliantur, benignam interpretationem cauſſa aliqua ſuadente accipiunt.

NVM. CCLXXXII.

Si igitur beneficium conuentuale ſit collatiuum, cadit ſub indulto.

In fauorabilibus beneficiorum verbo omnia veniunt beneficia, etiam Eccleſiæ dignitates; faciliori interpretatione omnium beneficiorum regularium verbo Conuentuales Prioratus venire debent.

NVM. CCLXXXII.

Si non ſit collatiuum, ſed electiuum, & ita practicatur.

Generalis eſt beneficiorum diſtinctio, vt alia ſint electiua, alia collatiua, nec in indultis quantumcumque generalibus, collatiuorum beneficiorum appellatione, electiua veniunt beneficia, cùm minùs dignum maius non comprehendat. imò ſpecialis beneficiorum collatiuorum deſignatio in Paulino indulto, electiua excludit beneficia; vnde Decanatus Cathedra-

lium Ecclesiarum qui eliguntur, & quorum electio à superiore confirmatur, induleo Senatus non comprehenduntur, vt in Prætoriano Consilio multoties iudicatum.

NVM. CCLXXXIII.

Tituli enim beneficiorum sunt de nouo iure, & positiuo.

HOc quidem verissimum: in primitiua enim Ecclesia beneficiorum tituli erant martyria: beneficiorum reditus, persecutiones & supplicia: Ordo cum beneficio conferebatur: resignationum nulla mentio, deuolutionum nulla memoria: decretorum iura hæc docent. Decretalium constitutiones hæc immutare cœperunt, beneficiorum reditus titulis initia dederunt, tituli permutationibus, permutationes resignationibus, quæ omnia paulatim augmentum acceperunt. Et per Sexti decretalium noua iura spiritualium controuersiarum, lites quæ iam per decretalia iura initium ceperant, ita creuere: per Clementinarum leges, controuersiæ, deuolutiones ea iecerunt fundamenta: per Extrauagantes hæc ita multiplicata, vt nec hodie primæ ætatis vmbra supersit, quæ à Patribus politiæ Ecclesiasticæ velo magna cum ratione instituta fuerant, hodie nimia iuris subtilitate, subuersa & suppressa iaceant, quæ antiqui-

tus ſumma cum ratione ordinata, hodie ad ti-tulos & reditum beneficiorum, neglecta per-ſonarum capacitate, & reiecta Eccleſiæ vtilita-te, reducantur.

NVM. CCLXXXIII.

Lex non fictè, ſed verè & mero iure agit.

HÆC ſunt appoſitè dicta, cùm lex vel ſta-tutum aliquid pro vero præſupponit: legis enim vel ſtatuti fictio veritatem inducit, eiuſdémque effectus in caſu ficto vt in caſu vero: hæc enim fi-ctio legis vel ſtatuti, veritas eſt, quæ à vera ve-ritate non diſtinguitur: ideo quæ in vera bene-ficij vacatione per obitum fieri aut inquiri poſ-ſunt, quæ debentur locum obtinent, cùm va-cat beneficium per regulam de infirmis, etiam in odioſis, puta in deportu, vt per verba Mo-linæi colligere licet numero 291. Hoc eſt vt om-nia iura diſponentia de vacatione per obitum, locum habeant in vacatione inducta per hanc regulam: & alia verba eodem numero, Vel alia-rum regularum Cancellariæ, etiam extraordi-nariarum.



NVM.

NVM. CCLXXXIV.

Et ſic non eſt dubium, quin Ordinarij liberè prouidere poſſint, in vacantibus per obitum.

GOMESII opinio in quæſt. 30. 33. &34. ad regulam de infirmis planè inutilis, cùm regulæ textus diſertè ſtatuat nonobſtante reſignatione beneficium vacare per obitum, ſi reſignans de eadem infirmitate intra 20. diem decedat. Ideo Ordinarij liberè conferre, mandatarij graduati nominati liberè requirere poterunt, ac ſi nulla vnquam admiſſa fuiſſet reſignatio. Nulla enim hæc reſignatio nullum operatur effectum. Sed inutilis hæc quæſtio, cùm nulla Romæ prouiſio per ceſſionem obtineatur, niſi cum diſpenſatione ad regulam de infir.

NVM. CCLXXXVI.

Vacantia autem apud Legatum nunquam ob id afficiuntur.

CAP. 2. de Præbend. in 6. de Pontifice Summo loquitur, non de Legato: & cùm hæc conſtitutio in regni partibus ſit odioſa, contra libertates & iura ordinariorum collatorum, nullo modo erit extendenda de perſona Summi Pon-

Vacantia beneficia in Curia Legati an reſeruata.

tificis ad eius Legatum, ex 15. iuris canonici reg. lib. 6. decretal.

NVM. CCLXXXVI.

Et ſic multum errauit Ludouicus Romanus Conſil. 342. colum. prima, vbi in terminis huius Regulæ conſuluit.

De beneficiis in Curia vacantibus.

CONSTITVTIO Clementis tertij, in capite Licet. de Præbend. in 6. ad vacantia beneficia per obitum eorum qui Romæ decedunt limitationem accipit: ad alias autem vacationes in hoc regno non extenditur: & ſi ad vacantia in vim huius regulæ admitteretur, nulla omnino derogatio ad hanc regulam Romæ daretur, ſicut nec datur, ſi beneficia in Curia Romana vacauerint per obitum, vel ſi ſint in patria obedientiæ in menſibus Papæ reſeruatis vacantia. Nec Romani opinio procedere poteſt. Hæc enim regula de infirmis in fauorem ordinariorum collatorum introducta, in eorum odium effectum produceret, ſi in hypotheſi regulæ Papæ reſeruata eſſent beneficia, nec Ordinariis referret, an valida eſſet reſignatio, an ex eius nullitate ſolus Papa ſic vacantia conferre poſſet beneficia. vtroque enim caſu iure collationis priuarentur. Sed Gallorum legibus hæc inutilis quæſtio, cùm per Concordata reſeruationes omnes ſint abro-

gatæ & damnatæ, hæc autem reseruatio in corpore iuris, admissa non inueniatur.

NVM. CCLXXXIX.

Potest ad maiorem cautelam eidem conferre.

HI vacationum casus, per resignationem, & per obitum, diuersos habent effectus, causámque dissimilem: Ideo poterit Ordinarius qui per resignationis admissionem semel functus est officio, ex noua causa conferre per obitum: cùm in iure canonico sit receptum ex quolibet vacationis genere Ordinarium conferre posse, ex vulgato cap. Susceptum.

NVM. CCXCI.

Cæterùm cùm Papa in titulis horum beneficiorum habeat plenitudinem potestatis.

DICTVM fuit suprà num. 283. beneficiorum titulos iuris esse positiui Certissimum autem in iure canonico, Summũ Pontificem in iis quæ sunt iuris positiui omnimodam habere potestatem, summúmque imperium: in iis voluntas pro potestate, & potestas pro voluntate habenda. Perperam igitur, nimísque inconsideratè ap-

pellationis remedium tanquam ab abusu quærunt à dispensationum concessione, siue ratione ætatis, scientiæ, ordinis, professionis, defectus natalium, pluralitatis beneficiorum, cùm hæc omnia à potestatis summa plenitudine dependeant. Quæ tamen limitanda sunt, cùm publica Ecclesiæ politia, publica disciplina, Concordata regni, fundationum leges, Galliæ constitutiones, Ecclesiarum statuta, in summis Franciæ tribunalibus approbata, Gallicanæ Ecclesiæ libertates & iura læduntur. In his enim omnibus voluntas à legis potestate limitationem accepit, nec possumus quod à lege prohibetur, volumus quod possumus, potestas autem à lege.

NVM. CCXCV.

Gladio, veneno, vel alio casu: dummodo constet quòd de infirmitate contracta.

HÆc dicit Molinæus propter verba Regulæ, De ipsa infirmitate decesserit. Sed quis erit Propheta, qui ex arte, aut præceptis medicinæ iudicare poterit defunctum de prima infirmitate decessurum fore, cùm sæpius à medicis damnati sanentur, & medicorum fallax sit in iis iudicium. Dic hoc in negotio peritis in arte credendum, ex medicorum opinione quæstionis decisionem pendere.

EOD. NVM. CCXCV.

Amplio 9. etiam quantumuis resignatarius infra dictos 20. dies publicauerit.

PVBLICATIO prouisionis beneficij, & possessionis adeptio, cum hac regula de infirmis nil commune habent. Nec enim quæritur an publicata prouisio, an possessio adepta, sed an infirmus resignans de eadem infirmitate infra 20. diem decesserit: nihil igitur hæc publicatio, & possessionis adeptio iuris tribuunt, nec regulæ de infirm. resignant. effectum, quoad vacationem per obitum impediunt.

NVM. CCXCV.

Subamplio, etiam si realem possessionem extruso resignante nactus sit.

DVBITANDI ratio erat, post hanc possessionem adeptam, ius plenè quæsitum esse in beneficio, nilque ampliùs desiderari, completum & perfectum esse negotium, viuo adhuc resignante, & resignatarium verum esse dominum: & hæc euenire possunt in Legatorum in partibus existentium prouisionibus: primo quoque die

expediri possunt, breuiori tempore possessio adipisci, & omnia ad negotij perfectionem necessaria infra 20. diem adimpleri. Sed verior Molinæi opinio. Dantur enim 20. dies vt sit locus huic regulæ de infirmis, & quæ intra illa legalia tempora conficiuntur, vim & effectum regulæ impedire non possunt, annullat regula, quæ intra illa legitima tempora geruntur pro nullis habentur, nec ius aliquod tribuunt: immo præsupponit regula resignationem ab initio nullam; habet regula effectum retroactiuum. Si autem nulla sit resignatio seu prouisio, quomodo possessio à titulo nullo dependens subsistere poterit? Quid possessio in beneficialibus sine titulo?

NVM. CCXCVII. & CCXCIX.

Amplio 11. vt non solùm resignatio, admissio, collatio, possessio, & hinc dependentia resoluantur, sed etiam omnes dispensationes & gratiæ accessoriæ. Quia dicta dispensatio non est facta nisi prouidendo.

Quando annullata prouisione dispensationes in ea contenta annullantur.

PROCEDIT opinio Molinæi in iis quæ ab ipsa prouisione beneficij separari non possunt, quæ sunt de eius essentia, quæ veniunt in

consequentiam necessariam, quæ per se subsistere non possunt, quæ vt accessoria prouisioni sine subiecto pereunt & extinguuntur: tunc enim annullata prouisione, inde dependentia annullantur: & verba quæ apponi solent prouisionibus id denotant (ad effectum præsentium duntaxat): ideo si quis canonicus ad effectum obtinendæ dignitatis creatus, si ab omni excommunicatione absolutus, à statutis Ecclesiæ liberatus, hæc omnia vt prouisioni accessoria, eandẽ cum prouisione nullitatis pœnam incurrunt. Secus si quædã in prouisione sunt dispensationes & clausulæ, quæ per se subsistere possunt; puta si quis super defectu natalium sit dispensatus, si super beneficiorum pluralitate, si sit clausula (per obitum cuiuscumq; personæ, per incapacitatem): hęc enim suum vacationis casum habent, per se subsistunt. & hæc est Molinæi sententia infrà num. 300. Notanda verba Molinæi num. 300. versicul. Secus si dispensatio non est facta accessoriè, sed per se: & versicul. Vnde potest scindi bulla prout duas distinctas & separatas gratias continet. Molinæus autem has dispensationes odiosas existimat, ideo restringendas. Nonnulli autem nostræ ætatis Senatores fauore summo eas amplectuntur, cùm tantùm sint ad obtinenda beneficia, ex summa sedis Apostolicæ liberalitate procedant: cap. Cùm dilecti filij, in fine. de Donat. apud Gregorium, & cap. de Multã. de Præb. Summo Pontifici reseruauit per-

ſonarum contemplatione diſpenſationes, etiam in beneficiorum pluralitate, canonibus inimica: his enim præmiis magnæ virtutis homines ad Eccleſiam inuitantur.

NVM. CCXCIX.

Etiam ſi per obitum, vel aliàs quouis modo,& ex cuiuſcunque perſona vacet.

De clauſula per obitum aut alio modo in reſignatione.

QVIDQVID dicat Molinæus, hæ clauſulæ vacationum certa & ſeparata genera continentes proſunt impetrantibus, per ſe enim ſubſiſtere poſſunt, nec vnum genus vacationum aliud excludit, immo eſt in arbitrio impetrantiũ declarare quo vacationis genere vti velint, ex doctrina Gloſ. in cap. Suſceptum. in verbo Expreſſè. de Reſcrip. in 6. & Molinæi rationes vſque ad num. 300. eius opinionem refutant. De effectu huius clauſulæ (aut aliàs quouis modo, vel ex alterius cuiuſcumque perſona), & cur ſint neceſſariæ in prouiſionibus Apoſtolicis, vide 1. Rotæ deciſ. aliàs 28. de Reſcript. in nouis, deciſ. 52. aliàs 613. de conceſſ. Præbend. in antiquis. & Gloſ. Prag. Sanct. titulo de cauſis in §. Item quòd Monaſteria, in verbo, Aliàs quouis modo, & Ioann. de Selua tract. de beneficiis tertia parte quæſt. 12. num. 27. verſiculo Limitatur quinto. Rebuf. in Gloſ. Concordat. tit. for. mandat. Apoſt. in verbo

verbo Aliam quamcumque dispositionem. versicul. Fallit quando apposita esset clausula. Ludouicum Gomes. ad regulam de public. quæst. 16. qui speciali opinione, vera tamen, ad vacationes quæ erant tempore impetrationis, non ad eas quæ postea euenerunt, clausulæ effectum restringit.

NVM. CCC.

Intercedente tempore verisimilis notitiæ.

DAMNATA fuit hæc Molinæi opinio sup. num. 232. ex doctrina Glos. Prag. Sanct. & communi Canonistarum sententia.

NVM. CCC.

Loco dimissi vel dimissorum.

ATTENTE Senatores dispensationes ad regularia & incompatibilia beneficia obtinenda considerent. Si enim hanc clausulam non contineant (& in locum dimissi vel dimissorum) per primum regulare beneficium, vel primam collationem incompatibilium repleta erit dispensatio, suum ita sortita effectum, vt ad alia beneficia extendi amplius non possit, nec eius dispensationis virtute alia beneficia obtineri, ex doctrina Prob. in addit. ad Glos. Pragmaticæ Sanct. in §. Insuper. in verbo Disponere. versic. Qui facit. num. 3. de Collat. & Glos. in Clement. *De clausula dispensationum (& in locũ dimissi.)*

Si plures. versicul. Vnde dispensatus. de Præbend. Et in vtramque partem agitata quæstione in permutata permutatione suum non sortita effectum, iudicatum in Rota contra dispensationem, quia semel quocumque modo suum sortita fuerat effectum, siue bene siue malè. 1. aliàs 339. decisione tit. de fil. Presbyt. in nouis. Verba enim dispensationis attendenda, & tantum valent quantum sonant: voluit quidem Summus Pontifex in certis beneficiis prouidendo dispensare, non in aliis: ideo Pauli tertij temporibus hæc clausula in iis dispensationibus ex stilo apponi consueuit, vt dispensati pleno ore singula deglutirent beneficia, obtenta illico resignarent, vt primo die alia obtinerent, & ita de suis dispensationibus sordidè negotiarent; & sordida hæc nundinatio temporibus nostris miserè inualuit, multísque Senatusconsultis tolerata, ob dispensationum commoditatem, vel commendarum facilitatem.

NVM. CCCIV.

Et hinc est quòd ad acceptandum beneficium, & multo magis ad accipiendam possessionem requiritur speciale mandatum.

Speciale mandatũ in adipiscenda beneficiorum possessione.

DICTVM fuit sup. num. 268. speciale mandatum in iis desiderari, per hanc enim

acceptationem contrahitur cum Ecclesia,& ab eo die Episcopi aut Abbatis bona Ecclesiæ obligantur pro mala administratione, ex Rebuf. in comment. ad const. Reg. tit. de Const. redit. artic. primo. Glos.14. num. 30. in verbo *Hypotheque.* & Glosa in cap. Ex literis. in verbo Obligata, De Pignoribus.& Glos. Prag. Sanct. in §. Nam Ecclesiarum, in proœmio. in verbo Depereunt. Et ita Senatus Parisiensis pro Archiepiscopo Senonensi Reginaldo de Beaune contra hæredes Cardinalis de Pelué iudicauit 26. Aprilis 1603. domino le Roulier referente. Sed an hæc obtineant in Senatorum nominationibus: nominati siquidem à Senatoribus nil proprio nomine in rei veritate gerunt, sed nomine tantùm accommodato: ideo beneficia in vim nominationis obtenta, à Prætorianis Senatoribus eiurare compelluntur in fauorem personæ à Senatore nominandæ. Nomen suum tantùm præstant hi nominati, nudúmque ministerium, & vt in lucro, ita nec in damno esse debent; ideo expensorum, damnorum & interesse condemnatio, non eos sed Senatores concernit. Fructus nullos percipiunt, perceptos restituunt, inter incompatibilia beneficia non numerantur, cùm illa nominati eiurare teneantur, & cùm hæc nominis accommodatio (quæ vera confidentia dicitur) toleretur, æquum nominatos vt lucri, ita & damni expertes esse debere: acceptando beneficium inuiti eiurare tenentur, in effectu cum Ecclesia non contra-

A quo tempore hypotheca pro mala beneficij administratione.

Senatores sine nominatorum speciali mandato quid agere possunt.

hunt, sed quidquid agunt ad iuris conseruationem facere tenentur, beneficium non habent, cùm eis non benefaciat: ideo Senatorum speciale mandatum ad requirenda & acceptanda beneficia procuratorio nomine suorum nominatorum, quod ratificaturum promittunt, sufficit: Possent etiam ij Senatores qui beneficiorum fructus accommodato nomine perceperunt, ad reparationes, aliáque onera obligari; aliàs minor Ecclesia læderetur, eius conditio fieret per hanc nominati accommodationem deterior, fructus beneficij ab oneribus contra iuris rationem separari possent. sed hæc omnia mali exempli: at concesso primo inconuenienti hæc absurda sequuntur.

NVM. CCCV.

Quod dixi de pœnis amplio, etiam si erat minor.

Minores in spiritualibus an restituantur.

MINORES non restituuntur quoad titulum beneficij, nec in iis quæ titulum beneficij concernunt, sicut nec in aliis spiritualibus causis: & hoc in Gallia passim approbari testatur Probus in addit. Glos. Prag. Sanct. & de pacif. poss. in verbo. Impedimenti. num. 4. vers. Dubium. Glosa Monet, in fine. Sed minor ætas attendi debet in beneficiis quoad exercitium actionum pro conseruatione iurium à beneficio dependentium, & ante pubertatis annos curator

desideratur, c. Si autem. de iud. in 6. Rebuf. in praxi benefic. tit. de Simon. in resignat. rat. pers. & rei, numero 1. 2. 3. existimat resignationem à minore factam valere, ex doctrina Glos. in verbo Quamuis minor. versicul. Sed si minor. de restit. spoliat. cap. Ex parte, quia minores in spiritualibus sunt sui iuris, liberámque habent bonorum & rerum administrationem, ex Glos. in l. Ait Prætor. in verbo Quid aliud. ff. de Minoribus. & quòd minores in spiritualibus rebus non restituantur, nec in beneficiorum eiuratione, tenet Boerius decis. 350. num. 4. agitata priùs in vtramque partem quæstione.

NVM. CCCVI.

Tunc enim non differt à titulo, immo verus est titulus.

An commenda sit titulus.

HODIE commendæ beneficiorum regularium inter titulos beneficiorum annumerantur, vt sup. dictum fuit. & commendatarij spiritualium & temporalium habent legitimam administrationem, vt alij Ecclesiastici; & quæ priuilegia titulis beneficiorum conceduntur, commendatariis competunt: possessorio, & petitorio iudicio conuenire, & conueniri possunt: & in effectu commenda verus est titulus, pro vero titulo habetur, quia perpetua est, inquit Molinæus infr. ad hanc regul. num. 307. in fine. Non autem in

omnibus, & per omnia titulis adæquantur commendæ; ſolo Pontifici ſummo, non aliis collatoribus competunt. Commendæ vacant in titulum, non in commendam, ſolúſque Papa aut illuſtriſſimi Cardinales virtute indulti, de commenda in commendam conferunt: vide infr. ad regul. de public. num. 306. quæ de commenda perpetua, non temporali, puta ad ſex menſes, intelligenda ſunt, vt teſtatur Gomeſ. ad 13. quæſt. regul. de infir. reſignantibus, & pleniùs & apertiùs ad regul. de triennali poſſeſſione quæſt. 5. quo in loco diſtinguit antiquas temporales commendas à noſtris perpetuis.

NVM. CCCVII.

Siue ex eo quòd ſæcularis eſſet, beneficium autem regulare.

IVRE communi beneficiorum hæc eſt generalis diſtinctio, vt quædam ſint ſæcularia, alia regularia: ſæcularia ſæcularibus, regularia regularibus debentur, & conferri iure ordinario debent: tamen aliquando ſæcularia regularibus, vt regularia ſæcularibus dari ſolent. Sed id fit à Sum. Pontifice, vtputa quando monachi ad Epiſcopatus promouentur, vel in defectum ſæcularium ad Parochiales Eccleſias vocantur, ex Apoſtolica diſpenſatione, cum atteſtatione Ordinarij propter perſonæ qualitatem, Eccleſiæ vtilem & ne-

cessariam, & ex ea causa aliquando cum mendicantibus fuit à sede Apostolica dispensatum: quod ob nominis commendationem concessum fuit. Regularia autem solent à Summo Pontifice in commendam sæcularem concedi, vtputa, Abbatiæ, Prioratus, capellæ regulares : quæ commenda titulus est, vt sup. dictum fuit. Sed quid de officiis claustralibus dicendum? an in commendam sæcularem possint à sede Apostolica conferri? & Prætoriano decreto iudicatum fauore nominationum validam prouisionem dispensato etiam ad claustralia officia à Senatore nominato factam: sed in Senatu Parisiensi à tali dispensatione & prouisione sæculari facta in commendam, solet tanquam ab abusu appellari, cùm horum officiorum claustralium officium, verúmque exercitium, & ministerium in ipso monasterio inter monachos consistat, nec extra monasterium imaginari possit, cùm talia officia præeminentiam habeant in choro monastrij, potestatem in monachos, disciplinæ monasticæ & regulæ directionem, residentiam continuam in monasterio: quæ omnia sæculari commendæ repugnant ex diametro; & quæ de dispensatis diximus, eorum morte beneficia siue regularia, siue sæcularia, primam repetunt naturam & qualitatem, secundùm quam à collatoribus ordinariis conferri debent.

NVM. CCCVIII.

Quia supplicatione signata statim gratia perfecta est, & ius quæsitum, verúsque titulus.

Gratia verbo perficitur in beneficiis.

VERBO gratiam fieri & perfici in collatione beneficiorum tenent nostri, siue in Summo Pontifice, aut in aliis Ordinariis: fiat lux, & facta est lux : verbo dixit, & facta sunt : & statim atque in libro datarij nomina impetrantis, & beneficij inscripta sunt, perfecta gratia & ius impetranti quæsitum. Idem dicendum in Ordinario, cùm primùm eo verbo vulgari vsus est, conferimus. Et hæc ita vera sunt, vt si gratia semel facta etiam verbo, literis non confectis, quis decedat, per eius obitum vacabit beneficium, etsi prouisio in scriptis vel in modum reducta esset, ex 87. al. 882. Rot. Decis. tit. de Rescript. in antiq. Et ita perfecta hæc gratia, vt etiam concedentis morte non expiret, vt ibi deciditur. Huius rei petenda ratio ex cap. fin. de concess. Præb. in sext. spiritualia verbo conceduntur, eóque modo Christus & Apostoli Spiritus sancti gratiam conferebant, & miracula faciebant. vnde & noli amplius peccare, surge & ambula : in his enim omnibus scriptura non est de essentia gratiæ, sed necessaria ad probationem, vt alibi diximus. & prima regula, verbo fieri gratiam, ita vera, vt ante

te possessionis adeptionem quis resignare possit, vt ex verbis Molinæi colligere licet, etiamsi resignans nunquam possessionem cepit, si per alia verba ius ei quæsitum verúsque titulus, vt infrà dicemus ad reg. de publ. n. 271. Ideo si quis Summi Pontificis aut alia summa potestate expeditioni prouisionis impedimentum dederit, Galliæ Senatores solent Episcopum aut aliam dignitatem delegare ad conferendum beneficium sub eadem data. Sed quid si facta semel gratia in libro datarij, prouisio autem post obitum resignantis expediatur, vt sæpe euenit, & consensus à tergo signaturæ appositus, post obitum resignantis, per eius procuratorem præstetur, seu extendatur, an valeat prouisio: & nullam gratiam ea ratione multi dicebant, quia procuratoris resignantis post eius obitum cessabat potestas: deficiente autem consensu nulla prorsus erit resignatio. Consensum esse de essentia signaturæ, ideo legitimo tempore & viuo resignante præstari debuit per eius procuratorem. Contraria opinio obtinuit: Non enim expirat procuratoris officium, qui re ampliùs non integra, & post perfectam gratiam suo fungitur munere in iis quæ executionem gratiæ spectant. hæc enim gratia in se perfecta in aliquo vitiari non potest, per ea quæ ad eius probationem per regulas Cancellariæ Apostolicæ instituta sunt, puta per actum præstationis consensus, eius extensionem in registris supplicationum: hæc omnia actui iam perfecto accedunt, nec eius naturam immutant. Sufficiat

Quando absolutè gratia expeditio Romæ denegatur.

Quando Romæ gratia post obitum resignantis extenditur.

igitur hac in quæstione gratiam viuo resignante factam, Cap. Si super. de offic. delegati in 6. vide 12. aliàs 349. Rot. decis. de offic. deleg. in nou.

NVM. CCCVIII. IN FINE.

Vt fides scripto fieri possit.

NON enim testibus, sed scripto beneficiorum probatur prouisio, hæcque scriptura quoad probationem essentialis est, vt sup. diximus ex glos. cap. 1. de censibus. vide infrà ad regulam de publicand. num. 378.

NVM. CCCVIII.

Quamuis instrumentum collationis nondum fuerit expeditum vel sigillatum.

IDEO ante adeptam possessionem cùm gratia sit perfecta, & ita communiter seruatur.

NVM. CCCX.

Amplio 16. etiamsi beneficium sit exemptum.

DE beneficiorum exemptione à iurisdictione & potestate Ordinariorum multoties in Senatu disceptatum fuit, & tanquam ab abusu

appellationes interiectæ, diuersa & varia iudicia, incertæ decisiones, & in illo negotio in Ecclesia fuit variatum: vt tamen hoc in regno quid certi definiri possit (cùm Trident. Concilium nec publicatum, nec quoad politiam Ecclesiasticam nisi in quantum Blesensi Regia constitutione probata fuit, receptum adhuc fuerit) non recedendum à doctrina Concilij generalis Constantiensis sess. 43. tit. de exemptionibus: Concilium ab Ecclesia Gallicana, à regnicolis & à summis regni tribunalibus laudatum & receptum, in quo Gallicana Ecclesia per suos nuntios recepta, Episcopi, Abbates, & Capitula Ecclesiarum cathedralium regni admissi, in quo libera vota, in quo generalis Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata statuit & definiuit, summa cum ratione, & pro Ecclesiæ vtilitate, exemptiones Ecclesiis cathedralibus, monasteriis & Capitulis, aliísque Ecclesiis concessas ab obitu Gregorij XI. circa annum Domini 1378. Sedem Apostolicam tenentis, annullari debere & reiici ab Ecclesia, & his exemptionibus nõ obstantibus prædictas Ecclesias ordinariæ potestati subiici, licèt exemptiones huiusmodi toti ordini, territorio, diœcesi concessæ cum causæ cognitione, approbatæ à Sede Apostolica, etiam consentientibus Ordinariis, licèt contradictorio iudicio confirmatæ. Quæ autem ante Gregorij XI. tempora concessæ fuerant exemptiones, suis subsistere viribus, in suo statu manere, nullúmque eis præiudicium fieri. Hæc

in Concilio decisa partibus auditis, discussisque hinc inde rationibus. Nec erroneam opinionem audire possum dicentium omnes exemptiones vt abusiuas reiiciendas, & primis nascentis Ecclesiæ decretis contrarias, Conciliisque generalibus (quibus omnia Episcoporum auctoritati subiiciuntur) inimicas. Immo hæc Constantiensis vniuersitatis Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, eadem sessione statuit, vt de cætero nullæ exemptiones nisi causa cognita, & vocatis quorum interest, concederentur, exemptiones indefinitè non annullat & reiicit: & ipsa Tridentina constitutione Abbatibus Ordinum primariis, toleratæ exemptiones, hi enim Concilio aderant; Ecclesiarum autem cathedralium Capitulis inauditis, absentibus, nec vocatis prohibitæ; vnus est Spiritus sanctus, vna eius doctrina, & si liceat ab iis quæ sunt iuris positiui discedere, id fiat ex doctrina Concilij Constantiensis, causa cognita, & vocatis quorum interest, cùm partibus ius est legitimè & ex doctrina Ecclesiæ quæsitum.

NVM. CCCXI.

Voluit de facto Concordatum suum ad monasteria monialium extendere.

Monialium promisio ad Regis nominationem.

HODIE nulla dubitatio esse potest, cùm edicto Henrici III. in magno Regis Con-

filio registrato, monialium monasteria ad Regis nominationem, vt alia monachorum monasteria conferantur. Et ita hodie vulgare, vt si Romæ spreta Regis nominatione monialium prouisio detur, per appellationem tanquam ab abusu omnia annullantur. Sed quia nondum ex stilo Cancellariæ Apostolicæ receptum fuit in monialium prouisionibus hanc clausulam inserere (pro qua Christianissimus filius noster Rex Francorum nobis rescripsit), vigilent Abbatissæ, & accuratè Regis nominationem conseruent, eius enim exemplum de facili amittitur aut mutatur.

NVM. CCCXIII.

Cœpit etiam de facto vti in commendariis Rodiensium, seu hospitaliæ sancti Ioannis Hierosolymitani, seu potiùs Maltensium.

HI ordines certa habent priuilegia à Summo Pontifice & regibus nostris confirmata, & in libris summorum Franciæ tribunalium inscripta & registrata, quibus ordini datur dignitatum electio, antiquiores designati ad primarias has dignitates obtinendas; quod in simplicibus dignitatibus seu commendis inuio- *De Rhodiensium commendis.*

labiliter obſeruatur : Non idem in magnis Prioratibus.

NVM. CCCXV.

Decanatus autem etiamſi ſæpe ſint electiui.

De Decanatuũ electione.

DICTVM fuit ſup. num. 6. Decanatuum prouiſionem Regi non competere, niſi Reges ſint in ea poſſeſſione. Ideo Decanatuum reſignationes Romæ admittuntur, ſpreta Regis nominatione. Nec Molinæi probatur opinio, Papam Regi indultum conceſſiſſe pro Decanatuum aut primarum dignitatum Eccleſiarum cathedralium poſt Pontificales nominatione. Nec hodie cathedrales Eccleſiæ in Decanatuum electione, à Rege aut eius Procuratore generali impediuntur, niſi Rex ſit in poſſeſſione nominandi. Sed an Eccleſiæ collegiatæ Decanatus inter dignitates computentur, & an hæc verba conſiderari debeant (Decanatus Eccleſiæ, aut Decanatus in Eccleſia) : & an eis iuriſdictio immineat aut cura animarum : an ex iuris diſpoſitione ſit dignitas Decanatus, cùm inter dignitates à iure non annumeretur : an ex conſuetudine : & quid de Moyſi conſtitutione decanos & centuriones inſtituente, vt iudicarent populum Iſraëliticum : vide 17. aliàs 442. Rot. deciſ. in nouis, ſub titul. de Conceſſ. Præb. Qui igitur De-

canatus electionem ſub forma Cap. Quia propter obſeruandam. poſtulant, probent neceſſariò ex ſtatuto vel immemoriali conſuetudine, id in Eccleſia obſeruatum. Iuris enim communis diſpoſitio eſt in contrarium, cùm per Decanatus vacationem Eccleſia Paſtore viduata dici non poſſit.

NVM. CCCXVI.

Concordata quidam imperiti vt perſonalia Regis morte finiri putabant.

QVÆ à Papa Regi proprio nomine conceduntur, perſonalia ſunt, & cum Regis perſona pereunt: Quæ autem à Sede Apoſtolica non tam Regi quàm Coronæ dantur, perpetuà ſunt. Cap. Ne alicui. Cap. Per exemptionem. De priuileg. in 6. Ideo priuilegia quæ à Sede Apoſtolica Regi, Reginæ Franciæ, eorum domeſticis, Senatoribus & familiaribus, conceſſa ſunt, morte concedentis non extinguuntur, ſed perpetua ſunt nec reuocantur: & notaret quodammodo talis reuocatio, & quid de Apoſtolica poteſtate & Regia dignitate diminueret. Praxis autem regni deſiderat talia indulta in ſummo Pariſiorum Senatu regiſtrari, ad perpetuam rei memoriam: & ſi poſtea daretur Romæ indulti reuocatio, aut quid contra indulti tenorem concederetur, appellationis tanquam ab abuſu remedio omnia annullarentur.

Priuilegia Regi vel Regno conceſſa, quando perpetua, quando temporalia.

NVM. CCCXIX.

Reſpondi quòd audiri debet, & interim impediet executionem arreſti.

DECRETA Senatus contra eos executioni mandantur, cum quibus latum eſt iudiciũ, nonobſtante quacunque appellatione. Standum enim rei iudicatæ. quæ vera ſunt, ſi contradictorio iudicio, aut parte legitimè vocata, licèt indefenſa, negotium deciſum fuerit, vt Regiis conſtitutionibus vſúque forenſi ſtatutum & receptum eſt: Secus contra tertium inauditum, tunc enim oppoſitio impedit iudicati executionem, ſi liquidò de cauſis oppoſitionum conſtet; ſin verò admittitur quidem oppoſitio, ſed per modum prouiſionis rei iudicatæ ſtandum eſt: conſtitutionis Regiæ verba ſunt, *Et cependant l'arreſt executé par prouiſion.*

NVM. CCCXIX.

Etiamſi per tres annos continuos poſſediſſet, quia Titius non neglexit.

NOTANDA Molinæi opinio contra eos qui, pendente lite cum legitima parte mota,

ta, possident beneficium per triennium: hi enim pacificè & quietè possidere non dicuntur, propter litem & vitium litigij, cùm eo casu nil imputari possit litiganti qui litem contra legitimum contradictorem prosecutus est: & ita pro Prioratu sancti Georgij de vnione iudicatum 1578. mense Iunio, in publicis causarum actionibus, Lomede & Chauuelin orantibus, Michaële Le Sourt victoriam obtinente.

NVM. CCCXIX.

Sed actor qui succumbit in illo incidenti, perdit duntaxat beneficium illius decreti.

OBSCVRA nimis Molinæi opinio: qui enim decreto de pacificis beneficium obtinet, & in possessorio & in petitorio obtinet: triennalis hæc possessio, vera est præscriptio, eóque temporis spatio titulus beneficij præscribitur: quæ præscriptio plenum ius tribuit, plenissimam domino securitatem dat, nihil postea quærendum. Dic igitur hunc possessorem non iuuari decreto de pacificis possessionibus, mala fide possidebat, sciebat litigiosum beneficium cum resignante; at Regia Francisci primi constitutione iudicia contra resignantem lata, contra resignatarios executioni mandantur.

NVM. CCCXX.

Vel beneficio manuali modò ſit titulus.

DVBITATVM fuit an poſſent eſſe beneficia manualia, quæ ad nutum conferuntur & reuocantur, cùm in titulum dantur: tituli autem ſunt perpetui, vnde commendæ quæ ad vitam conceduntur inter titulos annumerantur, ea ſola ratione, quia perpetuæ ex eo dictæ quia non reuocentur: & licèt generalis ſit conſtitutio de pacif. poſſeſſoribus, omniáque comprehendat beneficia quæ in titulum conferuntur, ceſſat tamen in beneficiis ordinis ſancti Benedicti ex reformatione caſæ ſeu cathedræ Benedictinæ, cùm de triennio in triennium ex ſtatuto reformationis poſſeſſores mutentur, ex Rebuf. doctrina ad prædictam regulam de trienn. poſſeſſ. limit. 6. num. 272. vt & in iis beneficiis regularibus quæ ad nutum conferuntur, ex eodem Rebuf. num. 273. 274. Horum enim beneficiorum manualium natura & conditio nullam triennalem præſcriptionem admittit, etiamſi Abbas conferendo beneficium à reuocatione eximeret: huic enim pactioni beneficij natura reſiſtit: vnum caſum Vltramontani excipiunt, cùm Papa ex certa ſcientia purè monacho contulit beneficium. Nec mirum ſi hæc in prædicta regula

ita statuta fuerint, omnes enim monachi ex cap. 32. Benedict. constitutionis, ex voto paupertatis & obedientiæ nil habent, nil possident, nulla eorum voluntas, pendet omne negotium ex mera & absoluta Abbatis seu superioris potestate; & antiquitus omnia beneficia regularia in prædicta regula erant manualia, vt ad nutum conferebantur, ita ad nutum reuocabantur; vt ad hunc vsque diem vestigia remanent in Abbatia sancti Petri de Cultura, in Abbatia du Bec, aliisque maioribus monasteriis, in quibus obedientiaria nuncupantur beneficia propter illam adstrictam & rigidam obedientiam. Verior tamen Molinæi opinio, talia beneficia verè dici beneficia, & Regulæ de infir. obnoxia, vnde in beneficiorum prouisionibus exprimi debent, ex Rebuf. doctrina, tract. nominat. quæst. 9. num. 25. possunt enim talia beneficia esse perpetua, vt in Concordat. tit. Forma mandat. Apost. in verbo Pro expressis, versiculo nono: etiam beneficium manuale debet exprimi. & licèt Glos. Prag. Sanct. in §. Item quoad dictas. in verbo, Perpetuis. de Collat. talia beneficia manualia non perpetua dicat, quia ad nutum Abbatis reuocentur, ex cap. Cùm ad monasterium. vers. Nec alicui. de Statu monach. & in Clement. Quia regulares. §. Præmissa. de supplen. negligentia Prælat. iure tamen Gallico Abbatibus non licere sine causa rationabili horum manualium beneficiorum titulum & collationem reuocare obser-

uamus, & eam opinionem asserit de Selua tract. benef. parte tertia, quæst. 68. vers. Nec debet Abbas sine causa. Glosa quidem prædicta Prag. Sanct. circa finem, vers. Quod si hoc faceret, hanc reuocationis denegationem limitare voluit, cùm odio vel malitia fit, possitque eo monachus obedientiarius superioris implorare auxilium. Sed indistinctè Probus ad Glos. prædictam n. 1. versiculo Quod si illud quod est ad tempus, hanc reuocationem iure nostro prohiberi sine causa asserit, & eius seruatur opinio. hæc sunt verba Molinæi inf. num. 390. Priores manuales ad nutum reuocare, priuatio fieri non potest nisi ex causa vera & probata, vt rectè obseruamus.

NVM. CCCXX.

Secus de vnitis mensæ, quæ inter beneficia nullo modo computantur.

Beneficia enim post vnionem nomen & qualitatem amittunt, & eam assumunt beneficij cui vniuntur: fit enim per vnionem de duobus beneficiis vnum beneficium. Ideo vnita beneficia, Regulæ de publicand. non subiiciuntur. Infra ad regulam de public. num. 174. 234. Vnita beneficia vacare non possunt, nisi cum beneficio principali, nominatis non subiiciuntur,

ex Rebuf. tract. nominat. quæst. 15. num. 31. Plura apud eundem Rebuf. in praxi beneficiorum tit. de vnionibus, & apud Christof. de Rusigniac. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 7. non beneficiorum vnionem, sed beneficiorum vnitatem nominantem fauorum copulationem, & alio loco plurium fauorum in vnum coitionem, & alibi sub eodem titul. Cùm fauorum vnitas facta sit cum causæ cognitione, & quòd vnitum beneficium, naturam, nomen, & qualitatem beneficij cui vnitur adsumat. vide Ruze. tract. iur. regaliorum priuil. 40. num. 6. & Prob. quæst. 18. iuris regal. Ideo appositè Molinæus hîc vnita beneficia ampliùs non dici beneficia docet, nec igitur exprimi debent in prouisionibus Apostolicis, cùm non sint ampliùs beneficia. & notat Gomes. ad regul. de infir. quæst. 15. beneficium vnitum amittere nomen beneficij quod habebat ante vnionem, ideo nullam de eo fieri posse permutationem: quæ omnia in vera siue perpetua vnione intelligas, non de momentanea siue merè personali, de ea namque in impetratione facienda est mentio, vt probat de Selua tract. de benef. tertia parte, quæst. 11. versicul. Decima quarta qualitas: sed has personales seu temporaneas permutationes reiicit praxis Galliæ.



NVM. CCCXXI.

Amplio 19. etiam in hoſpitalibus, noſocomiis, leproſariis, eleemoſynariis, & ſimilibus.

De leproſariis & eleemoſynariis.

MVLTIS Franciſci I. Henrici II. Franciſci II. & Caroli IX. conſtitutionibus in Pariſienſi Senatu approbatis ſtatutum, huiuſmodi reditus per Commiſſarios regi, & adminiſtrari, & in pauperum alimoniis erogari debere; maximè quoad hoſpitalia magnatum ciuitatum, nonobſtante quorundam Epiſcoporum oppoſitione. idem de leproſariis poſtea iudicatum. Molinæi autem notanda diſtinctio, aliquando leproſarias, hoſpitalia, & eleemoſynarias in beneficij titulum conferri per collatores ordinarios; & regia Franciſci I. conſtitutione in Senatu Pariſienſi verificata 23. Maij 1545. eorum damnatur opinio, qui exiſtimarunt hæc omnia in titulum beneficij conferri, nec inter beneficia annumerari poſſe.

NVM. CCCXXI.

Hinc non habet locum in commendatariis hoſpitalium Sancti Ioannis Hieroſolymitani, quia non ſunt beneficia.

Commenda Rhodienſium an inter beneficia.

MAGNA contentio anno Domini 1561. inter

Magistrum Ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, Priores & Fratres totius Ordinis, & Archiepiscopos & Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ, an dicti Ordinis commendæ cum aliis Ecclesiæ Gallicanæ beneficiis ad decimarum solutionem tenerentur, & ad id obligari posse negabant, cùm in toto Ordine nulla prorsus essent beneficia. Causâ tamen cecidere propter temporalia bona quæ possident in regno: & certè cùm prædicti Ordinis Prioratus, & Commendæ Clericorum gaudeant priuilegiis, milites seu Ordinis Fratres, propter votum & cælibatum, sint veluti personæ Ecclesiasticæ, & Prioratus & Commendæ aliis beneficiis in reditibus comparari debeant, meritò ad huius tributi contributionem vocati fuere: non quòd verè sint beneficia; Prioratuum enim & Commendarum resignationes à summo Pontifice non admittuntur, non iisdem legibus, quibus alia beneficia, obligantur; aliæ vacationes, diuersæ deuolutiones, contrariæ præuentiones; vt beneficia Ecclesiastica sacris legibus & sanctorum Patrum decretis ligantur, ita hi Prioratus & Commendæ constitutionibus & statutis sui Ordinis: sunt hæ militiæ temporales militibus debitæ, & quæ à spiritualibus rebus separantur: & ex eo quòd Molinæus milites Commendarum conductores, non vsufructuarios, nec dominos nominat, ob annuam pensionis præstationem; nonnulli omnem militibus alienationis speciem, imò neq; emphyteosis

conceſſionem denegarunt, nec Commendarum ſeu Prioratuum iura vlla ſubmoueri præſcriptione, excepta centenaria, quæ omnem quamcumque præſcriptionem excludit, & quæ vim tituli habet. Ideo periculoſum cum eis contrahere qui conditionem meliorem, non verò deteriorem facere poſſunt. Et miror tantum Senatorem Coraſium eos Prioratus & Commendas inter beneficia Eccleſiaſtica annumeraſſe, in ſua Para. Sacerdot. parte 1. cap. 3. num. 2.

NVM. CCCXXII.

Amplio 20. in omni permutatione ſiue æquali ſiue inæquali.

INVTILIS hæc eſt quæſtio, cùm regula de infirmis locum non habeat in Ordinario, vt ſuprà dictum fuit. Inutilis ideo Molinæi diſtinctio, de vera & fraudulenta permutatione. Sed quæro: in menſibus graduatorum præbenda quæ erat in Cardinalis collatione (in qua ob indultum omnis derogatio ad hanc regulam ceſſat) Romæ fuit reſignata, cum derogatione ad hanc regulam, ſi reſignans intra 20. dies deceſſerit, an virtute indulti, graduati nullam fuiſſe reſignationem dicere poſſint: & cùm nil penitus illuſtriſſimo Cardinali interſit hanc reſignationem valere, vel nullam eſſe propter menſes graduatorum, multoties iudicatum etiam in Prætoriano

An indultum Cardinalium graduatis poſſit communicari.

toriano Consilio, graduatos indulti priuandos beneficio, nec conquerente illustrissimo Cardinali resignationem ex eo capite impugnandam, eo enim in casu Cardinalium priuilegium merè personale, nec graduatis potest communicari: cùm tale indultum sit tantùm in fauorem Ordinariorum, quorum officium cessat in mensibus graduatorum, si modò requisierint graduati. Si autem nulla graduatorum fuerit vacantis beneficij requisitio, nec vllus eorum legitimè conqueratur, poterunt eo casu conferre Cardinales, & indulti priuilegio resignationes huiusmodi annullare.

NVM. CCCXXIII.

Hæc reseruatio vt omnis pensio reducitur ad tertiam partem fructuum.

Quando collationes loco pensionis reseruantur.

ABVNDE probatum suprà num. 213. collationum reseruationem tolerari à Senatoribus Prætorianis. Si autem vt fructuum ad tertiam partem facienda sit reductio, ita & collationum, quomodo executio fieri poterit, & octo menses resignatario, quatuor pensionario, ad conferendum concedendos esse existimo; & ita pro tertia parte collationum graduatis affecta iudicatum, in executione Concordatorum. Sed incerta Senatorum vota, quæ in summis Franciæ tribu-

nalibus in decidendis his quæſtionibus reddun-tur, an huiuſmodi reſeruationes admittantur ; an omnino reiiciantur, poſtulant vt quid certi ſta-tuatur. Et deciſum fuit ſuprà num. 13. ex per-ſonarum & beneficiorum qualitate id metien-dum : & qua ratione fructuum reductio in im-moderata penſione fieri debet, eadem ratio-ne collationum facienda reductio : vt hæc duarum partium legitima portio, quæ in fru-ctibus lucratiuis conſiſtit, in aliis fructibus honorificis, puta collationibus locum habeat, hi enim omnes fructus à beneficij iuribus de-pendent, ſunt (vt ita loquar) in bonis hæredi-tatis in his omnibus legitima debetur portio : aliàs veri beneficiorum domini ſuis priuarentur collationibus, & grauiter peccarent in præcipua & principali functione ſuæ adminiſtrationis, quæ in diſtributione & collatione beneficiorum con-ſiſtit ; immutarentur ſanctorum Patrum decreta, & generalium Conciliorum conſtitutiones, quæ beneficiorum diſpoſitiones & collationes veras beneficiorum dominis non penſionariis conce-dunt. Conquerente autem Procuratore generali, quia in hac ferrea ætate, maliſque moribus pau-latim in ſummis tribunalibus gliſcentibus, quo-dammodo ab antiqua, imò vera Conciliorum generalium doctrina receſſum fuit, qua vetitum erat Eccleſiaſtica beneficia cum diminutione conferre, & ſpiritualium alteri quàm vero be-neficij domino adminiſtrationem concedere.

Satisfactum erit, si duæ collationum partes vero domino conseruentur, & huic opinioni assentire videtur Molinæus: & temporibus nostris quasi impossibile omnia ad veram & legitimam antiquorum Patrum doctrinam reducere.

NVM. CCCXXV.

Sed tamen impetrans per obitum regulariter tenetur probare resignantem mortuum infra 20. dies.

REQVIRIT enim regula de infirmis resignantibus, resignantem infra 20. diem de eadem infirmitate decessisse: vt igitur locum habeat, obitum probare debet qui prætendit beneficium vacasse per obitum.

NVM. CCCXXVI.

Quid enim si sanus hoc facit, & instrumentum penes se seruat.

EXISTIMAVIT Gomesius infirmitatem in resignante requiri, non solùm resignationis admissæ tempore, sed & confectionis mandati ad resignandum: nec enim de sano mandatum ad resignandum conficiente intelligitur regula de infirmis resignantibus: & procedit

In regula de 20. diebus infirmitas quando desideratur?

Gomesij opinio cessante fraude ex parte resignantis. Si autem ad eludendam regulam mandatum in plena valetudine confectum sit; vt adueniente infirmitate Romæ mitteretur, locum habet regula: & prodest hæc quæstio in collationibus Cardinalium, & eorum qui indulti vtuntur priuilegio, aliàs facillimum cuique resignanti regulam nostram eneruare & eius effectum irridere.

NVM. CCCXXVII.

Vt dies, in quo per resignantem vel eius specialem procuratorem præstatur consensus, non computetur in numero viginti dierum.

HÆc est communis nostrorum opinio, quæ consulendo & iudicando ad vnguem obseruatur propter præpositionem, à, quæ terminum excludit, exclusionem & separationem significat. ex cap. 3. de Præb. in sext. in hæc verba Per mensem à die quo beneficia vacauerunt. & ibi Glos. Vide Clement. Sicut. de appellationibus.

NVM. CCCXXVIII.

Etiamsi resignatario prouisum fuerit à Papa cum clausula hodie vulgata, etiamsi per obitum, vel aliàs quouismodo vacet.

HÆ clausulæ ex stylo communi & ordinario apponi solitæ, in supplicationibus & prouisionibus Apostolicis, quamlibet beneficij vacationem continent, per resignationem, per obitum, per deuolutionem. modò hæ vacationes tempore supplicationis, non post supplicationem aduenerint, præcedant supplicationem non subsequantur. Sed hoc planè inutile, cùm solita sit derogatio ad hanc regulam, in collationibus autem Cardinalium nullæ sint præuentiones nisi post sex menses.

NVM. CCCXXXI.

QVIDQVID hîc sentiat Molinæus, potest Summus Pontifex ad patronorum præsentationem, aut collatorum refutationem prouidere, vt Ordinariorum Ordinarius: & quæ possunt ordinarij collatores, potest & Summus Pontifex. Subtiliores, Papæ prouisionem nullam, cùm præsentatio patroni Ordinarium tantùm requirat, existimant. Ego contrà, Ordinarij verbo Summum Pontificem contineri. Vere enim *An Papa ad Patronorum præsentationem possit conferre.*

Ordinarius, & ea qualitas in eo legitimè verificari poteſt. Alia quæſtio, an eo caſu locum habeat hæc regula de infirmis; in omnibus enim Apoſtolicis prouiſionibus quæ per reſignationem fiunt, habet locum hæc regula, ſi modò regulæ derogatum non fuerit.

NVM. CCCXXXII.

Sed falſum eſt, & contrarium obſeruatur.

PROCEDIT Molinæi opinio contra prouiſionis nullitatem. valida enim eſt, patrono intra ſex menſes à die veriſimilis notitiæ computandos non conquerente: nulla autem ex Gomeſio, patrono conquerente: aliàs deciperentur patroni. Fallit in patronatu laïcorum, & in legitima permutatione quæ collatori neceſſitatem imponit. Neceſſarius enim patroni laïci conſenſus in reſignatione & permutatione, Eccleſiaſtici verò negligitur in permutatione. Nil autem refert an conſenſus patroni collationem præcedat, vel eam ſubſequatur. 1. aliàs 527. Rot. Deciſ. de Inſtitut. in antiquis. ex capit. Suggeſtum. in verbo Subſecutos. de iure Patronatus.



NVM. CCCXXXIV.

Hæc enim regula non eſt de pecuniariis, & merè voluntariis: ſed concernit, & facta eſt ob bonum publicum, & ad fraudes amputandas.

HÆc ſi vera ſint, cur huic regulæ de facili & ſtylo communi ita derogatur per Summum Pontificem, & ordinarij collatores (demptis illuſtriſſimis Cardinalibus) miſerè regulæ priuantur beneficio. An liceat iis quæ bono publico introducta ſunt, indicta cauſa derogare?

NVM. CCCXXXV.

Nec Papa quidem huic regulæ derogare poſſit.

COMMVNIS vſus forenſis Molinæi opinionem impugnat, & in ſummis tribunalibus Franciæ hæ derogationes paſſim admittuntur, quæ ex ſtylo Cancellariæ Apoſtolicæ omnibus prouiſionibus inſeri ſolent, ſi modò reſignantes extra Romanam Curiam deceſſerint. & ſi ratione has derogationes ceſſante omni præiudicio euellere liceret, Molinæi opinioni ſubſcriberem.

An Papa regulæ de infirm. reſignant. poſſit derogare.

NVM. CCCXXXVIII.

Reſpondi illud indultum nullum & abuſiuum eſſe.

HODIE inutilis hæc quæſtio, cùm Romæ talia indulta non conceduntur: quæ ſi locum haberent, ſuppreſſa, & penitus extincta eſſet in collatione beneficiorum Ordinariorum poteſtas: haberent enim Ordinarij Papæ vicarium vel legatum, qui reſignationes admitteret, & vacantia conferret beneficia.

NVM. CCCXLI. & CCCXLII.

Nunc limito primò, vt non procedat in infirmitate tam inopinata.

INFIRMITATEM tempore reſignationis deſiderat regula de infirm. & in ſuſpicione fraudis tempus traditionis mandati conſideratur, vt ſup. docuimus num. 326. Notandum obiter in conſtitutionibus verba ad litteram non ſemper accipienda, cùm menti & voluntati Legiſlatoris repugnant: verba enim introducta ad voluntatis declarationem, ideo verba voluntati, non mens Legiſlatoris verbis ſubmitti debent.



NVM.

NVM. CCCXLV.

Renuntiatio beneficij non valet, nisi in manus Ordinarij.

EADEM enim potestas in conferendo, quæ in resignationum admissione desideratur: nec enim à sola voluntate resignantis, sed collatoris pendet: nec eorum probamus opinionem, qui resignationem in manibus laici nullam potestatem habentis factam, validam putant: imò Vicarij generales Episcoporum resignationes admittere, nec conferre possunt præsule defuncto, licèt mors eis sit incognita, & bona fide contulerint, ex glos. Pragm. Sanct. in cap. Sicut. §. ad tollendum, in verbo Liberè in fine. de Elect. & Christophoro de Rufignac. Comment. Pontific. lib. 3. cap. 14. in fine. Ioan. de Selua tract. de benef. 3. parte quæst. 32.

Eadem in prouidendo & eiurando potestas.

Præsule defuncto Vicariorum cessat potestas.

NVM. CCCXLVI.

Nisi iura Ordinariorum vsurpando, & nouam non solùm contra antiquos canones.

NVNQVAM dubitatum fuit in Ecclesia de potestate summi Pontificis data primùm Petro & Apostolis data Ecclesię: Si peccauerit, &c.

dic Ecclesiæ: & remansit hæc potestas in Ecclesia, cuius caput est summus Pontifex. Sit igitur illa potestas in Ecclesia tanquam in fundamento, & in summo Pontifice tanquam in ministro principali, per quem hæc exercetur. vide Glos. Prag. Sanct. in Cap. Sacrosancta. §. Cui quilibet. de auctorit. general. Concil. Ipsa suprema potestas seu iurisdictio, per vniuersam Ecclesiam Pontificali auctoritati concessa fuit: Romana Ecclesia alias iudicat Ecclesias, à nemine autem iudicatur. Can. Cuncta per mund. quæst. 3. & hæc sunt iuris certissimi. Sed quod dissimile in beneficiorum collatione narrat Molinæus & appositè, nec in decretorum toto volumine legimus, Papam in conferendis beneficiis Ordinariorum esse Ordinarium: in decretalibus autem multæ de Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum electione contentiones inueniuntur, toto titul. de elect. quædam de collatiuis beneficiis controuersiæ, toto titulo de Præbend. sed de præueniendis Ordinariis nulla præcepta, immo Lateranensis Concilij statuta repugnant, Cap. de Concess. Præbend, Datur enim ordinariis collatoribus semestre tempus ad conferendum, & sola deuolutio Papæ reseruatur. Idem in Constantiensi & Basiliensi Conciliis. Sed Sexti decretalium noua iurisprudentia, summi Pontifices præuentionibus quodam iure omnimodam in collatores ordinarios potestatem sibi tribuerunt, eámque qualitatem (Ordinariorum Ordinarij)

non propter Ordinariorum negligentiam, vt antiquo iure, sed plenariè & ex supremæ potestatis plenitudine assumpserunt, in Cap. Licet. de Præb. in 6. Clement. 1. Vt lite pend. Quam nouam doctrinam secuti sunt Doctores, Abbas in Cap. Quia diuersitatem de concess. Præbend. & nostri, vt Ioannes de Selua tract. de beneficiis 3. parte quæst. 60. Glos. Prag. Sanct. in §. Item circa. in verbo Suadet. de Collat. eóque iure vtimur propter legem Concordat. in §. Declarantes. de mandat. Apostol. ibi enim in omnes ordinarios collatores datur summo Pontifici præuentio. Cesset igitur opinio Molinæi vsurpationem hanc præuentionem dicentis. Imò ius est nostrum quo vtimur.

NVM. CCCXLVIII.

Incumbit ergo hoc casu resignatario probare sanam mentem.

VIDENDVM qua ex parte animi sanitas aut insania præponderant, vt sit præsumptioni locus, arg. l. penult. in verbo Suspicio. de condit. inst. ff. In insaniente qui ratiocinationis quædam interualla dilucida habet, Molinæi procedit opinio: in sana mente quæ per interualla furore vel insania detinetur, Gomesij præualet sententia: quolibet enim casu præsumptio, probationis onus in aduersarium reiicit ex 23. Boërij decis. num. 84. & 85. in hæc verba, Re- *Insanientis animi præsumptiones.*

fert an qualitas diſpoſitionis arguat ad partem ſani conſilij, & præſumatur ſanæ mentis fuiſſe. & hanc opinionem probat Chriſtophorus de Rufignac. in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 25. in fine. Sed hodie Notarij Apoſtolici ſolent fauore reſignatariorum in mandatis ad eiuranda beneficia clauſulam apponere (reſignantem ſanum mente,) vt per hanc aſſertionem ſtetur inſtrumento, & dementiam obiicientes tempore mandati aut non admittantur, aut in eos contrarij probatio reiiciatur.

NVM. CCCLI.

Limito quintò vt non procedat in morte ciuili: ſtatutum enim loquens de morte intelligitur de naturali, non autem de ciuili.

Quando de morte naturali ad ciuilem fiat extenſio.

DVBITABATVR: cùm in fauorabilibus extenſio de facili fiat de morte naturali ad ciuilem, mors vtraque dicatur, ciuiliter mortuus inter homines non computetur, contractuum, officiorum, aliarúmque rerum ciuilium ſit expers; faciliórque in lege extenſio, quæ ſola identitatis ratione interpretationem accipit. At verior Molinæi opinio, extenſionem de naturali ad ciuilem mortem fieri non debere, niſi ex identitate rationis, & mors ciuilis mors propriè

non dicatur; in multis differant: quoad ciuilia quidem fieri posset extensio, non quoad naturalia. Háncque distinctionem sequitur Molinæus in additione ad 139. Alexand. Consil. lib. 2. & communem hanc esse Doctorum sententiam probat Alex. in d. consil. vide eundem Molinæum ad regul. de public. num. 80. & 81.

NVM. CCCLIII.

Idem multò fortiùs in regula 30. de impetrantibus beneficia vacantia per obitum familiar. Cardin.

INVTILES sunt hodie quæstiones quæ ex 30. regul. Cancell. Apostolicæ dependent, cùm Cardinalium collegium proprium habeat indultum, familiares, seu domesticos Cardinalium comprehendens.

NVM. CCCLXIV.

Vnde si familiaris Cardinalis resignat in manus Papæ.

SVBREPTITIA supplicatio dicitur in beneficialibus, cùm ea omittuntur quæ Summum Pontificem mouere, suadere vel dissuadere potuerunt, Cap. Postulasti. de Rescript. 61. aliàs *Subreptio in prouisionibus beneficiorum.*

703. Rot. dec. de conc. Præb. in antiquis. Clement. Si dignitatem. ff. de præb. Molin. ſup. n. 72. verſic. Quia quælibet vel minima. & n. 21. verſ. Vel aliàs nulliter. & n. 151. in fin. ver. Niſi ſola ſubreptio. Cùm autem domeſtici vel familiares Cardinalium ſpeciali indulto ſpecialia habeant priuilegia, ſi eorum qualitas non exprimatur, ſi eorum priuilegio non ſit derogatum, nulla erit & ſubreptitia prouiſio. & ita Romæ ſeruatur, vt probat 16. aliàs 721. Rotæ deciſ. de Præbend. in Antiquis. Sed cùm hæ reſeruationes in Regno ſint per Concordata ſublatæ, hæc omnia ſint inutilia. Quando autem gratia ſubreptitia verè dicatur, cùm ea non exprimantur Papæ, quæ in iure exprimi debent, vt in cap. Si motu proprio. de Præbend. lib. 6. quantulumcunque beneficium exprimi debet. in Cap. Cùm in illis. §. Illis verò. de Præb. in 6. beneficium eſſe electiuum impetrans exprimere tenetur, deciſ. 13. de Præb. in Antiquioribus Rotæ deciſ. num. 5. in Cap. Licet. de Præbend. lib. 6. & deciſione 67. aliàs 878. de conceſ. Præbend. in antiquis. Clement. 1. de Præbend. & infrà ad regul. de veriſimili notitia n. 56. beneficium in Curia vacaſſe exprimi debet in Clement. 1. de Præbend. beneficio curam imminere animarum, aut ſaltem quando ex iuris diſpoſitione veriſimile Papam non ita gratiam conceſſiſſe, ſi tacitum vel ſuppreſſim expoſitum ſuæ ſanctitati fuiſſet, vt videre licet in fine Capituli Dudum. de Præbend. in 6. Aliàs vnicuique

licitum subtili quadam ratione subreptionis causas sibi effingere, & quamlibet gratiam annullare: & hæc est Rotæ opinio in decis. 21. aliàs 331. num. 7. de Præbend. in nouis. vt puta si quis canonicatus ad effectum obtinendæ dignitatis, mentionem non fecerit: nihilominus valida erit prouisio, non enim huiusmodi canonicatus est titulus beneficij, sed quoddam ius præparatorium ad futurum ius obtinendum; vt verbis vtar Glos. Prag. Sanct. in fine titul. de collat. in verbo Collatoris. vers. Sed est quoddam. & hæc est Probi opinio ad Glos. Pragmaticæ Sanctionis in §. Quòd si quis. in versicul. Similiter. n. 2. de collat. Rebuf. rub. de reseruat. in verbo. In cathedralibus. versiculo Notandum est iste textus in Concord. & hæc est doctrina Glos. extrauag. Sedes Apostolica. de Offic. deleg. in verbo, Ius ad rem. & ita in Rota seruatur ex 26. aliàs 445. decis. de Præbend. in nouis num. 7. Vide quæ notauimus sup. num. 13. in fine. Generalis sit autem regula in his impetrationibus, omissionem qualitatis beneficio ex iuris dispositione inhærentis non vitiare gratiam: secus si de facto inhæreat qualitas à statuto, consuetudine, vel fundatione. ex 75. aliàs 610. Rotæ decis. de Rescript. in antiq. cùm ea quæ sunt priuilegij, consuetudinis, aut ex speciali fundatione, liceat ignorare, cap. 1. de constit. lib. 6. hæc enim sunt potiùs facti, quàm iuris, ex 13. decis. Rot. titul. de Præbend. in antiquioribus. Sed aliæ mouetur quæstio:

ſiquis in manibus poteſtatem non habentis, beneficium eiurauerit, poſtea aliam beneficij gratiam à Papa obtinuit: an beneficij ſic malè eiurati mentionem facere debuerit, & non debere, cùm iuſtè exiſtimauerit eiurato priuatum beneficio. Contrarium in Rota iudicatum, cùm talis renuntiatio nulla ſit, eiurantem non priuauerit beneficio, ius in beneficio remanſerit, ideo exprimi debuit ex 4. Rotæ deciſ. tit. de Elect. in antiquioribus. Quod limitandum exiſtimarem, ſi reſignans in poſſeſſione remanſerit nonobſtante reſignatione, ſi ſciuerit à non habente poteſtatem reſignationem admiſſam. Quid enim ſi iuſta aut veriſimili ratione exiſtimauerit validam fuiſſe reſignationem, per talem reſignationem ſuo priuatum fuiſſe beneficio, nil eo ſpeciali caſu imputari poteſt: & propter hanc bonam fidem impetrantis Romæ beneficia exiſtimauit Molinæus ad hanc regul. num. 4. mandatum ad reſignandum beneficium datum, licèt nondum executum, ſubreptionis & obreptionis maculam delere, ad expreſſionem impetrantem non obligari. Vide quæ ibi notaui. Notandum obiter omnia beneficia acceptata, in prouiſionibus Apoſtolicis exprimenda, quantulumcumque ſit beneficium, ſub pœna nullitatis. Cap. Gratia. de Reſcript in 6. Cap. Collatio. de offi. leg. in 6. Cap. Si motu proprio. de Præbend. in 6. Molinæus ad reg. de infirmis num. 4. verſic. Impetrat aliud non facta mentione prioris beneficij.
Ioan.

Ioan. de Selua tract. de benef. 3. parte quæst. 11. n. 13. vers. Quia de omni beneficio quod quis obtinet. Ruz. in tract. iur. regal. priuil. 29. n. 3. versic. Secunda ratio. Glos. in cap. Cùm adeo. in verbo De præbenda. versiculo, Expeditum est. de Rescript. & ex 14 aliàs 573. Rot. decis. Quidam Cardinalis, de renunt. in Antiqu. Rebuf. in Praxi beneficiorum, in forma & declarat. nouæ prouisionis, in verbo Nec non omnia & singula, num. 4. 5. 6. ex Ioan. Galli in 5. parte styli Parlamenti quæst. 170. in fine vers. Quidquid dicatur tene indistinctè. Molinæus ad regul. de infir. num. 259. versicul. Quæ etiam tempore decretalium. Si quæ autem sint opiniones in contrarium, limitandæ sunt in rescriptis iustitiæ, in quibus ignorantia subreptionem tollit, seu potius simplicitas: solus autem dolus aut supina & crassa ignorantia nocet, id docet Ioan. de Selua in loco præallegato, facit Clement. Si Romanus Pontifex. de Præbend.

NVM. CCCLXVI. & CCCLXVII.

Pendente accusatione an resignari possint beneficia, & an post condemnationẽ pendente appellatione.

PROBAT Molinæus capitis reos, vel qui propter delictum suis priuari debent beneficiis, non posse pendente accusatione, sua resignare beneficia in fauorem certæ personæ, in manibus Summi Pontificis, nec Summum Pontificem super eo posse dispensare, propter titul. de caus. in Concordatis: posse tamen purè & simpliciter in manibus Ordinariorum resignare. Validæ

quidem Molinæi rationes, & quæ vrgent admodum: nihilominus potentes magníque nominis aduersarios suæ sententiæ oppugnatores habet, Glos. Prag. Sanct. in §. Item insuper. in verbo Disponere, versicul. Poterunt ergo in permut. de Collat. quo in loco num. 12. recitat Probus Glos. opinionem decreto Senatus Parisiensis confirmatam, pro quadam vicaria Ecclesiæ Meldensis, secundùm aliam Glos. cap. 2. in verbo Finita vt lite pendente, in 6. Quæ omnia à Boërio probantur etiam in resignatione in fauorem, decis. 206. à num. 3. ad num. 6. & à Senatore Corasio in Paraph. de Sacerdot. parte 3. cap. 6. num. 15. Prætoriani Consilij Senatusconsultum pro sua opinione recitante: à Rebuf. in tract. de pacif. possessoribus, num. 261. à Rufignaco Præside in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 20. & hæc in Senatu Parisiensi obseruantur ante sententiam & etiam post sententiam, si modò ab ea fuerit appellatum: hæc enim appellatio suspendit iudicatum: nec ab ea resolutione recedere vellem, quidquid in contrarium dicat Molinæus, & ita in Rota iudicatum probat 5. decis. de sententiis & rebus iudic. in antiquioribus contra Molinæi opinionem. Adde resignationem fraude factam dici non posse, nisi in fraudē ordinarij collatoris, quod in Sum. Pont. dici non potest, qui est Ordinariorũ Ordinarius. Sed quia hanc qualitatem Molinæus semper denegauit, ideo resignationem à Papa admitti posse à reo criminis factam negauit. Satis

probatum pendente accusatione beneficiorum resignationem concessam: sed si propter delictum impetratum sit beneficium, distinguendum: aut beneficij datur prouisio, cuius virtute adepta fuit possessio, & lis contestata & denegatur resignatio impetrati beneficij. vt probat Molinæus infra ad regul. de public. num. 203. ante autem adeptam possessionem concessa. Aut verò non datur prouisio, sed tantùm sub clausula priuationis iuris, quando sententia declaratoria desideratur; & eo casu admittitur resignatio ante sententiam declaratoriam priuationis iuris, ex 14. aliàs 491. Rotæ decis. vt lit. pend. in nouis. quod multis rationibus probat Ludouicus Gomes. ad regul. de Annua Possess. quæst. 42. Quid autem hodie statuendum propter Henrici tertij Blesens. Constit. vide quæ notauimus ad regul. de public. num. 203.

NVM. CCCLXXII.

Et sic nullus est textus in iure qui probet aliud quàm quod in primo membro.

DICTVM fuit suprà num. 366. reos criminum resignare posse pendente accusatione, etiam post sententiam pendente appellatione: sed pertinaciter Molinæus resignationem simplicem validam docet, in fauorem autem factam reprobat. At cùm in Summo Pontifice ea-

dem ſit admittendæ reſignationis in fauorem aut ſimpliciter poteſtas, nil Summo Pontifici interſit, nec ordinario collatori, qui à Papa re integra præueniri poteſt per §. Declarantes. de Mandat. Apoſt. in Concordat. nulla dubitandi ratio ſubeſt, Papam has etiam in fauorem eiurationes à reis criminum factas admittere poſſe: meliùs tamen reſignatarij facient, ſi de crimine litem motam exprimant, cùm hoc difficiliorem Papam reddere potuiſſet; quod in atrocioribus criminibus obſeruandum exiſtimarem.

NVM. CCCLXXIII.

Si verò non habeat, vt non ſolent habere.

EPISCOPI per Vicarios hæc ſolent exercere quæ ſunt fori pœnitentialis, & ſolent Pœnitentiarium habere, nonnulli in titulum & dignitatem Eccleſiaſticam, ex diuerſa diœceſeon conſuetudine, iuriſdictionem contentioſam, & habent Officialem iudicem ordinarium: & quæ beneficiorum collationem ſpectant, & ſolent Vicarios generales ad conferenda habere: & hæc ſunt ita diſtincta & ſeparata in ſua functione, vt nullus falcem in meſſem alterius mittere poſſit. Si igitur in beneficij prouiſione Papa ſupplicantem mittat ad Ordinarium, de Vicario generali ad conferenda intelligendum; ſi reſcripti

ad lites cognitionem, de Officiali accipiendum: si de pœnitentia peragenda, ad Pœnitentiarium causæ datur cognitio: horum verò omnium verus Ordinarius Episcopus.

NVM. CCCLXXIV.

Et hæc in eo qui non est priuatus.

EX his nota differentiam quando beneficium vacat ipso iure propter delictum, aut tantùm per sententiam. Quando ipso iure (vt sunt crimina quæ ipso iure beneficij vacationem inducunt) potest illico conferre Ordinarius, puta per simoniam, propter qualificatum homicidium, scilicet assassinatum; nec poterit eo casu tali perpetrato delicto reus resignare, cùm quidquid iuris in beneficio haberet amiserit. Sed quando non ipso iure, sed tantùm per sententiam, non poterit Ordinarius conferre ante sententiam, immo pendente accusatione poterit reus resignare sua beneficia, cùm iis non sit adhuc priuatus.

NVM. CCCLXXVI. & CCCLXXVIII.

Cùm autem hæc conclusio fundetur in iure communi.

PROPTER Doctorum diuersam opinionem quando Ordinarij pendente accusatione re-

ſignationes admittere poſſunt, an quod in prophanis ex L. poſt contractum capitale crimen admittitur, in ſpiritualibus reſignationibus locum habeat; an ſufficiat Ordinario crimen expreſſiſſe, an ipſa accuſatio beneficium vt ſecularia officia afficiat. Exiſtimarunt noſtri Papæ implorandum auxilium, & accuſationis mentionem facere. Summus enim Pontifex Ordinariorum Ordinarius poteſt quamlibet beneficiorum reſignationem admittere, & cùm nullo modo ordinarij collatores in partibus exiſtentes de eo conqueri poſſint, nec alteri quid interſit, ceſſat omnis dubitandi ratio: Nec appoſitè Molinæus abuſiuam exiſtimat Papæ prouiſionem, propter titulum de Cauſis in Concord. etiamſi Papæ declarata & expreſſa ſit accuſatio: duo enim ſunt, accuſatio quæ delicti punitionem ſpectat, & beneficij reſignatio quæ pendente accuſatione ex communi Doctorum ſententia etiam ab ordinario collatore admitti poteſt, vt infr. pleniùs dicemus n. 397. & ita diuerſa, vt nonobſtante tali reſignatione accuſationem inſtructam vel non inſtructam Iudex inſtruere & iudicare poſſit, & reum condemnare. Sed quid priuatio beneficij litis ſeu condemnationis partem facit, liti igitur præiudicat: verum quidem eſt ante reſignationem, ſed poſt reſignationem admiſſam accuſatio neglecto beneficio iudicanda. hæ enim accuſationes ex delicto prouenientes perſonam magis ſpectant, quàm beneficia, beneficia quidem in quantum à reo poſſidentur, nec aliàs.

NVM. CCCLXXXI.

Sed quid si Papa non contulit, sed ante accusationem & resignationem mandauit.

VERA Molinæi sententia. Sed hodie talia mandata seu rescripta Romæ non conceduntur, nec moribus nostris probarentur, futuram enim beneficiorum vacationem contemnerent, & titulo de Causis contra Concordatorum iura repugnarent. vide quæ notaui ad Regul. de public. num. 203.

NVM. CCCLXXXII.

Sed quid de imminente, & præuisa per sententiam canonis: puta per Cap. Licet. canon. de Election. in 6.

De eo qui intra certa tempora ad sacros ordines initiari debebat, quo tempore resignare potest.

IDEO liberè quis poterit suum resignare beneficium, siue in fauorem, aut aliàs intra tempora à canone concessa, sunt enim induciæ legales ab omni molestia & vexatione immunes. Cùm igitur quis intra finem mensis Decembris ad sacrum Presbyteratus Ordinem promoueri teneretur sub pœna priuationis beneficij, dilatione nondum finita poterit eiurare beneficium,

licèt tam breui temporis ſpatio ſacrum ordinem obtinere non potuiſſet. Hæc quæſtio variè in Rota iudicata fuit pro reſignatione pendente dilatione facta, docet 38. aliàs 187. Rot. deciſ. de præbend. in antiquis. ídque ex communi Doctorum ſententia. qui enim intra annum ad ſacrum Presbyteratus ordinem promoueri obligantur, ex conſt. cap. Licet. de Præbend. in 6. pendente ea dilatione ius habent in beneficio, eo non priuantur à lege, niſi anno elapſo. At in deciſ. 6. aliàs 355. de rerum permut. in antiquis, vltima die anni non promotus ad ſacrum ordinem permutare non poteſt, nonnullis dominis de Rota contrariũ ſentientibus. Sed deciſ. 3. aliàs 326. de exempt. in antiquis, nodum ſoluere videtur ex Molinæi ſententia, Reſignationem conceſſam, ſi modò exprimatur tempore à lege ſtatuto ordinem non ſuſceptum: aliàs ſubreptitia reſignatio, & ad eludendum canon. decretum facta: hæc enim irritantis decreti clauſula in Cap. Licet. appoſita, negligentem in ordinis ſacri ſuſceptione ipſo iure, ipſo facto, etiam ſine alia ſententia, beneficio priuat, ius omne ſiue in petitorio ſiue in poſſeſſorio in beneficio tollit, non ampliùs poſſidetur cum titulo, ſed ſine canonica inſtitutione vſurpatur: fructus ita perperam percepti reſtitui debent. Idem ſtatutum fuerat in Concilio generali Conſtantienſi, titul. de diſpenſat. & poſtea Regia Bleſenſi conſtitutione idem cauetur articul. 9. ſola diſpenſatione, qua non obſtante intra bien-

biennium ordines erunt suscipiendi ; hæc dimouere vel mouere Papam potuerunt. Sed quid si in manibus Ordinarij facta sit resignatio, aut dolose, & consilij fraudulenti particeps resignatarius, & nulla prouisio; aut fraudis inscius, & in prouisione apponitur clausula (aut aliàs quouismodo), & valida prouisio non tam virtute cessionis seu resignationis, quàm prædictæ clausulæ. Sed an Summo Pontifici resignans exprimere debeat iniunctum ordinem non suscepisse, & expressio necessaria sit sub pœna subreptionis prouisionis : existimat Molinæus num. 384. necessariam expressionem, & in Rota ita iudicatum asserit; hoc enim suadere vel dissuadere Summum Pontificem potuit: quod sub hac limitatione statuendum existimo, si in fraudem canonis vel decreti resignatio facta fuerit, si resignans lucrum inde perceperit, si permutauerit, & hæc est Probi opinio in addit. ad Glos. Prag. Sanct. in §. Item insuper. in verbo Disponere. versicul. Ideo. de collat. num. 6. in hæc verba Ideo sequitur : secus si purè & liberè & sine vlla spe lucri eiuratio facta fuerit. Et hæc dicta sunt in omnibus casibus, in quibus quis cedere beneficio ex decreto prouisioni apposito, aut ex legis præcepto, aut ex fundationum legibus, tenetur. & ita sentit Molinæus num. 384. in hæc verba : Sed det amico vel collusori, vel vt anniuersaria subrogatione alterius beneficij fraudem perpetuò faciat, &c.

Quando quis beneficium resignare tenetur.

NVM. CCCLXXXV.

Quia tenent omnes Glos. & Doct. pro regula quòd vbicunque quis ipso iure priuatus est beneficio, statim potest tanquam de iure vacans impetrari & conferri non expectata sententia vel declaratione, quamuis non possit.

Quando ipso iure vacare dicantur beneficia.

QVANDO ipso iure, quando per sententiam iuris declaratoriam vacat beneficium, dic pro resolutione nullam beneficij vacationem, nisi à lege, statuto, seu consuetudine approbata, aut beneficij fundatione sit instituta, & introducta sit. ex Glos. & communi Doctorum sententia in capite finali de iure patron. & alia regula: Legis, statuti, consuetudinis, vel fundationis verba consideranda, quæ priuationem inducunt, an sint præsentis vel futuri temporis: verba præsentis temporis disponunt, priuant ipso iure, aliàs de sui natura non disponunt, sed sententia desideratur ex doct. Glos. Prag. Sanct. & Prob. in C. Sicut. § ad tollendum. in verbo Reddantur. de Elect. & Ruz. in tract. iuris Regal. priuileg. 1. num. 15. 16. 17. Sit & tertia regula quæ hîc à Molinæo probatur, per-

petrato crimine vacationem beneficij ipso iure inducente, illico non expectata sententia Ordinarium posse conferre beneficium, posse impetrari, nil mutat. In quocunque crimine etiam notorio sententiam desiderari, ex Molinæo infr. num. 393. 394. & Glos. Pragm. Sanctionis in §. Publici. versiculo, Confessionem: & in verbo, Euidentiam, de concubinat. hoc enim facti probationem, non beneficij vacationem considerat, & per facti probationem retrotrahitur vacatio beneficij ad tempus commissi criminis. & ita seruatur in Senatu ex Henrici III. Regis constitutione Blesensi articul. 46. quæ hac in quæstione Aurelianensem constitutionem reuocat. Quæ autem sunt illa delicta, aliæque causæ, quæ ipso iure beneficij vacationem inducant, vt hæresis, simonia, assassinatus, matrimonium, consule Christoph. de Rufignac. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 20. in principio, Corasium in sua Paraphrasi parte 3. cap. 6. Duarenum de sacr. Eccles. minist. lib. 8. cap. 6. Et quæ de assassinatu hîc à Molinæo statuuntur, vt ipso iure beneficiorum vacationem inducat, idem in homicidio qualificato dicendum ex Rebuf. Prax. benef. tit. de mod. amitt. benef. num. 4. & deciditur quæstio Innocentij IV. Constit. in c. 1. de homicid. in 6. quæ ob criminis detestationem moribus nostris probatur: secus in homicidio simplici ex canon. De his. canon. Studeat. 50. dist. Rebuf. in loco præallegato num. 50. &

An à die commissi delicti vel sententia beneficium vacare dicatur.

De assassinatu & homicidio qualificato & simplici.

51. & est textus in cap. In litteris. in verbo Honore & loco priuetur, de Excessibus Prælat. & hæc est Aufrerij opinio Tholos. decis. 436. Et ita seruatur in Rota ex 14. aliàs 491. Rotæ decis. sub titul. Vt lite pendent. in nou. Ideo valida erit beneficij resignatio ab homicida facta, non solùm ante condemnationem, sed post sententiam, si ab ea fuerit appellatum. & hæc in homicidio simplici dicta sint. In beneficiis ante commissum crimen obtentis, secus in postea quæsitis, aut obtinendis: tunc enim necessaria Summi Pontificis criminis dispensatio, aliàs nulla prouisio, can. Siquis viduam 50. distinct. Quæ autem crimina digna depositione seu beneficij priuatione, consule Glos. Pragmat. Sanct. in §. Et nihilominus. in verbo Inhabiles. de criminib. hæc enim Glos. à nostris approbatur, & Molinæum infr. num. 397. versicul. Breuiter respondi. Quid autem in beneficiis sacrum ordinem ex fundatione desiderantibus, & an ipso iure priuatio fiat, an monitio sit necessaria, vide Glos. Prag. Sanct. §. Primo cùm per generalis Concilij. in verbo Residentiæ. de collat. versic. Vbi dicunt monitionem priuationem præcedere. Fallit, si Sacerdotalis qualitas collationi sit apposita: de ea monitione priuationem præcedente, vide 3. aliàs 520. Rotæ decis. de Pœnis. in antiquis.

In incapacitate alia ratio iam obtentorum, alia obtinendorum beneficiorum consideratio.



NVM. CCCLXXXV.

Sed tanquam certo modo vacans non expreſſo genere vacationis.

Et numero CCCLXXXVII. clauſula certo modo.

PROVISIONES quæ in Cancellaria Apoſtolica obtineri ſolent, iis nominibus appellantur, ceſſio per obitum certo modo, ceſſio reſignationes beneficiorum continet per obitum, vacantia per obitum beneficia certo modo, per incapacitatem, ideo certo modo, propter verba prouiſioni appoſita (certo ſi in litteris videbitur modo exprimendo): quælibet autem prouiſio generalem clauſulam continet (aut alio quouiſmodo), vt impetrantium ſpes non eludatur. Sed quid nónne in qualibet prouiſione, etiam ea quæ certo modo dicitur, vacationis genus eſt exprimendum ſub pœna nullitatis, ex 45. Cancell. Apoſt. Regula, ex cap. Cùm in illis. §. 2. de Præbend. in 6. Rebuf. in praxi benefic. titul. de form. ſignat. ſimplic. prouiſ. num. 8. Notant Canoniſtæ in Cap. Suſceptum, de Reſcript. in 6. & in forenſibus diſceptationibus exiſtimarunt nonnulli, nullitate has prouiſiones no-

tandas: veritas in contrarium ex doctrina Glos. Prag. Sanct. in §. Neque etiam. in verbo Faciendas. versicul Vnde in collatione beneficij. de collat. & Prob. ibid. num. 3. narrat praxim Galliæ, in lite vacationis genus exprimendum, seu in iudicio: antiquitus quidem in bullis genus vacationis exprimi solebat, & virtute prædictæ clausulæ (in litteris si videbitur exprimendo), sed ob Romani plumbi pretium regnicolarum commoditate statutum validam hanc in lite expressionem.

NVM. CCCLXXXVII.

Quibus nonobstantibus respondi Laurentium nullum ius habere, quin etiam pro hac vice penitus incapacem esse, eo ipso quod beneficium viuentis.

De impetratione & prouisione beneficij viuentis.

SVBSCRIBIT opinioni Molinæi Rebuf. in Prax. benef. tit. de reprob. benefic. viuent. impetrat. glos. 7. sed vt eorum procedat opinio, pœnáque locum habeat, requiritur collatorem scienter viuentis beneficium contulisse, & impetrantem scienter impetrasse: secus si probabili ignorantia, ex Glos. Prag. Sanct. in §. Quod si talem. in verbo, Violentus. de pacif. possessorib. & Prob. ibidem num. 2. & 3. & Christoph. de Rufignac in Comment. Pontif. lib. 2.

cap. 23. & 30. & lib. 3. cap. 9. in fine. & Coraſ. in Paraph. Sacerd. parte 1. cap. 7. Huius autem probabilis ignorantiæ prætextu liberè Ordinarij conferunt, & inutilem huius quæſtionis deciſionem reddunt, & vt ſæpe in ſuis collationibus per præuentiones decipiuntur, ita impune decipere volunt.

NVM. CCCLXXXVIII.

Tamen prohibitum eſt ad aliquam executionem, vel occupationem procedere, antequam cauſa cognita lata ſit ſententia.

ALIVD impetrare beneficium iure deuoluto ſeu certo modo, aliud poſſeſſioni beneficij ſe immiſcere: licitum quidem ante ſententiam poſſeſſionem ad iuris per prouiſionem quæſiti conſeruationem accipere: at in poſſeſſione fructuúmque perceptione ſeu iurium antiquum turbare poſſeſſorem vetitum, ex Regia Bleſenſi conſtit. artic. 46. quæ priuationis totius iuris pœnam imponit: quæ conſtitutio ad vnguem obſeruari debet, cùm bono publico, poſſeſſorum fauore ſit introducta, & alia Regia conſtitutione, quæ contra paruas datas vulgò nuncupatur, art. 15. priùs ſtatutum fuerat.

Diſcrimen inter poſſeſſionis adeptionem, & fructuum perceptionem.

NVM. CCCXC.

Facit quòd quamuis Duces, Barones, Castellani, Episcopi, Abbates & similes locorum domini possint ad nutum reuocare Officiales suos.

De officiorum destitutione, & causis destitutionem impedientibus.

LIMITA Molinæi opinionem, si Officiales in remunerationem seruitiorum & benemeritorum officia obtinuerint, eo nunquam in casu voluntaria destitutio prohibita, vt probant Boer. decis. 149. num. 23. Rebuf. in Comment. super Regias constitutiones tract. de mat. poss. artic. 4. glos. vnica num. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. & ipsemet Molinæus in suis notatis supra Consuet. Borbon. art. 83. eorúmque opiniones nonnullis decretis in Senatu Parisiensi probatæ fuerunt, vt puta contra Episcopum Andegauensem pro Philippo Lestourneau 17. Iunij 1595. domino de Thurin referente. Alium casum nonnulli addiderunt, cùm per 20. annos continuos officia possessa fuerint, cùm eo tempore noua quidem præscriptione ius quæsitum sit, & destituendi libertas dominis temporalibus denegata: sed damnata eorum opinio Senatusconsulto Parisiensi die 5. Maij 1608. in publicis actionibus, de Monthelon & Galand partium aduocatis, cùm de Officialium Castri

ftri S. Portij destitutione ageretur. Notandum obiter antiquitus omnes dominorum temporalium Officiales, vt & Regum, ad nutum destitui posse, & adhuc hodie huius antiquitatis renouatur memoria per clausulam in litteris apponi solitam (*tant qu'il nous plaira*): sed bono publico Regia Caroli VII. constitutione introductum tribus tantùm in casibus concessam destitutionem, per resignationem, delictum, & mortem, vt libertas in iudicibus relinqueretur, & nullo destitutionis metu terreri possent. Cui constitutioni Archiepiscopi, & Episcopi Galliæ parere noluerunt, sed in destitutionis possessione demptis prædictis duobus casibus remanere. Sed id ingenuè faciunt & citra vllam famæ & nominis existimationem, si Capitulum sit in illa immemoriali possessione; aliàs solent cum infamiæ nota destituti ab ea destitutione vt abusiua ad Senatum prouocare, & eam appellationem ab Officiali diœcesis sancti Flori admisit Senatus Parisiensis in publicis actionibus 20. Aprilis 1571.

Officiales ad nutum antiquitus poterant destitui.

NVM. CCCXCIV.

Hinc prohibitum est impetrare confiscationem, etiam in casibus vbi sit ipso iure, nisi post sententiam.

REGIA Blesensi constitutione art. 204. donationes, quorum ante condemnationis

De regia liberalitate ante rei criminis condemnationem.

ſententiam factæ, non tantùm prohibentur, ſed donatarij rebus donatis priuantur, regiáque liberalitate impoſterum indigni declarantur. Donatariorum enim potentia rei criminum opprimi poſſent, ideo Aurelianenſi conſtit. art. 84. hæ donationes prohibentur, & pleniùs regia Molinenſi conſtitutione art. 28. in fine.

NVM. CCCXCV.

Quia vbi ſententia facit ius, & pro veritate habetur contra alios.

QVÆ enim contra contumacem, & per contumaciam iudicantur, perſonalia ſunt, & pœnalia condemnatæ perſonæ oſſibus ita adhærent, vt tertio non poſſint præiudicare: contumacis pœna delinquenti nocet, vt iudicia pœnalia ſuos tantùm ſequuntur auctores.

Quando res iudicata dicatur. Multa requiruntur in l. 12. 13. & 14. de except. rei iudic. ff. vt rei iudicatæ detur exceptio, & pro veritate in alio negotio habeatur. Notandum obiter hanc rei iudicatæ exceptionem aliquando non competere, condemnationem tamen tertio nocere, cùm ſuper iiſdem mediis, actis, eodem negotio: decreto Senatus deciſa fuit quæſtio, ſi enim nihil noui adducatur, non eſt à priori recedendum iudicio.

NVM. CCCXCVI.

Ecclesia nec iudicat, nec ligat occulta.

SECVNDVM allegata & probata iudicandum. De iis quæ non apparent & quæ non sunt, idem iudicium: & in pœnis liquidæ esse debent, non occultæ probationes. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. vide Glos. Prag. Sanct. in §. Et nihilominus. in verbo, Inhabiles. versicul. Sed non in foro contentioso. de concubina.

NVM. CCCXCVII.

Obiicitur homicidium de quo fuit accusatus, & diploma regium indulgentiæ, & à Papa rehabilitationem dispensatoriam obtinuit.

VTRVMQVE necessarium Clerico homicidium committenti, & rehabilitatio à summo Pontifice, vel ab Episcopo ex qualitate homicidij, & diploma regium indulgentiæ seu remissionis: nec vnum sine alio ad obtinenda beneficia prodesse posset. Rehabilitatio Ecclesiasticam personam concer-

Quid homicida Sacerdoti necessarium ad obtinenda beneficia.

nit, & obtinendi beneficij capacitatẽ: Nam antiquis Ecclesiæ constitutionibus homicidæ ab ordine, & postea à beneficio obtinendo arcebantur. Regia autem desideratur auctoritas, vt criminis priuilegiati macula tollatur, huiúsque legitimi cognitores sunt regij iudices, tam ex Francisci I. constit. anno 1539. publicata, quàm Molin. an. 1566. & planè inutilis Papæ rehabilitatio sine regio dispẽsatorio diplomate. Rerum enim criminalium cognitores in Clericum adhuc homicidã manus iniicerent, & remaneret criminis macula, quæ obtinendorũ beneficiorum incapacem eum redderet.

NVM. CCCXCVII. Quia non agitur de beneficio quæsito, sed quærendo.

NOTANDVM ex Molinæi sententia, reos criminum, infames, excommunicatos, suspensos à diuinis, beneficiis honorari, nec donari debere. C. 1. De Rescript. in 6. cap. Postulasti. De Cleric. excom. Ministr. C. Cum dilectus de Consuet. Glos. in C. Cum bonæ. De Ætat. & qualit. cap. fin. De Excess. Prælat. Cap. Sententia. Cap. Is cui. De sent. excom. in 6. Quod in ordinariis collatoribus, in Legato & Summo Pontifice procedit: sed Apostolicæ Cancellariæ ministri huic morbo hanc medicinam dedere, vt in prouisionibus impetrantes à quouis excommunicationis, suspensionis, interdicti vinculo, aliísq; censuris Ecclesiasticis & pœnis absoluerẽtur ad effectũ obtinẽdi beneficij. Quæ clausulæ delicta communia delent & extinguunt, maiora verò & grauiora non cõprehendũt, vt alibi diximus.

EOD. NVM. Quòd omne homicidium dolosum faciat ipso iure vacare beneficium.

De simplici homicidio, & an

SED quid ad cap. 1. de homicid. homicidam

ab altari meo euelles vt moriatur, Exod. 21. cap. & elegit Dominus adulterum, vt homicidam à templi sui ædificatione reiiceret: vnde ob criminis grauitatem existimarunt Canonistæ solum Papam ab homicidio posse dispensare, ex Speculat. titul. de dispensat. §. Nunc breuiter. num. 3. & ex Trident. Constit. sess. 8. cap. 6. Nihilominus Molinæi verior sententia, non enim propter homicidium licèt voluntarium ipso iure quis suo priuatur beneficio, sed tantùm per sententiã: ideo ante condemnationem, & pendente appellatione poterit homicida suum resignare beneficium. & hæc est communis Doctorum opinio in cap. Cum nostris. de conc. Præben. vt probant Ioan. de Selua tract. de ben. p. 3. qu. 2. vers. Idem irregularis. Christ. de Rusig. Comment. Pontif. l. 3. cap. 1. verbo Certè homicida. Corasius in sacra Paraph. parte 3. cap. 6. n. 14 in fine. Duarenus de sacris Eccles. minist. lib. 8. cap. 6. num. 4. & ita obseruatur in Rota ex 14. aliàs 491. Rotæ decis. titulo Vt lite pend. in nouis. & hæc doctrina sumitur ex cap. Ex litteris, in fine. de excessibus Prælat. vbi Episcopus homicida Episcopatum potest resignare, & antiquis Conciliorum constitutionibus sola pœnitentia tanto crimini iniungebatur ex Concilio Aurelianensi cap. 22. Turon. IV. cap. 16. Triburiensi cap. 54. Quæ omnia non procedunt in assassinatu ob grauitatem & detestationem criminis cap. 1. de homicid. in 6. vt suprà pleniùs diximus. vide quæ notaui sup. n. 366.

beneficij inducat vacationem.

EOD. NVM. CCCXCVII.

Sed homicidium,& quæuis irregularitas extinguit mandata, & quasuis expectatiuas, & ius ad rem, non autem ius realiter quæsitum.

Irregularitas impedit ius ad beneficium, non idem de iure in beneficio.

EANDEM opinionem sequitur Ioan. de Selua tract. de benefic. parte 3. quæst. 3. versicul. Istud intelligo quando beneficium confertur indigno, ex communi Doctorum sententia in cap. 2. de Rescrip. Qualibet autem irregularitas licèt ex crimine aut alio casu proueniat, incapacem Clericum ad beneficia obtinenda reddit, & ius ad rem extinguit; non autem obtentis priuat beneficiis, nec ius in re extinguit, ex vulgata illa regula, Multa facienda impedire, quæ iam facta non nocent. & quòd homicidij crimine ipso iure vacare non dicatur beneficium, docet 14. aliàs 491. Rotæ decisio sub tit. Vt lite pendent. in nouis. Ideo communi quodam elogio dicunt nostri aliud in obtentis, aliud in obtinendis statuendum: sed hæc irregularitas deletur per clausulam apponi solitam in prouisionibus Apostolicis (& à censuris &c. absoluentes). vide sup. num. 50.

NVM. CCCXCVII.

Sed tempore vacationis erat ipso iure inhabilis.

CAPACITAS prouisionis tempore inspicitur, & quælibet incapacitas impedit prouisionem, ex Glos. in Reg. Infamibus. de regulis iuris in *6*.

NVM. CCCXCIX.

Non autem de restitutione per viam gratiæ, quæ nunquam trahitur retro.

IVRIS canonici vulgare axioma, Summum Pontificem iuri quæsito non posse derogare, & Regula Cancell. Apostolicæ 16. de non tollendo ius quæsitum, in Regno recepta est. Restitutio igitur quæ fit ex mera principis liberalitate, nouum quidem ius tribuit, sed tertio legitimè quæsitum non tollit. Vires enim à die concessionis accipit, nec vnquam in præiudicium tertij retrotrahitur: Non idem quando per viam iustitiæ, hæc enim gratia à lege non à principe initium suum ducit: ideo qui ex delicto condemnati, à Papa rehabilitationem obtinent, & à Rege pœnæ remissionem, priorísque famæ re-

Rescripta gratiæ nunquam retrotrahuntur in præiudicium tertij.

Discrimen inter gratiæ & iustitiæ rescripta.

ſtitutionem, amiſſa ex condemnatione beneficia repetere non poterunt in præiudicium tertij cui ius eſt quæſitum.

NVM. CCCCI.

Verùm hæc, à tempore Concilij Baſilienſis ſemper fuerunt.

Nominatio Regiæ electioni ſucceſſit.

IVRE decretorum & decretalium, Epiſcoporum & Abbatum electiones Ordinariis, non ſummo Pontifici dabantur: iure verò Concordatorum electionibus Regia ſucceſſit nominatio, quæ electionis nomen inutile & inane reliquit. Ideo quæ antiquitus electiua dicebantur beneficia propter electionem, hodie conſiſtorialia vocantur, quia in conſiſtorio publicatur Regis nominatio, & in conſiſtorio gratia vtplurimum fieri ſolet.

EOD. NVM. CCCCI.

Sed etiam ad monaſteria, prioratus conuentuales, verè electiuos duntaxat.

Regia nominatio fauorabilis, & duæ nominationes eligendi priuilegium extinguunt.

REGIA nominatio ad beneficia vt fauorabilis extenditur in magno Regis Conſilio ad Prioratus Grandiſmontenſis, & ad alia beneficia quæ à Rege Summo Pontifici præſentantur: & hodie nullum monaſteriis, aut

aut aliis communitatibus eligendi remansit priuilegium, quod aliàs facilè extinguitur per contrariam Regum possessionem. & si duæ Regiæ præsentationes Summo Pontifici factæ inueniantur, nullus priuilegio locus relinquitur, si suum sortitæ fuerint effectum, nec tertia desideratur. Hæc sunt iura Regis, & penitus deleta dispositio §. Per præmissa. de Regia ad Prælat. nom. in Concord. Nec enim Ecclesiarum Capitula, & monasteriorum Conuentus specialia proprium eligendi Prælatum priuilegia habent, vt iudicatum in magno Regis Consilio contra Religiosos & Conuentum monasterij de Luzarches in diœcesi Lemouicensi, qui virtute priuilegij dicto monasterio antiquitus à Summis Pontificibus concessi Priorem suum in Abbatem elegerant: sed à Rege Henrico IV. nominatus victoriam obtinuit 1605. cùm anno præcedenti ad æqualia vota quæstio deuenisset, domino Bautru referente, & domino Haligre compartitore.

NVM. CCCCIV.

Ibi pro veteri more Præsidentem.

CANCELLARIVM Franciæ pro Præside antiquitus Prætoriani iudices habebant, postea longo temporis interuallo libellorum supplicum Magistros, & ad hunc vsque diem Præsides ea qualitate honorati sunt; postea quatuor Præsides ex numero prædictorum Magistrorum: & anno 1587. quatuor alij Præsides instituti.

NVM. CCCCV.

Quia necesse est ei quem Rex infra sex, vel nouem menses nominauerit, conferre.

Qualitas in nominatis à Rege.

PER Concordata in §. 1. versic. Et de persona. de reg. ad Prælat. nominat. tenetur Summus Pontifex personam qualificatam per Regem nominatam de beneficio prouidere, nec eam sine legitima causa reiicere potest: lex enim dicta contractui, à qua recedere non licet. Aliàs Prætoriani Senatores Prælatum committere vel delegare possent ad concedendam prouisionem; quod in monasteriis multoties iudicatum, nondum autem in Episcopatu propter consecrationem, quam Episcopi inconsulto Papa facere recusarent.

NVM. CCCCV.

Nec pro ea quidem vice, quantumuis indignum vel scienter nominauerit.

Si intra sex vel nouem menses Rex Summo Pontifici capacē non nominauerit.

NE cum Molinæo dixerim Regem Christianissimum ad Prælaturas indignum scienter nominasse; nunquam autem Summi Pontifices summo iure cum Christianissimis Regi-

bus hoc in speciali negotio egerunt: siue enim Sedi Apostolicæ nominationes ad prælaturas intra sex vel nouem menses, annum vel duos annos factæ fuerint, benignè admittuntur: nihil enim dolosè aut malo animo, sed potiùs subreptitia quadam facilitate actum fuit. Sed eo iure patroni laïci non vtuntur, si enim intra quatuor menses à die probabilis notitiæ computandos idoneum non præsentauerint, pleno iure instituentes conferre poterunt, ius enim conferendi eo tempore ad collatorem deuoluitur: sed alia ratio in beneficiis in Regia nominatione existentibus.

NVM. CCCCVI.

Quia iure communi huiusmodi dignitates non vacant in Curia.

QVI constitutionem Cap. Licet. de Præb. in 6. fauorabilem existimant, dignitatis & Ecclesiarum verbo Episcopatus venire; qui odiosam & contra Ordinariorũ libertatem, non comprehendi ritè dixerunt, cùm specialiter non designentur. Et licèt Concordatorum textus in §. 1. in verbo, Nec non Ecclesiis. de Regia ad Prælat. nominat. plenam Summo Pontifici beneficiorum consistorialium in Curia vacantium dispositionem neglecta Regia nominatione concedat: nihilominus siue ex liberalitate, curialitate, aut

De beneficiis in Curia vacantibus.

alio Gallorum iure extraneos seu alienigenas ab iis beneficiis arcente, Regi nostro reseruatur nominatio; quod faciliùs conceditur, cùm solis regnicolis talia possint conferri beneficia, non autem peregrinis, vt sup. diximus. Appositè verò Molinæus existimat huius §. 1. dispositionem ad obitum naturalem, non ad ciuilem referri debere; & probat Alexand. Consil. 139. lib. 2. ex communi Doctorum sententia, in contractibus mortis appellatione naturalem tantùm, non ciuilem contineri: cui sententiæ subscribit Molinæus in sua addit. ad litteram B. prædicti Consilij 139. Adde huius §. dispositionem moribus Francorum odiosam, ideo non extendendam: nec enim in corpore iuris hæc beneficiorum consistorialium reseruatio admittitur, sed ex lege Concordatorum, quæ ad instar contractuum iudicantur.

EOD. NVM. CCCCVI.

Verba enim (apud sedem) propriè, & in potentiori significato intelligenda sunt.

Defuncto Summo Pontifice, & sede vacante beneficia nulla vacant in Curia.

DEFVNCTO Summo Pontifice Sedem Apostolicam vacare, Cancellariam Apostolicam cessare verissimum: ideo nulla eo tempore apud Sedem Apostolicam vacare possunt beneficia: quod non tantùm in consistorialibus locum habet, sed & in aliis collatiuis beneficiis: cùm per

Cap. Licet. de Præbend. in 6. beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia tantùm reseruantur, ex opinione Glos. in dicto Capit. Licet. in verbo, Sedenim ipsam. Quæ constitutio cùm ex se sit odiosa contra libertatem Ordinariorum, in suis terminis ita limitanda, vt extensionem nullam patiatur.

NVM. CCCCVII.

Sine quorum consensu non potest etiam permutatio fieri.

IN magno Regis Consilio permutationes, pensionum creationes, collationum reseruationes in consistorialibus beneficiis, Rege Christianissimo nostro non consentiente, reprobantur, & admissæ, per appellationem tanquam ab abusu reuocantur. *In consistorialibus nulla pensiones inconsulto Rege.*

NVM. CCCCVIII.

Et si plures, vt sæpe contingit, nominationem (quam vulgò *Placet* vocant) à Rege obtineant, non est Papæ gratificatio.

ET ideo gratia à Regis nominatione dependet, & qui primus gratiam seu nominationẽ *Nominationis tempus potiùs quàm bullarum data consideratur.*

obtinuit, præfertur posteriori in nominatione, & potiùs nominationis, quàm prouisionis seu bullarum tempus in magno Regis Consilio inspicitur: nec enim Regi variare licet, cùm sua ad ea beneficia nominatio tribuat ius ad beneficium ad instar electionum, nec ius ad rem quæsitum sine causa licet reuocare, vt hîc probat Molinæus, quod verissimum, cùm litteræ ad Papam, & ad Legatum Franciæ, aut illustrissimum Cardinalem protectorem Franciæ (per nominationem vulgò vocant *Breuet du Roy*) expeditæ sunt. Ius enim eo casu ad beneficium pleniùs quæritur, & difficiliùs ei derogatur, causáque legitima desideratur, non nuda voluntas.

EOD. NVM. CCCCVIII.

Præsertim cùm non soleat fieri de qualificato iuxta Concordatum.

GRATIÆ quidem expectatiuæ, quæ in spe consistunt concedentis morte, re integra pereunt, quod ad Regias nominationes electionum naturam retinentes extendere contra iuris rationem esset, si modò nominati statuto tempore ex lege Concordatorum Romanum petierint auxilium. Vera autem Molinæi opinio, cùm Regia nominatio legi Concordatorum resistit, tunc enim nulla est contra Concordati pactionem facta, irritans clausula eam annullat, id fit cùm

incapacitas est in persona, aut defectu qualitatis vel ætatis.

NVM. CCCCIX.

Quid ergo si Rex ex causa resignationis nominauit, sed resignans infirmus erat, & ex eadem infirmitate infra 20. dies &c.

Regula de 20. diebus Rex non adstringitur, licèt regulæ ratione vtatur in suis prouisionibus.

NE quis existimet Reges Francorum quid ex regulis & constitutionibus Cancellariæ Apostolicæ in suis beneficiorum prouisionibus mutuare. sed qua ratione Summi Pontifices regulam de 20. diebus iustam existimarunt, eadem æquitate Reges nostri hoc in suis prouisionibus inscribendum optimum duxerunt: quisque propria & speciali nititur auctoritate suprema, quam limitat, extendit, mutat prò arbitrio. Summi enim & supremi Principes, qui immediatè à Deo optimo maximo auctoritatem & imperium suum habent, leges condere, & suis iuribus conditionem ratione suadente apponere possunt.



NVM. CCCCXI. & CCCCXV.

Quibus nonobſtantibus reſpondi, & inſigniores peritioréſque togati noſtri ordinis ſubſcripſerunt.

In prouiſionibus Regis an de vno vacationis caſu ad alium fiat extenſio.

NON ſit extenſio de vno vacationis genere ad aliud in Regis prouiſionibus, & quod Rex per reſignationem contulit, per obitum donare noluit: diuerſa enim vacatio. Curent igitur aulici Regiam liberalitatem ad vtramque vacationem extendere, quod eis erit facillimum, ſi vtraque vacatio in litteris apponatur cum derogatione ſpeciali ad regul. de 20. diebus, licèt reſignans de ipſa infirmitate inf. viceſimum diem deceſſerit.

NVM. CCCCXVI. vſque ad CCCCXXIV.

An Eccleſiaſticis conſtitutionibus Rex in ſuis prouiſionibus adſtringatur.

BENEFICIA quæ ſunt in plena Regis noſtri Chriſtianiſſimi diſpoſitione, regulis & legibus Cancellariæ Apoſtolicæ non ſubiiciuntur, nec Sanctorum Patrum decretis & canonum ſanctionibus obligantur, ſed à Regia voluntate & ſuprema poteſtate penitus dependent: in iis omnimodam habent poteſtatem Reges noſtri, poſſunt in fauorem réſignationes etiam cauſa permutationis admittere, penſiones creare, conditiones in collationibus apponere, ſeruitiorum

&

& meritorum intuitu prouidere: in his enim omnibus summi & supremi sunt, nullum superiorem habentes, quod in iure regaliorum animaduertere licet, vt probat Molinæus inf. num. 422. in fine: Et notanda verba Molinæi, (Rex voluit & potuit); non quòd omnino canonicæ sanctiones in iis prouisionibus reiiciantur, sed admittuntur in quantum ratio & æquitas postulant. Nec mirum si tanta possint in iis beneficiis Reges nostri, si pensiones creare, in fauorem resignationes admittere, etiam vnire possint, cùm in iis nil prorsus possit Summus Pontifex, sed solus Rex noster potest ea quæ sunt iuris communis, quæ iure communi ordinariæ sunt potestatis. Ad hæc omnia decidenda nos conducit Ludouici XI. Regis constitutio, in Senatu Parisiensi publicata 13. Iulij 1474. qua regibus nostris omnimoda in beneficiis, quæ pleno iure siue in regalia, aut aliàs conferunt, datur potestas, in iis Papæ denegatur auctoritas: Et appositè hæc verba constitutioni apponuntur (*auons droit à cause de nostre Couronne Souueraineté & temporalité*) quæ enim iure coronæ, iure domanij regibus nostris conceduntur, superiorem non habent in terris, soli Deo auctoritas, summa protectio & vltio datur, cessat in his Summorum Pontificum potestas: Quid tibi & possessioni? &c. Diuisum imperium, &c. Distinctæ potestates. Et in Concilio Parisiensi sub Ludouico & Lothario Imperatoribus lato anno Christi 829. c. 5.

&8. decisum, regiam hanc potestatem à solo Deo procedere: & Prouerbior. 8. Per me Reges regnant, per me Principes imperant. & Dan. 4. Dominatur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud: & Hierem. 27. Dedi terram ei qui placuit in oculis meis, dicit Dominus. Et de vtraque Pontificum summorum & Regum potestate prædictum Concilium loquitur cap. 8. hæ summæ potestates à Deo sunt, & ordinatæ, illis obediendum, pro eis orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro earum salute & conseruatione preces Deo fundendæ, principibus & potestatibus subditi esse debemus, ex doctrina Apostoli 2. ad Timotheum cap. 2. Et in Concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio Imperatore lato anno Christi 833. idem statuitur in præsentia Concilij ex Gelasio Papa: Duo sunt quibus mundus regitur, auctoritas sacrata Pontificum, & regalis potestas. Nec mirum si per eandem Ludouici XI. constitutionem in regnicolas pœna statuatur, qui in his beneficiis Romanum quærunt auxilium, regiam quodammodo potestatem denegantes: ideo regiis constitutionibus horum plena cognitio siue in petitorio siue in possessorio datur regiæ iurisdictioni, Ecclesiastico iudici penitus denegatur, vt prædicta Ludouici XI. constitutione pleniùs cauetur, ex qua vera fit regula: Beneficia, quæ ratione coronæ à Regibus nostris pleno iure conferuntur, regiæ sunt iurisdictionis siue in petitorio siue in pos-

fessorio, in his cessat Summorum Pontificum potestas: horum igitur beneficiorum quælibet resignatio, permutatio, pensionis, creatio, vnio, & quælibet alia legitima dispositio, sit Regiæ maiestatis, non Pontificalis auctoritatis. Vide quæ diximus infrà ad Regulam de publicand. num. 280. in Annotat. Sed ex verbis Molinæi num. 417. (Canonicatus & alia beneficia ad puram Regis collationem spectantia, magis sæcularia & profana beneficia, quàm Ecclesiastica dici) nonnullos in errorem induxerunt, an in beneficiorum Ecclesiasticorum prouisionibus, quæ Romæ obtinentur, essent exprimenda, cùm Summorum Pontificum constitutiones & Cancellariæ Apostolicæ regulæ beneficiorum expressionem statuentes, de beneficiis Ecclesiasticis intelligantur. Item an huiusmodi beneficia vt incompatibilia dispositioni cap. De multa. De Præbend. subiicerentur, & an graduatis locum tenerent. Sed quia beneficiorum pluralitas odiosa, beneficiorum expressio fauorabilis; multis summorum tribunalium senatusconsultis iudicatum talia beneficia, licèt non verè & merè Ecclesiastica, constitutionibus Ecclesiasticis, quæ politiam, regulam, & decorem Ecclesiæ concernunt, contineri. Gaudent libertate Ecclesiastica, Ecclesiasticis vtuntur priuilegiis, sunt in catalogo publico beneficiorum, sunt in diœcesi, eiúsque partem faciunt, communia cum aliis beneficiis subeunt onera, æqualia in honore, similia in onere esse

debent: ideo si tonsuram non habenti darentur, si ante vacationem, nulla esset prouisio.

NVM. CCCCXIX.

Et ita seruatur non solùm in Gallia, sed etiam in prouinciis vicinis.

Nouæ religionis homines an conferre, & ad beneficia præsentare valeant.

PARISIENSI senatusconsulto iudicatum in prima classe Inquisitionum, domino Angenou referente, dominum temporalem De Laual ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate separatum (nostri hæreticum vocant) Præbendas & dignitates sancti Tugaldi conferre posse: hæ enim beneficiorum collationes inter fructus honorificos computantur; at per constitutiones seu pacificationis edicta huius nouæ opinionis homines bonorum suorum & iurium liberam habent administrationem, igitur & collationum. De nominatione autem seu præsentatione ad beneficia, nulla superesse potest dubitandi ratio, quæ magis ad fructuum naturam accedit.

NVM. CCCCXX.

Vnde his beneficiis non potest Cura parochialis annecti.

EX duobus beneficiis per vnionem vnum fit beneficium, & vtriusque per confusionem

vna sit qualitas & natura: ideo cùm parochialis Ecclesiæ qualitas sit omnino distincta à beneficio regiæ collationis, parochialis Ecclesia conditiones & qualitates alterius beneficij assumere non possit, hoc sit contra eius naturam, horum vnio fieri non potest. Fallit in beneficiis quæ à Rege iure regaliæ conferuntur, hæc enim beneficia verè quidem Ecclesiastica ex sui natura, licèt pendente Regalia aliis subiiciantur legibus.

EOD. NVM. CCCCXX.

Vnde olim etiam beneficia curata veniebant in regalia.

COMMVNIS tamen Regalistarum sententia opinioni Molinæi resistit: nec enim parochiales Ecclesiæ regaliorum legibus subiiciuntur, ex Ruzeo priuil. 39. tract. Regal. & Probo quæst. 9. num. 3. & quæst. 10. num. 10. & Ægid. Magistro tract. regal. cap. 4. *Parochiales Ecclesia an iuri regaliorum subiiciantur.*

NVM. CCCCXXI.

Vbi de hoc habetur edictum regium.

REGIA Henrici II. constitutione mense Septembri 1552. promulgata, & in magno Regis Consilio registrata 3. Octobris eiusdem anni, *Regaliorum cognitio soli Parisiorum Parlamento data.*

regaliorum cognitio solo Parisiorum Senatui competit, omnibúsque aliis prohibetur: Alias constitutiones recitat Ruzeus in procemio Iuris regaliorum, aliæ à Molinæo hîc recitantur. Vide specialem Ludouici XI. Regis hac de re latam constitutionem, sub data 24. Maij 1463. in Parlamento Parisiensi registratam 4. Iunij sequentis.

NVM. CCCCXXI.

Quamuis vsu receptum sit vt inter plures habentes titulum à Rege.

REGVLA de triennali possessore est vtriusque, Pontificalis, & Regiæ potestatis: Ideo in petitorio & possessorio procedit, vtramque potestatem continet, est vtriusque fori: nec ideo mirum videri debet, si beneficia quæ sint in regia dispositione, huic regulæ subiiciantur. Et licèt iure regaliorum sit receptum, regaliam 30. annis tantùm, non triennio præscribi, tamen inter duos Regalistas titulus in arca triennio inclusus extinguitur & annullatur, ex Ruz. tract. Regal. priuil. 14. Hodie tamen noua iurisprudentia Galliæ Episcopis supplicantibus statutum regulam de pacificis in regalia locum habere, & post pacificam cum colorato titulo possessionem non admitti regalistam, vt pleniùs regia constitutione cauetur, mense Martio in Senatu publicata 1608. art. 27.

NVM. CCCCXXII.

Quocumque vacandi modo prouidere.

NVLLA dubitandi ratio cùm regaliorum iure sit receptum, beneficia curam animarum non habentia, quæ de facto vel de iure repleta non sunt, vt verbis Regalistarum vtar, vacare regaliorum legibus: omnis autem beneficij vacatio per hanc clausulam intelligitur, cùm de facto vel de iure vacat beneficium, de iure vel de facto non est repletum.

EOD. NVM. CCCCXXII.

Sed etiam in fauorem vel causa permutationis.

VIDE quæ diximus sup. num. 416. & quomodo Rex noster conditiones prouisionibus apponere possit, & qua ratione id fuerit institutum.

NVM. CCCCXXIV.

Sed provt ei libet singulas collationes limitare.

IDEO si 40. dierum spatium, non 21. apponeretur, vel tantùm 10. seruanda esset conditio *Cõditio in regiis promissionib. apposita, seruanda.*

ſeu limitatio. Sic enim Principi placuit, hâncque legem collationi impoſuit, & ea lege donauit. Et cùm in officiis hæc regula locum non habeat, ſed tantùm pro beneficiis collatiuis inſtituta ſit; verba in prouiſionibus officiorum appoſita (Si reſignans infr. 20. diem non decedat, vel 40. diem, vel 30.) non interpretanda ex verbis huius regulæ de infirm. Licèt enim reſignans non ſit infirmus tempore admiſſæ reſignationis, licèt de ea infirmitate non decedat; verba nihilominus prouiſionibus officiorum appoſita ad litteram obſeruari debent, cùm ea lege donatum aut factum fuerit.

NVM. CCCCXXV.

Papa pro quinque ducatis derogat huic regulæ.

Ex ſtylo Curiæ derogatur regulæ de 20. diebus, ſed non in præiudicium Papæ.

DEROGATIO fit ex ſtylo communi Cancellariæ Apoſtolicæ, nec pretio conceditur, nec quinque ducati præſtantur, quidquid calumnioſè dicat Molinæus: Verum quidem abſentibus à Romana Curia, non præſentibus derogationem concedi. Si enim reſignantes in Curia Romana infra vigeſimum diem decedant, vacat beneficium per obitum, & reſeruatur prouiſio Papæ, ex cap. 2. de Præb. in 6. Derogat quidem iuri Ordinariorum, ſibi autem iuríque ſuo præiudicare non tenetur inuitus,

tus, & in his dispensationibus & derogationibus excipitur persona loquentis.

NVM. CCCCXXV.

Potest etiam refutare dispensationem, non enim tenetur nisi velit.

CVM dispensationes sint gratiæ, non iustitiæ, à mera concedentis voluntate dependent. Sed quid cùm commendæ beneficiorum regularium sint dispensationes, an Summus Pontifex ad eas concedendas ita compelli possit, vt ab eius denegatione liceat tanquam ab abusu prouocare. Dubitarunt nostri, cùm quid sit speciale in his commendis ab aliis secularibus beneficiis, in his sit iuris communis dispositio, in aliis mera liberalitas quæ cogi non potest. Ego verò contrarium existimaui, cùm hodie commendæ seculares ad instar titulorum metiantur, nil à veris titulis differant, vt suprà diximus, hócque publica Ecclesiæ vtilitate suadente institutum fuerit in Concilio Tridentino, in quò Abbatibus Commendatariis idem honos, eadem auctoritas concessa fuit: ideò quibus in casibus in beneficiis secularibus ab ea denegatione tanquam ab abusu licet prouocare, idem in commendis obseruatum erit. Notanda autem Molinæi verba, (recusando sine fraude & sine animo quæstus): liberum quidem Summo Pontifici dispensare,

rescripta gratiæ concedere, aut denegare: at si Cardinalium potestate, Curialium fauore, aut alia violentia prouisionis admissæ extensio denegata sit, solent supplicantes ab ea denegatione tanquam ab abusu in Regno appellare ad summa tribunalia; hócque vsu receptum. Quod minimè extendendum existimo in proposita specie à Molinæo in resignantibus Romæ, aut in partibus existentibus, cùm iure quodam speciali sit institutum, beneficia Romæ vacantia in mera Papæ dispositione esse, Papam in his meram & absolutam potestatem habere; nec dolo, fraude, aut nocendi animo facere dicatur qui iure suo vtitur.

EOD. NVM. CCCCXXV.

His & similibus casibus posse appellari tanquam ab abusu.

Potest derogare Papa huic regulæ de 20. diebus, & non derogare.

IMO cùm hæc derogatio pendeat à voluntate Papæ, eam concedere & denegare ad placitum poterit: Nec obstat in contrarium stylus Cancellariæ Apostolicæ, cùm huic, vt regulæ, possit Summus Pontifex derogare.



EOD. NVM. CCCCXXV.

Vt etiam si alij paulò pòst eadem die Romæ aduolent.

Si Romæ id statutum fuerit iure quodam politiæ, non odio Gallorum, nec in præiudicium libertatum & priuilegiorum Gallicanæ Ecclesiæ, perperam hoc reuocare quis conabitur.

NVM. CCCCXXVI.

Quid si, dum signatura huius legati in derogatione huius regulæ de infirmis haberet hæc verba negotiatoria, Quatenus absens à Parisiis.

Ivstæ postulationes, quæ nil extraordinarij continent, sed quæ vnicuique iure ordinario conceduntur, à Summo Pontifice non sunt reiiciendæ; aliàs ab huiusmodi denegatione iustitiæ seu gratiæ tanquam ab abusu posset appellari: Summus enim Pontifex pater communis filiis suis regnicolis æqualem iustitiam reddere & partiri debet. Non idem, si supplicatio dispensationem, aut quid contra regulas vel stylum Cancellariæ, aut aliud extraordinarium conti-

Quando à denegatione gratia potest tanquam ab abusu appellari.

neat; si ætatis vel pluralitatis beneficiorum dispensationem, aut quid aliud extraordinarium supplicatio contineat. Nam quæ à Summi Pontificis plena & absoluta potestate dependent, dignis, benemerentibus, Sanctitati suæ cognitis voluntariè nullóque cogente, ex pura liberalitate conceduntur: In cæteris paternum desideratur officium, supplicantibus debetur, si iusta sit supplicatio: Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis. Quæro, Petrus regulare beneficium in fauorem Pauli resignat, ídque de commenda seculari in similem commendam, resignationem Summus Pontifex aut datarius reiicit, an in Regno à tali denegatione liceat tanquam ab abusu prouocare? Contra prouocantem obstat commendas verè dispensationes esse contra iuris communis regulas: regularia beneficia regularibus personis conferenda, ex lege Concordatorum: resignationes in fauorem extraordinarias contra sanctorum Patrum decreta, speciem habere simoniæ, ideo ordinariis collatoribus prohibitas, solo Summo Pontifici ob plenitudinem potestatis permissas. Contrarium existimo, cùm enim hodie commendæ inter beneficiorum perpetuos & legitimos titulos computentur, resignationes in fauorem ex stylo communi & ordinatio Cancellariæ Apostolicæ admittuntur, sunt hæc omnia iuris ordinarij, legitimè petentibus dari debent: si iusta petitio, iniusta erit denegatio, à denegatione autem iusti-

Commendæ inter titulos numerantur, & earum resignationes Romæ denegari non possunt.

tiæ solent nostri ad Senatum tanquam ab abusu prouocare, solet Senatus Ecclesiasticam dignitatem delegare cum potestate speciali admittendæ resignationis sub data supplicationis Summo Pontifici factæ, cum clausulis & derogationibus ordinariis, & quæ ex communi Cancellariæ Apostolicæ stylo in prouisionibus apponi consueuerunt; & hoc Gallorum legibus non tantùm toleratur, sed Gallicanę Ecclesię priuilegiorum libro inscribitur, & de his rebus extant multa senatusconsulta.

NVM. CCCCXXVI.

Quatenus absens à Parisiis.

MERITO hæc clausula in Legato reprobatur, cùm beneficia in legatione vacantia Legato non reseruentur. Dispositio enim Cap. 2. De Præbend. in sext. in Legato non extenditur: hæc odiosa constitutio contra Ordinariorum iura & libertatem facta, reseruationem continens, suis propriis terminis sine vlla extensione circumscribitur, & propria verborum significatione clauditur. Receptum quidem fuit in Regno, beneficia Romæ seu in Romana Curia per obitum vacantia Summo Pontifici esse reseruata, vt supr. num. 21. abundè docuimus, sed ad curiam Legati etiam à latere extendendum negarunt summorum tribunalium Franciæ iudices. Priuilegia namque contra Ordinariorum libertatem &

In curia Legati etiam à latere vacantia beneficia non sunt reseruata.

iura Summo Pontifici concessa non extenduntur, suis cancellis limitantur, & coarctantur, de persona ad aliam personam non transeunt. Alia autem Papæ dignitas, alia Legati persona, nec Summi Pontificis summa maiestas per alterius personæ subrogationem repræsentari potest. Quod igitur de beneficiis Romæ, aut in Curia Papæ per obitum vacantibus, speciali quodam priuilegio, cum clausulis, (si extra Curiam Romanam vacauerit: in Romana Curia forsan defuncti: si in partibus non Romæ decesserit) toleratum fuit: meritò in Legati etiam à latere persona, seu in eius Cancellariæ stylo reprobatum & reiectum fuit, non per rationes hîc à Molinæo adductas, quæ Legatorum personam notare videntur, sed quia iure nostro Gallico Legatorum etiam à latere protestati concessum non fuit. Sed an hæ clausulæ in Legatorum prouisionibus appositæ totam prouisionem vitient & annullent, vitiari quidem, non totum actum annullare dicendum, ad instar pactionum quæ non immutant substantiam actus, quæ non sunt contra naturam contractus, quæ vitiantur & non vitiant: his igitur reiectis remanet prouisio.



NVM. CCCCXXXI.

Datarius Legati aditus à resignatario.

An Legationis ministri petentibus conferre inuiti teneantur.

OPERE in longo dormit Molinæus existimans, Legati datarium beneficij resignationem admittere nolentem, aut petenti prouisionem denegantem, ad interesse teneri. Imò nec Legatus à latere, eius datarius, aut alij legationis ministri, suæ legationis, functionis, officij, seu muneris rationem in regno reddere tenentur, sed solum Summum Pontificem iudicem delegantem agnoscunt. At si quid ab eis perperam malo more, aut contra iuris nostri rationem concessum sit, nullum & irritum solent summa tribunalia pronunciare, imò abusiuum. Legati priuilegia sunt solum Summum Pontificem iudicem agnoscere: Liliorum priuilegia, appellationum tanquam ab abusu remedia quærere. Multa autem hîc contumeliosè contra Legatorum & Legationis ministrorum personam à Molinæo dicuntur, nec appositè: existimant enim Legati omnimodam in beneficiis à Summo Pontifice eis concessam potestatem exercere posse in sua legatione: eorum potestatem à concessione Apostolica pendere, nec eorum facultates limitationibus subiici: sic enim Romæ viuitur, regni verò legibus hæc omnia reprobantur.

NVM. CCCCXXXII.

Saltem de vno ex decem.

DICTVM fuit suprà num. 211. mandatarios Papæ, nec Curiæ Indultarios seu à Senatoribus nominatos contra eos collatores seu patronos Ecclesiasticos iura sua exercere non posse, qui decem beneficia in sua dispositione non haberent. & hoc probat Molinæus: & huius fundamenti prætextu postea tam in Senatu quàm in Prætoriano Consilio multoties iudicatum, Capitula Ecclesiarum cathedralium seu collegiatarum personis priuilegiatis in absentia præbendarum fructus percipientibus (puta Senatoribus aut Capellanis domus Regiæ) onerari non posse, nisi decem sint præbendæ, hoc adhibito temperamento, vt ex quolibet decenario numero priuilegiata persona grauari possit.

EOD. NVM. CCCCXXXII. vsque ad CCCCXXXIV.

Qui incœpèrat partibus suis canonicè fungi, & translationem dicti Monachi infra semestre.

Regularia beneficia Monachis Monasterij, non

DVBITARVNT nonnulli, an sine vlla distinctione recipienda esset constitutio

cap.

cap.Cùm ſingula,§.Prohibemus. De Præbend. in 6. & ex Molinæi opinione repetenda eſſent antiqua iura decretalium, vt monachorum tranſlatio intra ſemeſtre obtineri poſſet. Si enim per iura decretalium Abbatiarum electio, vel meliùs poſtulatio, fieri poteſt de monachis eiuſdem ordinis ſeu regulæ, licèt diuerſi monaſterij, cur non idem in Prioratibus & officiis clauſtralibus erit obſeruandum? Cùm idem ſit regulæ votum, eadem profeſſio, eadem viuendi conditio,& monachi eiuſdem ordinis domicilio non regula diſtinguantur, nec mutatione domicilij nouo voto adſtringantur.cap.Nùllus.cap.Indemnitatibus. De Elect. in 6. Nihilominus contraria præualuit opinio,& diſpoſitio dicti §. Prohibemus, ad vnguem à noſtris ſumma cum ratione recepta fuit:collationes ſiquidem beneficiorum, quæ inter fructus Abbatiæ computantur, monachis filiis legitimis Abbatiæ debentur; legitima hereditatis hæc eſt portio, & vt iniquum eſſet patrem familias extraneis donare in præiudicium filiorum legitimorum heredum, durúmque propriis agris ſitientibus alios irrigare, & ridiculum extraneis conferre beneficia, quæ Abbatiæ filiis dicata ſunt. & ita Prætoriani Conſilij Senatores ſtatuerunt in homologatione ſtatutorum Maioris Monaſterij 1586. & probatur d. §. Prohibemus conſtitutio per Gloſ. pragmat. Sanct. addit. ad d. Gloſ. num. 1. & apertiùs Rebuf. in Praxi beneficiorum. tit. de diſpenſat. cum regu-

aliis, licèt eiuſdem ordinis, ab ordinario conferenda.

laribus facta num. 2. & 3. Nec hoc denegat Molinæus, imò dicti §. dispositionem approbat. Sed verbis §. vim imponit, Nisi canonicè transferantur: nec enim constitutio dicti §. translationem tempore prouisionis requirit, sed tantùm per verba futuri temporis, quæ intra sex menses limitari debent, (sunt enim legales induciæ Collatoribus ex Lateranensi Concilio concessæ,) & in prouisionibus Apostolicis hæc clausula inscribi solet, vt cùm primùm de monasterio in monasterium canonicè translatus fueris: si enim ante prouisionem necessaria esset translatio, vix fieri posset propter præuentiones Papæ: multa enim in legitima translatione etiam in eadem regula desiderantur, duorum Abbatum seu Priorum claustralium Abbatiarum cum Conuentu consensus desideratur; vt enim Abbas monachum suum dimittat, vt eum ab obedientiæ voto liberet, non solùm consentire, sed & monachi conuentus consensum præstare debent. Quòd si Abbas sit Commendatarius, Prior Abbatiæ Abbatis partes supplere debet. Abbas etiam & Conuentus Abbatiæ ad quem fit translatio, consentire debent: hæc enim adoptio spreto illo consensu fieri non debet, & si Abbatiæ sunt in diuersa diœcesi, multi in non exemptis, Episcopi consensum & auctoritatem desiderarunt, cùm Clerico aut saltem Ecclesiastico viro non liceat irrequisito Episcopo in diœcesi domicilium quærere. & hoc probare videtur

Rebuf. in Prax. Benefic. tit. de Translat. Monachor. Nihilominus contra hanc iuris dispositionem quotidie peccatur, & Collatorum auaritiam translationem per eandem prouisionem facientium Prætoriani iudices conniuentia tolerant: ac si hæc translatio non essentialis, sed quædam solemnitas extra naturam actus esset. Ego verò translationem canonicam semper desideraui factam, non nomine tenus, sed secundùm canonicas sanctiones seruatis seruandis; ridiculum enim esset dispositionem dicti §. Prohibemus, ad imaginariam translationem extendere: nec mihi innotescit translationem ratione beneficij factam temporaneam, non perpetuam, & cum ipso beneficio extingui, & eiurato beneficio euanescere. Nihilominus tamen forma à iure in translationibus monachorum præscripta seruari debet, aliàs translatio dici non potest. Sed quæ à Molinæo hîc apposité recitantur, inutilia non erunt, si translatio collationis tempore legitimè & legitimis modis incœpta intra sex menses perfecta & consummata sit; intra enim ea tempora sex mensium nulla & inutilis erit Papæ præuentio, cùm ius quæsitum sit per prouisionem in beneficio, nec nullitatis pœnam incurrit prouisio, cùm essentialis & ex necessitate beneficij requisita monachatus qualitas sit tempore prouisionis, & prouisus verè sit monachus ordinis, in ordine votum emiserit, & translatio canonicè incœpta sit. Hæc omnia iuris subtilitate Colla-

torum ordinariorum vtilitati concedantur, si enim præſcriptis verbis §. ſummóque iure ageretur, translatio ante prouiſionem neceſſaria eſſet: hæc enim imaginaria tranſlatio, quæ fictione potiùs quàm in rei veritate fit prouidendo diſpoſitionem §. Prohibemus eludit. Sed alia moueri poteſt quæſtio. Si religioſis fratribus cuiuſlibet Abbatiæ beneficia debeantur, quomodo indulta Summi Pontificis illuſtriſſimis Cardinalibus & nonnullis Abbatibus conceſſa probari poterunt, quibus regularia beneficia in commendam ſecularem conferri poſſunt? Subſiſto, lis enim indeciſa pendet in Prætoriano Conſilio inter fratres Cluniacenſes appellantes tanquam ab abuſu ab executione indulti Abbati Cluniacenſi conceſſi ex vna, & dictum Abbatem intimatum ex altera: ſed præiudicio quodam iugulata quodammodo cauſa videtur per homologationem ſeu verificationem indulti. Adde regularium beneficiorum collationes fieri tantùm virtute indulti de commenda in ſimilem commendam, quod faciliùs conceditur, cùm per primam commendam via iam ſit aperta & alienatio facta, nec ſtatus vltimus beneficij immutetur, & per talia indulta quorumdam, non omnium beneficiorum regularium fiat alienatio. Remanet enim officiorum clauſtralium diſpoſitio commodo religioſorum, quæ loco legitimæ affecta remanet filiis Abbatiæ. Sæcularia autem beneficia regulares ſine Apoſtolica diſpenſatione obtinere non

possunt, 16. quæst. 1. per totum. & ita in Lateranensi Concilio decisum, cap. 2. de statu Monach. Cur autem quid speciale in Canonicis regularibus, & in eorum ordine sint Prioratus Sacramentorum administrationem habentes, docet cap. Quod Dei timorem. versic. Licèt de statu Monach. & ibi Glos. in verbo Ecclesiarum Parochialium, cap. Cùm de beneficio. de Præb. in 6. Coras. lib. 1. Paraph. Sacerd. cap. 5. num. 7. Plura videre poteris in Glos. Concordat. in §. Volumus. in verbo Et conformitatem. & versic. Et an destituentibus. de Collat. eandem opinionem sequitur 28. aliàs 483. Rotæ decisio de Præb. in nouis, & 5. aliàs 162. decisio de iure Patronatus in nouis.

NVM. CCCCXXXVI. in fine.

Qui mihi obiiciebant clausulam motus proprij.

IN prouisionibus & dispensationibus Apostolicis, quæ non ad partium supplicationem, sed motu proprio conceduntur, beneficiorum expressio non desideratur, nec subreptionis morbo laborant. & hæc est communis nostrorum opinio, auctore Rebuf. in tit. Ser. mandat. Apost. in Concordat. in verbo Motu proprio. & Ioan. de Selua tractatu de Beneficiis, parte 3. quæst. 12. num. 4. & quæst. 31. Ruz. tractatu

In quibus dispensationibus & prouisionibus Papa non exprimenda beneficia.

Regal. priuileg. 7 num. 13. vide cap. Si motu proprio. de Præbend. in 6. Quid si ei facta sit gratia qui nec beneficio nec iniuria Summo Pontifici sit cognitus, si penitus ignoto, si filio terræ, vt aiunt, & valere gratiam, quæ ex sola plenitudine potestatis & Summi Pontificis munificentia vires accipit, verbo fit gratia, verbo perficitur: nec in iis personarum vlla acceptio habenda est. Subreptiones autem gratiæ esse possunt, quæ ad supplicationem impetrantium conceduntur, & veritatem non continent. Et hæc in beneficiorum prouisionibus verissima, non idem in mandatis quæ motu proprio conceduntur, vt hîc probat Molinæus. Existimat enim Summus Pontifex mandatarios capaces, nihîlque in eorum persona obiici posse. Ideo si mandatarius Parochialem Ecclesiam habeat, nominari ad aliam non poterit, ex verisimili Papæ voluntate, quæ legibus conformis præsumitur; si natalium defectum patiatur, ad Ecclesiam Parochialem, aut Cathedralis Ecclesiæ præbendam nominari non poterit. Vix enim dispensatio dispensationi additur, nisi exprimatur, cap. vlt. De fil. Presbyt. in 6.



NVM. CCCCXXXVII.

Nil enim operatur nisi in casibus in iure expressis.

CLAVSVLA (motu proprio) dispensationem non inducit, sed gratiam à subreptionis vitio & macula eximit: Vnde si cui Archiepiscopatum, Episcopatum, vel Parochialem Ecclesiam habenti, aliud simile Summ. Pontifex proprio motu conferat beneficium, vtrumque retinere non poterit: Hæc enim beneficia verè sunt incompatibilia, cùm habeant curam animarum, & residentiam ex necessitate requirant, & sine expressa dispensatione cum causæ cognitione concessa, simul possideri non possunt, cap. Non potest dispensatio. verbo, Hoc enim solum prædicta. De Præbend. in 6. & Glosa. ea est doctrina in d. cap. in verbo, Eandem. Idem Clement. Si plures. de Præbend. & hoc iuris ratio suadet: quomodo enim eo casu dispensatio erit præsumenda, cùm Summo Pontifici incompatibilia beneficia expressa non fuerint? Nil murat Clement. Si Romanus Pontifex. De Præbend. quæ tantùm gratiam à subreptionis vitio liberat, retinendorum autem beneficiorum incompatibilium ius non tribuit: nec enim dispensatio ad verè incompatibilia beneficia obtinenda præsumitur, nisi disertè & verbis expressis expri-

Effectus clausulæ, motu proprio.

Ad incompatibilia beneficia nunquam dispensatio præsumitur.

matur, & reiecta omni verborum ambiguitate concipiatur: nec omittenda regia Blesensis constitutio art. 11. quæ horum beneficiorum incompatibilium dispensationes iuri diuino contrarias reiicit & annullat imposterum, præteritas nec damnat, nec probat, nec de his loquitur, & per verba futuri temporis hæc lata constitutio. In his autem dispensationibus non omittendum causam dispensationis maximè attendendam: si enim dispensatio sit propter vtilitatem Ecclesiæ, in honorem Dei, & Ordinis Ecclesiastici, amplectenda, extendenda, etiam Episcopis concessa, contra Conciliorum generalium decreta Can. Tali coniugio. 1. quæst. 17. hæc enim necessitas, hæc publica vtilitas, hanc Episcopis Apostolorum successoribus plenitudinem potestatis concedit. & hæc in Gallia decisio tolerari potest, cùm in Rota admissa fuerit in 5. aliàs 262. Rotæ decis. De Iure Patron. in nouis. versicul. Quod intelligerem. num. 2. Non idem statuendum, si aliud subiectum habeat dispensatio: idem decisum in Rota docet 2. aliàs 29. decis. De Præbend. in antiquis. Episcopum posse dispensare contra Concilij Lateranensis decretum, in cap. De multa. De Præbend. vt quis duas dignitates vel personatus in vna Ecclesia sub eodem tecto obtineat, ídque propter necessitatem aut vtilitatem Ecclesiæ. Et miror hæc à Molinæo, aliísque Gallicanæ Ecclesiæ defensoribus notata non fuisse.

NVM.

EOD. NVM. CCCCXXXVII.

De quibus tamen simul tenendis motus proprius non dispensat.

HÆC clausula Clericum capacem & idoneum ad obtinendum beneficium motu proprio summi Pontificis collatum reddit, in iis quæ sunt iuris communis & ordinarij, & quæ de stilo Cancellariæ Apostolicæ solent concedi: sed qualitatum ex fundationis, vel statuti lege requisitarum effectum minimè supplet: ideo si Sacerdotalis qualitas, aut generis nobilitas, aut familiæ consanguinitas desideretur, nulla prouisio, imò periculosa, vel potiùs abusiua esset in iis summi Pontificis dispensatio. *De clausula, motu proprio.*

NVM. CCCCXLI.

Primus si mandatarius requisitiones suas non faceret intra semestre.

CVM enim mandatarij in ius & locum Collatorum ordinariorum sint subrogati, habent semestre ad requirendum, vt Ordinarij ad præsentandum vel conferendum, ex Lateranensi Concilio. & eo tempore elapso mandatarij iure suo priuantur, an pro ea vice tantùm, an imposterum, diximus suprà. *Mandatarij & nominati & graduati intra sex menses requirere possunt.*

Tt

NVM. CCCCXLIII.

Quem Legatus non poteſt præuenire, licèt Papa poſſit.

Legatus etiam à latere an poſſit præuenire.

SIQVIDEM præuentionem ſummus Pontifex ſibi ſoli, non etiam Legato à latere reſeruauit, per §. Declarantes. de mandat. Apoſt. in Concordat. Sed inter Legati facultates ea ſolet inſcribi, vt ordinarios Collatores poſſit præuenire: quæ à Senatu probata ſine modificatione ſolet obſeruari. Vide Molinæi verba ſup. num. 140. Patienter interim cedere debet dictæ clauſulæ derogatoriæ non ſolùm Papæ, ſed etiam ſui Legati facultatem expreſſam habentis.

NVM. CCCCXLV.

Sed quid ſi de facto derogauit.

Legationis facultates quæ.

LEGATORVM à latere poteſtas & auctoritas, pendet in hoc regno ex homologatione ſeu verificatione facultatum in Senatu Pariſienſi, nec quid vltrà poſſunt Legati etiam à latere. Vide Molinæi verba ſupr. num. 142. verſicul. Imò verò facultates Legati qui nullum vſum. & ſupr. num. 340. verſicul. Niſi priùs permiſſionem expreſſam.

EOD. NVM. CCCCXLV.

Quia vt Legatus non poteſt præuenire mandatarium, nec aliquid in eius præiudicium.

POTEST quidem ſummus Pontifex regulæ de infir. derogare, in necem expectantium, ſiue graduatorum mandatariorum, aut nominatorum à Senatoribus, cùm eos omnes poſſit præuenire. Si quod maius poteſt, poterit quod minus eſt. Præuentio autem ei conceditur per §. Declarantes. de mandat. Apoſt. in Concordat. At è conuerſo, cùm prohibita ſit Legato etiam à latere hæc præuentio, vt ſuprà diximus num. 139. & n. 253. & infrà 449. non poſſunt Legati directè vel indirectè eorum iuribus præiudicare, vacationem hac derogatione impedire, nihilque in eorum præiudicium moliri. & multoties probata Molinæi opinio in Prætoriano Conſilio, & cùm in Senatu Legatorum facultates probatur, graduatorum & nominatorum Curiæ iura illibata remanent, hócque expreſsè cautum.



NVM. CCCCXLVIII.

Hinc siue Papa siue Legatus, ad resignationem infirmi conferendo.

Nulla prouisio non impedit vacationem per obitum.

QVOTIESCVNQVE prouisio nulla est, vel annullanda ex personæ incapacitate, vel defectu formæ, seu essentialis solemnitatis, nullum operatur effectum, nec impedit beneficium: ita nulliter collatum vacare per obitum resignantis: quod nullum est, nullum producit effectum: ideo Collatores ordinarij vt per obitum vacantia beneficia conferre poterunt. vide infrà opinionem Molinæi ad Reg. de verisim. notit. num. *6*.

NVM. CCCCXLIX.

Sed falsum est, quia non habent gratificationem.

Legatus an simplices graduatos possit preuenire.

IVRE Concordatorum in §. Statuimus. in verbo Gratificare. de Collat. specialis quædam ordinariis Collatoribus est concessa potestas eligendi quem ex graduatis voluerint, & beneficia in mensibus Aprilis, & Octobris per obitum vacantia conferendi per gratificationem. Ordinarios solus summus Pontifex potest præuenire

per dictam Concordati constitutionem in §. Declarantes, de mandat. Apost. & cùm Legati persona omissa, nísque de Legato dictum fuerit in beneficiis in iis mensibus per obitum vacantibus, cessabit eius in Legato conferendi facultas: aliàs Legati in Ordinariorum messem falcem mitterent, & eo in casu Legati omissio eius personam excludit. Vide quæ suprà notauimus num. 139. & Probi opinionem ad Glos. Prag. Sanct. in §. Item quod omnia. in verbo Scilicet. num. 3. versicul. Præuentio. & in §. Non voluit. in verbo Romanus. num 3. versicul. Istud facit.

NVM. CCCCLI.

Vt igitur necessitas conferendi graduatis imposita.

PROBABILIS hæc ratio & quæ seruatur in regno: quòd si Collatores ordinarij alteri quàm graduato conferant beneficia in mensibus Aprilis & Octobris vacantia, gratificationis iure, pro ea vice priuabuntur: & erit cuilibet graduatorum liberum beneficium requirere: diligentiori dabitur victoria: diligentia antiquitatem superat, diligentiori enim non antiquiori graduato (nisi cæteris paribus) dabitur beneficiũ. non hæc gratificatio, & Collatorum ordinariorum personam, & graduatorum considerat: & reiecta Collatoris persona soli remanent graduati sim-

Si non graduato collatum sit beneficium, cui graduato debebitur, an antiquiori an diligentiori.

plices, non antiquiores : aliàs confunderentur nominati & simplices graduati. quod absurdum : sed omnes indefinitè vocantur : sola igitur diligentia eo speciali casu discernuntur simplices & nominati.


EOD. NVM. CCCCLI.

Nec Papa quidem præuenire potest.

Graduatorum requisitio ius in beneficio tribuit.

RES enim non est ampliùs integra, cùm graduati requisitio ius tribuat : ex regia Henrici II. constitutione, vulgò contra paruas datas denominatâ, & aliâ Ludouici XII. constitutione regia anno 1512. publicata, art. 8. suprà ad Regul. de infir. num. 416.

FINIS.



INDEX.

C.

In

D.

E.

O.

R.

S.

T.

V.

FINIS.





GEORGII LOVETII
NOTÆ
AD COMMENTARIA
CAROLI MOLINÆI
In Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ.

AD REGVLAM DE PVBLICANDIS RESIGNATIONIBVS.

NVMERO II.

Ne beneficia (contra Canones) hæreditaria fiant.

PROHIBITVM in Concilio Antiocheno ſucceſſorem in Eccleſia ſibi quærere, canon. Vnde. canon. Sequenti. 8. quæſt. 1. & ſacris Eccleſiæ conſtitutionibus vetita hæc ſucceſſio. canon. Epiſcopo. canon. Epiſcopo liceat. 8. quæſt. 1. Moyſes propriis filiis neglectis extraneum coöptauit, & Innocentius II. generali

cõstitutione prohibuit ne beneficia Ecclesiastica & officia hæreditario veluti iure quis possideret. can. Apostolica auctoritate. 8. quæst. 1. omníque iure vetitum, Sanctuarium Domini iure hæreditario possidere. Vnde publica honestate postulante sancitũ ne filius in paterno beneficio succederet, cap. Ad extirpandas. De filiis Presbyt. Glos. Prag. Sanct. in §. Inter eos. in verbo Ex fratre. de num. & qualit. Cardinalium. Rebuff. in Praxi benef. tit. de Resignation. ex p. num. 5. Ideo reprobata sunt media, quibus ad beneficiorum successionem seu perpetuationem perueniri poterat; damnati regressus, & regia Henrici II. constitutione (quæ contra paruas datas vulgò nuncupatur) sublatæ Cancellariæ Apostolicæ fraudes & subtilitates, quibus beneficiorum continuatio seu potiùs perpetuatio fieri consueuerat: & postea Cancellariæ Apostolicæ ministri ordinariorum Collatorum commodo studentes, petierũt vt post annum nulla data extenderetur postea post semestre.

EOD: NVM. II.

Sed occultando eas & secretas habendo quandiu viuerent, vt ad mortem vsque fruerentur.

Qvi igitur ad eludendum regulæ de Public. effectum, prouisiones in suspenso latitant & detinent, resignantis diem obitus expectantes, vt

ante mortem possessionem accipiant, resignantem à possessione beneficij eiiciant, in legem de Public. resignat. committunt, & apud bonos Senatores possessione priuantur. Quid enim sine moribus leges vanæ proficiunt?

NVM. III.

Sed huic Regulæ Papa nullo modo derogare potest, nec dare potestatem derogandi.

FAVORE summo amplectenda Constitutio, per quam fraudibus & malitiis hominum obuiam itur. Ideo hæc regula de Public. in Regno recepta, & in Parisiensi Senatu registrata 27. Augusti anno 1493. & denuo approbata Henrici II. constitutione, in eodem Senatu verificata & publicata 24. Iulij 1550. artic. 13. 14. Nec poterit prodesse Summi Pontificis derogatio, cùm eius potestas & summa auctoritas non extendatur ad euellendas constitutiones, Apostolicas in summis Franciæ tribunalibus approbatas & registratas. Hæ duplici vinculo, Apostolico & Regio, ligatæ sunt, vtroque concurrente possunt dissolui, sola autem Apostolica dispensatione in hoc regno reprobari non possunt, cùm eo iure dissoluantur quo ligatæ sunt. & probat Rebuf. in Praxi benefic. ad dictam regulam de Public. Glos. 4. in fine, Summum Pontificem

ſex menſes ad publicandum à lege conceſſos prorogare non poſſe, cùm ita regula recepta ſit, vt lex regni. Eiuſdem opinionis Chriſtoph. de Rufigniac. auctorem habemus in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 12. verſic. Neque tamen huic parti aſſentior, Nicolai Boerij ſententiam refutantem, deciſ. 311. Sed quæro, cùm omnimodam in rebus ſpiritualibus poteſtatem habeant Summi Pontifices, Regiæ autem conſtitutiones ſuper poſſeſſorio beneficiorum, non petitorio, diſponant, an diſpenſatio Papæ, ſeu ad hanc regulam derogatio coram iudice Eccleſiaſtico vires habeat: alia enim poſſeſſoriæ controuerſiæ, alia petitoriæ conſideratio: & vt iudicum diuerſa poteſtas, ita & axiomatum diuerſa ratio, vnuſquiſque iudicem ſuum principem habet, principis ſui legibus adſtringitur, in iis diuiſum eſt imperium: nec minùs Eccleſiaſtici iudices Pontificiis conſtitutionibus obligantur, quàm alij Regum legibus adſtringuntur. Contrarium exiſtimo, derogationem ad hanc regulam in vtroque foro nullam, nec admittendam eſſe. Recepta enim eſt hæc regula in hoc regno, non vt lex Apoſtolica ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ, ſed vt lex regni, ideo à regnicolis obſeruanda, & in eam ceſſat omnimoda Summi Pontificis poteſtas: aliàs hæc conſtitutionis approbatio regni ſubditos opprimeret, & quod à iudice Regio ſumma cum ratione, & iuris æquitate obtinerent, contrario iudicio coram Eccleſiaſtico iudice magnis cum

cum sumptibus amitterent, & in eo quodammodo Regia auctoritas læderetur.

N V M. I V.

Videlicet ne pactis, & occultis commerciis priuatorum inscio Papa, fiant per indirectum reseruationes beneficiorum.

CVM hæc sit principalis causa regulæ, quæ causam dedit edicto, meritò boni iudices omnes conuentiones, quæ ad repetenda eiurata beneficia in casum mortis resignatarij tendunt, reprobant : & pro axiomate tenent, pactiones omnes, quibus beneficiorum titulus in incerto inter resignantem & resignatarium vagatur, vtriusque incertus mortis exitus aucupatur, & attenditur, vt viuo adueniente impediatur vacatio beneficij, cùm beneficium vacare non possit, nisi vtriusque morte simul adueniente, abusiuas esse, regressum continentes, nullas, & vt erroneas reprobandas. Quòd si nullæ pactiones inueniantur, (quia vt dolosæ secretæ sunt & occultantur) earum legitima erit probatio per fraudis & simulationis præsumptiones : & non tam pactio considerari debet, quàm illiciti modi, dolosæ machinationes, & vitiosæ artes, quibus ad hanc beneficiorum conseruationem perueniri solet.

NVM. V.

Vt tam alij quàm sibi, superstitique eorum reseruetur, idque non apertè, sed occultè, & secreta nundinatione: tunc enim non simplex, sed multiplex fraus est.

Proprie hæc omnia adaptari possent ad illas paruas datas, quæ à Banquariis & Cancellariæ Apostolicæ ministris bis in anno in libro domini Datarij accipiuntur. Hæ enim paruæ datæ (sic enim denominantur, quia breui sermone in libro Datarij concipiuntur donec extendantur) sex mensium spatio & resignanti & resignatario prosunt, si decedat resignans, extenditur data, & signaturæ prouisio expeditur: ideo non vacat beneficium per obitum resignantis, sed per resignationem. Si eo temporis spatio decedat resignatarius, negligitur parua data, nil expeditur, imò hæc parua data ad solam notitiam nummulariorum seu Banquarij peruenire solet, in cuius sola potestate est, datam esse vel non esse: tantáque inter Banquarios & Cancellariæ Apostolicæ ministros confederatio, vt nil prorsus eo in negotio ministri sine Banquariorum mandato agant. His autem sex mensibus

elapsis, continuatur seu repetitur parua data per alios sex menses: anno autem elapso repetitur data virtute noui mandati ad resignandum: cùm mandata annalia sint, & Regia Henrici II. constitutione post annum annullentur, nulliúsque sint roboris: eáque via conseruantur beneficia, eorum vacatio impeditur: his modis qui in plena valetudine, qui in virili ætate fortuito casu pereunt, homicidio, assassinatu, naufragio, sua beneficia conseruant: quocunque enim tempore vel momento resignantes decedant, resignatarij ad paruas datas tanquam ad sacram ancoram recurrunt; ibi tutissimum refugium. Sed cùm hæc omnia pessimi sint exempli, cur in regno tolerantur? duplici ratione id fit: priori propter constitutionem Henrici II. contra paruas datas, quæ nullitatis casus enumerat: iis autem addere nefas: posteriori, ob impossibilitatem probationis: nil enim in Banquariorum voluminibus seu registris de parua data inuenitur, nil in libro domini Datarij, cuius nulla partibus datur communicatio: sed Banquarij has paruas datas sub suppositis numeris exercent: duósque libros habent, vnum ordinarium, in quo has paruas datas inscribunt tantùm cùm de earum extentione agitur; alium secretum, concessiones ministris Cancellariæ Apostolicæ, & datarum continuationem continentem. Sed quid si mandata ad resignandum in fauorem eiusdem personæ singulis annis confecta reperiantur, si per decem annos

continuos hoc fiat, & non sufficere iudicauit Senatus in 5. classe Inquisitionum pro Decanatu S. Petri Andegauensis: nec enim prædicta Henrici II. constitutio mandatorum ad resignandum pluralitatem prohibet: sed minima fraudis præsumptio cum hac violentia, plenam fraudis probationem induceret. Vide suprà ad regul. de infirm. num. 150.

NVM. VI.

Cùm pinguiùs, promptiùs & efficaciùs succurratur per appellationes ab abusu, ad Curias Parlamentorum Galliæ.

HÆc omnia hodie planè inutilia, cùm Romæ sordidæ hæ pactiones penitus reiiciantur, & vix vlla Concordati inueniatur homologatio. Diximus autem sup. ad regul. de infirm. pactiones omnes beneficiorum regressum continentes, nullas, & abusiuas esse. & hæc quæstio decisa fuit Arresto hîc citato à Molinæo, pronuntiato 7. Septembri 1551. pro Prioratu Curato de Berchorio in diœcesi Malleacensi ab Abbatia S. Iouini dependente.



NVM. X.

Et nihilominus ex quo dictus Bichon resignans percipiebat omnes fructus per manus suas, vel veteris conductoris.

VT sit locus huic regulæ, consideratur possessor beneficij qui fructus percipit, nec tam resignatarij possessionis adeptio, quæ ficta & simulata iudicatur, cùm ea non obstante resignans de facto fructus percipit, siue per suas manus, siue per conductorem. Fallit, si resignans vi vel violentia occupat beneficium, & conquerente resignatario fructus percipit: tunc enim nihil imputandum resignatario, cui via facti nocere non debet.

NVM. XI.

Vt hæc regula iuuet sacra decreta de reseruationibus sublatis.

ALIA est tamen regula de public. aliud decretum de reseruat. sublat. Procedit enim regula de public. licèt nulla inter resignantem & resignatarium reseruationis eiurati beneficij spes fuerit: puta cùm per negligentiam resignatarij intra semestre adepta possessio non fuerit, vel si

adepta possessio, intra legales inducias publicatio nulla subsecuta sit.

NVM. XV.

Hæc autem primaria clara, & sine controuersia.

VT sit locus regulæ de public. necessarium est resignantem defunctum post sex menses in possessione mansisse, vel post semestre non publicasse. Vno enim ex his duobus deficiente, publicatione scilicet, vel possessionis adeptione, vacat beneficium per obitum, non per resignationem. Igitur si ante semestre resignans decedat, vacat beneficium per resignationem, non per hanc regulam, inutilísque prorsus eo casu quæstio publicationis, aut adeptionis possessionis, vt videre licet infr. num. 19. in hæc verba, Constare resignantem decessisse, &c.

EOD. NVM. XV.

Saltem petiisse possessionem ab iis, quos id contingit.

DE legitima igitur possessione & legitimè adepta loquitur hæc regula. Qui sint autem ij, à quibus petenda possessio. Vide regiam Henrici II. constitutionem, quæ contra paruas datas nun-

cupatur, art. 13. 14. Ibi enim adipiscendæ possessionis forma describitur ex beneficiorum qualitate.

NVM. XX.

Si resignatarius non publicauit, nec possessionem petiit infra sex menses: sed forte post decem menses, vel annum, viuo tamen adhuc & possidente resignante.

DIXIMVS suprà huic regulæ de public. locum non esse, cùm resignans in possessione non decedit. Appositè Molinæus in proposita hypothesi decem mensium, vel anni mentionem fecit, ne in infinitum tempus protraheretur, nec triennium excederet.

NVM. XXI.

Satis est igitur publicationem, & possessionis petitionem quandocumque, viuo adhuc eodem resignante.

HÆC indefinita locutio, quandocumque, & in extremis laborante, multos in errorem induxit, vt existimarint etiam post triennium

resignatarium possessionem accipere posse: cùm in Iure Canonico nullum certum tempus sit determinatum ad accipiendam possessionem, ex Glos. in cap. Si absenti. de Præbend. in 6. & in ea opinione fuerunt Ioannes de Selua in tract. de benef. quæst. 21. tertia parte. Christoph. de Rufiniac. in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 12. circa medium. Boërius decis. 24. n. 3. 4. & decis. 312. n. 2. Rebuf. in titul. de collat. in verbo Collationibus. versiculo Item si fuerit. num. 34. & in §. Monasteriis. versiculo Vacare. versicul. trigesimo. de Reg. ad prælat. nom. quod de regni consuetudine obseruari existimat; in Concordat. Tantorúmque hominum sententiæ, quorundam Senatorum animos præripuerũt, vt facilè opinioni auctoris subscriberent, & ferunt quibusdam Senatusconsultis ita fuisse pronunciatum: quandiu enim resignans viuit, præscribere non potest, cùm de eius facto agatur. vt infr. Molin. docet num. 51. Contrarium semper existimaui, & verba Molinæi & Rebufi ciuiliter esse intelligenda, & ad iuris rationem limitanda: nec enim qui eam opinionem tenuere, dixerunt etiam vltra triennium, & ipse Molinæus in principio huius regulæ damnat eorum opinionem, qui viam & modum perpetuandi beneficia quærunt; at si vltra triennium liceret resignatario viuo resignante possessionem consequi, liceret etiam post decennium, post 20. annos, etiam intra 30. annos, quo tempore vacare non possent beneficia; quod absurdum.
Dein-

Deinde verba illa generalia (quandocunque viuò resignante) referri debent, & limitari ad tempus legitimæ præscriptionis. Vt in prophanis rebus triginta annis actiones, & iura præscribuntur: & qui quocumque tempore venditum prædium redimere posse stipulatus esset, post triginta annos non audiretur: ita hæc verba (quocumque tempore viuo resignante) ad tempus legitimæ præscriptionis referri debent. Triennio autem tituli beneficiorum præscribuntur cum bona fide, per regul. de pacific. possessoribus, & resignantes ante acceptationem resignatarij remanent in possessione, & iure beneficij resignati, faciúntque fructus suos, ex Rebuf. in Praxi benef. titul. de resignat. cond. num. 17. & Christoph. de Rufigniac. Comment. Pontif. lib. 3. cap. 14. & ita Senatusconsulto Parisiensi iudicatum, pro Præbenda Ecclesiæ Bituricensis in causa Ioannis Boucherel, vt ipsemet Molinæus refert infr. num. 245. & hæc est doctrina Rotæ in 1. aliàs 158. decis. de renunt. in nouis, num. 12. Ideo habent titulum saltem coloratum. Et Glos. Pragm. Sanct. titul. de pacif. possessoribus. in proœmio. in verbo, Triennio. versicul. Item nota ex hoc textu ex negligentia capiendæ possessionis ante triennium non amitti beneficium; ante triennium permisit, post triennium denegauit. Illuderetur regula de pacif. possessoribus, & regul. de public. si triennio titulus beneficij non præscriberetur, si intra sex menses adipiscenda esset possessio, &

liceret subtili quadam arte post triennium, post decem, vel viginti annos id facere, & his artibus beneficia conseruare. Iure Regaliorum annis triginta durat regalia : at si titulus triennio in arca retineatur, in lucem non prodeat, nullus erit titulus contra alium Regalistam, quia eo casu iure communi vtuntur, cùm sit priuilegiatus contra priuilegiatum. Iure autem communi eo triennij spatio titulus præscribitur per dictam regulam de Pacif. eáque est Ruzei sententia de priuileg. Regal. priuil. 4. Sed cùm hæc dictantur, deciditur quæstio in Prætoriano Consilio pro Præbenda Ecclesiæ Parisiensis resignata ab auunculo nepoti in Cancellaria Apostolica. Auunculus triduo ante obitum signaturam in forma gratiosa expeditam dedit nepoti, eodémque die in Capitulo solemni more possessionem est adeptus. Sed qui per obitum resignantis prouisionem obtinuerat, contendit nullam resignationem, nullam possessionem, cùm resignans per quatuor annos à die admissæ resignationis computandos in possessione remansisset; post ea tempora de resignationis viribus non ampliùs quærendum, titulum præscriptum, ius suum resignatarium neglexisse, seu potiùs amisisse. Recitantur ab Aduocatis partium Senatusconsulta tam in Parlamento Parisiensi, quàm in Magno Consilio data. Tandem 30. Augusti 1606. Præbendam per obitum, non per resignationem, vacasse iudicatum contra Huchet resignatarium. Limi-

tanda igitur potiùs, quàm corrigenda Molinæi opinio, vt eius verbis licet colligere infrà numero 51.

Et ipse Rebuf. sibi veluti contrarius probat in Consilio 186. versiculo secundo Facit, & versiculo 6. possessionem post triennium adeptam nullam esse, eáque triennij temporis negligentia ius prorsus extinctum: verus enim terminus ad accipiendam possessionem beneficij ad triennij limites reducitur, & post ea tempora non potest (inquit) acceptare beneficium, sed ius perdit. & in Glos. Pragm. Sanct. sub titulo de pacific. possessoribus. in verbo Triennio. versiculo Item nota ex hoc textu ex negligentia capiendæ possessionis quis non amittit ius quæsitum in beneficio ante triennij lapsum. Ex quibus à contrario sensu licet colligere, post triennium quem ius quæsitum amittere. Quod enim in Iure Canonico certum statutum tempus non inuenitur ad adipiscendam possessionem, obtinebat ante decretum de pacific. possessoribus. sed immutata hæc Iurisprudentia per Constit. de pacific. possessoribus, quæ ius nouum introduxit. Et ita verum primum axioma, beneficiorum titulos per triennium præscribi, ex decreto de pacif. vt si quis recredentiæ iudicio victus à sententia appellauerit, & per triennium appellationem discontinuauerit, nec in petitorio, nec in possessorio posteà audiatur propter tituli, & iuris præscriptionem. & ita in Senatu Parisiensi obseruatur

ex Probi doctrina ad Glos. Prag. Sanct. titul. de pacif. possessoribus, in verbo Triennio. num. 2. versiculo Simile audio. Quibus præsuppositis in eo qui ius habet in beneficio, qui titulum, qui possessionem est adeptus; quid à fortiori ratione statuendum erit in eum qui possessionem non accepit? Si autē contraria seruaretur opinio, quid aliud esset, quàm testamenta, & substitutiones contra sanctorum Patrum decreta, & antiquos Canones de beneficiis Ecclesiasticis facere, & sub ea subtili magis quàm vera ratione vacationes beneficiorum per obitum impedire? Quod ipsemet Molinæus reprobat ad reg. de infir. num. 210. versiculo, Sed falsum est. & in principio huius regulæ num. 2. in hæc verba, Occultando prouisiones & secretas habendo quandiu viuerent, vt ad mortem vsque fruerentur. & num. 4. ne pactis & occultis commerciis priuatorum, inscio Papa, fiant per indirectum reseruationes beneficiorum: & postea, Ita tamen vt si superuiuat illud retineat. Signaturam penes se retraheret, & secretam teneret, vt non solùm quandiu viueret frueretur, sed etiam præmoriente resignatario. Et sic vter eorum superstes esset, semper contra omnes æquè beneficio frueretur. & postea, Vt superstiti beneficia remanerent in fraudem iurium canonum & Ordinariorum. Si his malis artibus in regul. de public. peccare sit vetitum, quanto magis damnata, & prohibita erit fraudis intentio eorum, qui per quatuor vel

plures annos prouisionem latitant, expectantes diem obitus resignantium, vt paulo ante obitum ad vitandam pœnam regulæ, prouisionem publicent ? & nostræ sententiæ assentire videtur Molinæus infr. num. 59. & num. 60. cùm in locis in quibus obseruatur regula de Pacif. triennio limitat resignationes beneficiorum, in aliis verò locis decennio, vel per 20. annos.

NVM. XXII.

Quòd si publicatio dilata sit in horam vel diem mortis, & quo certum erat resignantem mori.

REBVF. in Praxi beneficiorum ad regul. de public. Glos. 13. num. 11. recitat in Magno Regis Consilio iudicatum, possessionem ipso die mortis resignantis à resignatario adeptam, nullam, & vacasse beneficium per obitum, non per resignationem. & ita seruatur in Senatu Parisiensi.

EOD. NVM. XXII.

Et idem intelligendum est de mense, quando extra curiam resignatum est.

IDEO si ipso mortis die post mensem acci-

piatur possessio, fiat publicatio, vacat beneficium per obitum, fortiori ratione si post mensem in possessione decedat resignans. Sed quid si absenti facta sit collatio, si ignoranti, in quo nulla negligentia animaduerti potest, qui ante notitiam prouisionis nec possessionem beneficij resignati adipisci, nec eam publicare poterat. & in eo procedit regula, quæ in rem est, beneficiúmque, seu potiùs resignationem beneficij afficit: nec potuit eiurari beneficium etiam in manibus Ordinarij, nisi cum onere, & conditione regulæ de public. cùm hæ resignationes regulæ subiiciantur.

NVM. XXIV.

Breuiter dicendum indistinctè non esse nisi spatium mensis.

VErba regulæ id denotant, in Curia Romana, vel extra Curiam. Legatus autem est extra Curiam. Fallit legitima causa superueniente, quæ impedimentum legitimum, seu necessitatem resignatario imponit. puta, si in itinere prouisio violento casu amissa, si cursor occisus redeundo.



NVM. XXX.

Sed de actuali simonia, quæ non solùm titulum, sed etiam possessionem inficit.

TRIPLICEM simoniæ speciem tradunt nostri in cap. 2. & final. de Simonia: mentalis, conuentionalis, & realis. Prima solum Deum habet iudicem & vltorem. Secunda, quæ non ad actum peruenit, sed in puris terminis conditionis remansit, non inducit beneficij vacationem, sed ea non obstante remanet titulus coloratus beneficij, ex Gomes. super regul. de triennal. possess. quæst. 12. in fine. Fallit, si collatio sit facta virtute pactionis simoniacæ. Tertia, quæ realis dicitur, priuat beneficio ipso iure, & non tantùm beneficio, sed beneficiis: totam animam enim inficit, lepra est, quæ vniuersũ corpus corrumpit. Rebuf. in Cons. 63. eandem simoniæ partitionem approbat, & in Prax. benef. de Simonia in resignat. num. 9. & 10. Quod autem dictum est de simonia conuentionali, intelligendum de pactis simoniæ labem habentibus. Illæ enim conuentiones illicitæ quidẽ, sed non verè simoniacæ; & ante Concilium Constantiense qui per has illicitas pactiones beneficia obtinebant, ipso iure beneficio non priuabantur. Sed hæc priuatio per Concilium Constantiense introducta fuit, quæ Constantiensis Concilij constitutio in obtinendis

beneficiis procedit, sed in iam obtentis locum non habet, vt ibidem probat Rebuf. Secus in vera simonia, quæ in obtinendis, & iam obtentis nocet, vt probat Christoph. de Rufigniac. in tractatu Iuris Pontif. lib. 3. cap. 18. in fine. Et satis mirari non possum Rebufi opinionem in dicto Consilio 63. Conuentionem ad obtinendum beneficium pecuniæ summa promissa simoniæ labem redolentem, non verè simoniacam existimantis, cùm permansum sit in finibus conuentionis, nec vltrà sit processum. Imo quælibet conuentio simoniaca, per quam beneficium obtinetur, damnatur per Concilium Constantiense, nulláque vt simoniaca declaratur prouisio.

NVM XXXI.

Ego primus auctor fui, per multa iura & rationes.

DVBITANDI ratio erat simoniacum crimen esse extraordinaria via, vt in cæteris criminibus, procedendum, ergo contra Ecclesiasticas personas coram Iudice Ecclesiastico, vt ex Blesensi constitutione Regia art. 21. huius criminis cognitio datur Iudici Ecclesiastico contra personas Ecclesiasticas, & laïco contra laïcos. Sed quia per eandem Regiam constitutionem art. 46. ex omnibus criminibus, quorum perpetratione beneficij vaca-

vacatio ipso iure inducitur, potest lis possessoria coram iudice laïco intentari, non expectata iudicis Ecclesiastici sententia; facilis per testes simoniæ probatio admittitur, sed ad effectus ciuiles tantùm ad effectum possessorium. Sed miror Molinæi temporibus Senatusconsulto decisum fuisse: siquidem ante Blesensem constitutionem iuris dispositio seruabatur, & priuationis sententiam ante litem possessoriam desiderabat, vt sup. dictum fuit ad regul. de infirmis num. 387. nec enim viuentis nondum condemnati beneficium obtineri poterat, cap. 1. de concess. Præb. Hodie autem per testes hæc admittitur simoniacæ prauitatis probatio, & sæpe possessorium beneficij iudicando tanta simoniæ probatio inuenitur, vt iudici Ecclesiastico iniungatur contra simoniacum extraordinariè procedere. Differentia autem inter sententiam iudicis Ecclesiastici super simonia latam, & sententiam iudicis laïci. Prima, Ecclesiasticum de simonia conuictum omni priuat beneficio, officio & dignitate Ecclesiastica, agit in personam Ecclesiasticam, vt in proprium subiectum: Altera litem & litigiosum beneficium tantùm considerat, & in eo solo tota consistit temporalis iurisdictio.



Aaa

EOD. NVM. XXXI.

Sub beneplacito Papæ habentis poteſtatem derogandi dictæ ſimoniæ poſitiuæ.

SED cùm vera ſimonia, quæ iure diuino in emptione poteſtatis, & virtutis Spiritus ſancti, ſeu Ordinum, vel Sacramentorum conſiderari poteſt alia quælibet, ſit iure poſitiuo prohibita: non mirum, ſi ſummus Pontifex ſua ſumma poteſtate ſuper qualibet poſitiuo iure damnata ſimonia diſpenſare, & illam purgarę poſſit. In his enim quæ ſunt tantùm iuris poſitiui, ſumma & ſuprema ſua extenditur poteſtas, modò non ſit contra Concilia generalia, aut vniuerſam Eccleſiæ politiam, vt tenent Theologi.

NVM. XXXII.

Et ſic talis reſignatarius cùm habeat titulum ab habente poteſtatem.

TENENT noſtri titulum verè coloratum in beneficialibus dici, cùm datus eſt ab habente poteſtatem, ex Ludouic. Gomeſ. ad regul. de triennal poſſeſſ. quæſt. 27. & alij ſcribentes ſuper regulam de Pacif. in eo conueniunt. Ordinariorum enim magna eſt in beneficiorum

collatione auctoritas & potestas in Ecclesia ; & hoc ex prima seu antiqua Ecclesiæ institutione retinuerunt, in qua verbo beneficium cum ordine, ordo cum beneficio, reiecto omni futuræ litis seu contentionis timore, conferebatur. At cùm non ab habente potestatem confertur, licèt sit bona fides ex parte accipientis, vel fortè ex parte conferentis, defectus tamen potestatis nullitatem inducit: in spiritualibus enim causis defectus potestatis nulla ratione, nulla æquitate, nec bona fide suppleri potest: primum solúmque fundamentum potestas, super quo reliqua ædificantur, eo sublato reliqua corruunt. Ex parte verò illius cui confertur beneficium, capacitas desideratur, aliàs titulus inutilis; & tandiu durat tituli nullitas, quandiu incapacitas.

EOD. NVM. XXXII.

Et sic si sine alio vitio tribus annis continuis, pacificè, & sine lite.

VERVM illud in Iure Canonico axioma: Qui ab habente potestatem beneficij titulum habent, qui pacificè per tres annos continuos possident, nullóque incapacitatis vitio laborant, vtuntur triennalis possessionis priuilegio. & si hæc verba consideres, multas ambiguitates, & scrupulosas difficultates, quæ à nostris disceptantur, decidere poteris. Semper enim triennalis possessio-

nis priuilegium datur ei, in cuius persona hæc tria verificantur. Consule Gomes. ad regul. de triennal. possess. quæst. 20. Primo autem horum trium deficiente, difficillimum quid certi statuere, cùm hoc pendeat ex variis circunstantiis causarúmque figuris. Si Vicarius qui contulit reuocatus erat, reuocatio autem nondum publicata seu insinuata: si collator mortuus erat, Vicario autem tempus obitus nondum innotuerat: si nondum Vicarius insinuauerat: si is qui contulit, pro collatore ordinario publicè ab omnibus habebatur, cùm tamen collator non esset: si is qui contulit, pacificè non possidebat, imò possessorio iudicio postea euictus fuerit: si excommunicatus, sententia autem excommunicationis nondum publicata, imò nec pronunciata: si in quasi possessione conferendi, cùm tamen collator in rei veritate non esset. Sed verior & certior regula, aliis duobus deficientibus, aut eorum altero. cessat enim triennalis possessionis beneficium. & hæc in Senatu obseruantur, & eliciuntur ex his quæ Guimerius, Rebuf. Gomes. Christ. de Rufigniac. ad regulam de triennal. possess. ediderunt.

NVM. XXXIII.

In beneficiis Ecclesiasticis non datur successio, nec in titulo, nec in possessione, quia tituli beneficiorum sunt personales.

POSSESSIO resignantis non prodest resignatario, nec ad acquirendum annalem vel triennalem possessionem computantur tempora prædecessoris in beneficiis, vt infrà num. 36. Proprij specialésque sunt tituli, propria & peculiaris ratio, propria causa, propriéque & peculiaris possessio, tantúmque de iis potest quis sibi addicere adscriberéque, quantum suo ex capite in causam per se ipsum deducit. Hæc sunt verba Christ. de Rufigniac. in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 6. Idem Molinæus noster sentit in Comment. ad Consuet. Parisiens. §. 30. num. 66. Glossa Pragm. Sanct. in verbo Possedit. §. 1. circa medium. de pacificis possessoribus, id antea prædixerat, vt & Rebuf. ad eandem regul. num. 267. & ipse Ruzeus in priuileg. Regalior. priuilegio 5. num. 3. Hæc perpetuò vera quoad regulam de pacificis possessoribus. sed nonnullis aliis in casibus resignatarij quid ex iure resignantis habent, & ex eius facto tenentur, & ius resignatarij ex iure resignato metitur: imò in resignationibus in fauorem admissis resignatarij plus iuris

habent à resignante quàm à collatore. Sed hæc non sunt præsentis instituti, opportuniori loco reseruentur. Obiter notandum, opiniones quæ hîc à Molinæo recitantur, in resignationibus purè factis, aut in vacatione per obitum, non in resignatione in fauorem, procedere, & intelligendas esse, vide infrà num. 90.

NVM. XXXV.

Modica diuersitas facti, magnam inducit iuris diuersitatem.

IDEO receptum est, in iure definitionem periculosam, Regulam quamlibet generalem ex variis causarum figuris fallentiam sumere, prudentísque senatoris litium decisionem ex variis circunstantiis, causarúmque figuris accipere.

NVM. XL.

Stat ergo conclusio indubitata, quòd hæc regula locum habet etiam in secundo.

CVRENT diligenter resignatarij, quorum resignantes possessionem resignati beneficij non acceperunt, sed literis non confectis, vel possessione non adepta eiurant sua beneficia, vt resignantes in possessione intra seme-

ſtre non decedant. Hæc enim regula quaſcunque reſignationes afficit, in rem eſt, & etiam reſignatarios obligat ad accipiendam poſſeſſionem intra legitima tempora, & imputandum reſignatario qui præuidere debuit reſignantem ſuum poſſeſſionem non accepiſſe: & qui reſignationem accipit, ſub onere & conditione legis accipit, hæc donatio tranſit cum onere ſuo à lege impoſito.

NVM. XLIII.

Quòd à pacifico poſſeſſore cum titulo non exigitur probatio tituli, & capacitatis ſui deceſſoris, quando vltimus poſſeſſor non fuit in lite.

NEc enim tituli & capacitates reſignantis ſunt in manibus & poſſeſſione reſignatarij, & reſignantes alia beneficia poſſidentes ordinum litteras præ manibus habere debent, & eiurati beneficij titulum, cuius virtute poſſeſſi beneficij tempore fructus ſuos fecerunt. Sufficit enim reſignatario reſignationis tempore reſignantem in pacifica poſſeſſione beneficij fuiſſe, & ex communi fama pro tali haberi. Quod vtilitate publica receptum fuiſſe probat Molin. ad regul. de publicand. num. 203. & in ſpecie per-

mutationis procedere probat 10. aliàs 404. Rotæ decisio de rerum permutat. in antiquis. Non idem si resignans in lite fuerit. Cùm enim Regia constitutione Francisci I. anno 1539. publicata, ante litis contestationem titulos & capacitates quis edere debeat in iis spiritualibus causis, & ab ea communicatione lis suum petat initium: meritò hi tituli, hæ capacitates litis partem facientes in lite manere debent, & resignatarij litigiosi beneficij auctoris sui iura, qualitates, & capacitates edere debent ad euitandas fraudes, quæ de die in diem fieri possent à resignante incapaci; aliàs facillimum esset lite pendente, resignantis incapacitatem resignando validare. & procedit eo casu regula à Molinæo recitata: Resignatarij, cessionarij, & omnes qui in ius litigiosum succedunt, transeunt, & veniunt in lite cum lepra sua, id est cum vitio auctoris.

NVM. XLV.

Exigit possessorem resignantem mori post illud tempus semestris.

CESSAT enim regula de publicandis, quotiescunque resignans etiam in possessione intra sex menses decedit, & valida est resignatio nullo alio impedimento obstante: & ita quotidie seruatur.



NVM.

NVM. LI.

Quandiu idem resignans viuit, cùm de eius facto & scientia agatur.

NONNVLLI ex hac ratione, eorum opinionem confirmare voluerunt qui existimant, resignantes etiam post tres annos, inuitis & contradicentibus resignatariis, in beneficij resignati possessione remanere non posse, cùm contra proprium factum resignantes venire non possint: Ideo resignatarios possessionem beneficij resignati accipere posse quandocunque, viuente resignante, & post tres annos, & post decem, cùm nulla bona fides esse possit contra proprium factum: & in Magno Regis Consilio iudicatum pro Prioratu de Prunieres in diœcesi Andegauensi, resignatarij possessionem post quinque annos adeptam validam esse, consentiente resignante, & in plena valetudine existente, cùm ipse resignans de nuptiis contrahendis cogitaret; nec enim eo casu vlla ordinario collatori fit iniuria, cùm ipse resignans denuo posset resignare. non idem cùm militat fraudis suspicio, propter subitam mortem naturalem, vt suprà diximus numero 21.

EOD. NVM. LI.

Cùm de eius facto & ſcientia agatur in locis in quibus locum habet.

HÆC autem verba, de triennali poſſeſſore ciuiliter intelligenda ſunt, & ad legitimam præſcriptionem referenda. Cùm enim ex regula de pacific. omnis titulus beneficij triennio finiatur, & cum titulo colorato eo tempore præſcribatur; reſignans autem in fauorem coloratum habeat titulum, fructúſque eiurati beneficij ſuos faciat, donec reſignatarius ratam habuerit reſignationem, eámque acceptauerit: certum elapſo triennij tempore omnem reſignatario negligenti actionem denegandá, legitimóque tempore reſignantem plenum ius retinuiſſe, reſignationem nullam & præſcriptam. Non idem in ſimplici reſignatione ſtatuendum, cùm reſignans à die admiſſæ reſignationis, & ius & poſſeſſionem amiſerit, detentor ſit, non poſſeſſor: nec in bona fide, ſed mala, non coloratum, ſed nullum habeat titulum. & appoſitè Molinæus diſtinguit loca, in quibus obſeruatur conſtitutio de pacificis, ab iis in quibus ceſſat regula, cuius tanta eſt virtus, vt omnis titulus, omnis reſignatio beneficij cum colorato titulo triennio ſopiatur, præſcribatur, & euaneſcat. nec ideo recedendum ab iis quæ ſuprà num. 21. diximus.

NVM. LXI.

Ex quibus liquet quòd hæc regula non est facta in fauorem huiusmodi tertij.

VERVM igitur est axioma, in constitutionibus interpretandis semper attendendam causam quæ dedit locum constitutioni, attendendas personas quarum fauore lata est constitutio; periculosum vltra hos limites constitutionem extendere. Qui enim hæc negligunt, non tam leges interpretantur, quàm nouas condunt & promulgant: ideo obtinentibus beneficia in Cancellaria Apostolica iure deuoluto aut per obitum, prodesse non potest huius regulæ beneficium, nec de his impetrantibus cogitarunt regulæ nostræ conditores. & cùm hæc regula nouum ius constituat, sit contra iuris communis dispositionem, ab eius verbis, & mente non est de facili recedendum.

NVM. LXII.

Resignatarius possessionem Prioratus ceperat coram duobus testibus.

VT dubitandi ratio in hypothesi proposita esse possit, dic intelligendú aut in Religioso

expreſsè profeſſo, aut in Prioratu Conuentuali curam animarum habente. nec enim quis dixerit Prioratum ſimplicem cum dignitate alia alicuius Eccleſiæ, inter incompatibilia beneficia annumerari per cap. de Multa. de Præbend. cùm hi prioratus curam non habeant animarum, ideo in prohibitione cap. de Mult. non comprehenduntur, nec ſunt in prohibitione extrauag. Execrabilis. de Præbend. hæ namque conſtitutiones de beneficiis curam animarum habentibus tantùm intelliguntur. In Religioſo verò ſeu regulari, quælibet beneficiorum pluralitas prohibita, tum propter votum paupertatis, tum quia in diuerſis Eccleſiis eſſe non poſſunt. in iis ſiquidem religioſis viris ſingula beneficia, & officia ſingulis ſunt committenda perſonis. cap. Cùm ſingula. de Præb. in 6. Nec innoteſcit contraria Rebufi opinio in Prax. benef. titul. de diſpenſat. cum regularibus facta num. 11. Regularem duo beneficia ab eodem Monaſterio dependentia poſſe in titulum obtinere abſque vlla diſpenſatione. Saturnina hæc enim quodammodo videtur opinio, & contra praxim Cancellariæ Apoſtolicæ, in qua Religioſis iure ordinario de duobus numquam beneficiis prouidetur: imò hæc apponi ſolet clauſula in eorum prouiſionibus, vt ante adeptam ſecundi beneficij poſſeſſionem primum dimittere omnino teneantur, aliàs gratia nulla. Et in eis inutilis quæſtio, an à die pacificæ poſſeſſionis decretum irritantis computanda ſunt tempora, ſicut in ſæ-

cularibus. Hi enim regulares ante adeptam possessionem secundi beneficij primum eiurare tenentur. & hæc est Christoph. de Rufigniac. sententia in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 36. circa medium. & quod Corasius in Paraphrasi Sacerdot. parte prima, cap. 5. dixit, duo beneficia etiam simplicia absque dispensatione obtineri non posse, hoc in regulari non in sæculari intelligendum existimo: mihi enim persuadere nullo modo possum tantum Senatorem contra communem Galliæ consuetudinem sanxisse, siquidem cap. de Multa. de Præbend. prohibitam beneficiorum pluralitatem, ad ea quæ curam animarum aut Sacramentorum administrationem habent, limitauit. idem cap. Licèt Episcop. de Præbend. in 6. & extra. Execrabilis. de Præb. Et qui contrariam in sæculari Clerico opinionem tenuere, vt Ioan. de Selua tract. de benef. parte 3. q. 38. & parte 4. q. 8. & Glos. Pragm. Sanct. in §. Cui rei. in verbo Pluralitatis. de Collat. antiquæ Ecclesiæ primum statum considerauerunt, in quo Ecclesiarum verbo, ea tantùm veniebant beneficia, quæ curam animarum, Sacramentorúmque administrationem habebant, in quo ordo cum beneficio, & beneficium cum ordine conferebatur, in quo beneficiorum resignationes incognitæ erant, imò Sacerdotes in eo beneficio perpetuò permanere debebant, in quo ordinati fuerant. quod per Concilium Lateranense correctum fuit, beneficiorúmque pluralitas limitata ad beneficia curam

animarum habentia, vt in cap. de Multa, videre licet; quod ex vſu communi regníque conſuetudine approbata receptum probat Rebuf. in Praxi beneficiorum, tit. de diſpenſat. ad plura beneficia num. 29. hodie, in quo de conſuetudine in ſimplicibus beneficiis non petitur diſpenſatio, ſed ſine diſpenſatione retinentur: & concordatorum lege conceſſum graduatis duas ſine vlla diſpenſatione Præbendas tenere, etiam in Cathedralibus Eccleſiis, §. Volumus. verſicul. Siquis verò. in verbo Duas. de Collat. Et ſolam effrenatam beneficiorum ſimplicium multitudinem etiam in regno prohibitam clerico ſæculari teſtatur Probus ad Gloſ. Pragm. Sanct. in §. Cui rei, in verbo Pluralitatis. num. 4. de Collat. quæ omnia tacitè approbaſſe videtur Regia Bleſenſis conſtitutio articul. 11. quæ in pluralitate beneficiorum beneficia curam animarum habentia, non alia nominauit.

NVM. LXIV.

Quòd de vno genere vacationis non ſit extenſio ad aliud.

HODIE Notarij Apoſtolici, & ij qui Ordinariorum collationes componunt, Cancellariæque Apoſtolicæ miniſtri, ad tollendum nodum alioquin difficilé, cap. Suſceptum. de reſcript. in 6. clauſulas ſolent apponere in prouiſio-

nibus Apostolicis, omnia vacationum genera exprimere, siue per obitum, siue iure deuoluto; & in collationibus Ordinariorum clausulam, quouismodo beneficium vacare dicatur: quæ verba comprehendunt ea vacationum genera quæ sunt in potestate collatorum ordinariorum, vt suprà dictum fuit, eóque modo nodus capit. Susceptum, soluitur.

NVM. LXVI.

Quòd verba legis faciliùs & latiùs extenduntur, quàm verba hominis.

HÆC in conuentionibus & contractibus intelligas, in quibus verba potiùs quàm voluntatem consideramus, l. quidquid adstringendæ. De verborum obligat. secus in testamentis, in quibus verborum interpretatio pendet ex voluntate testatoris, quæ limitat, ampliat, & dominatur.

NVM LXIX.

Sed quia non erat locus cap. de Multa.

CONFIRMAT Molinæus quæ de beneficiorum pluralitate supr. diximus num. 62. & ad-

huc hodie in Cancellaria Apostolica iure veluti communi, & sine vlla meritorum commendatione quatuor commendæ sæculari conceduntur; quod excedit, ex mera Summi Pontificis potestate procedit. Nec mirum si Romæ commendarum multitudo non damnatur, cùm quilibet commendatarij tertiam partem fructuum beneficiorum in commendam obtentorum, in reparationibus & commodis beneficij commendati impendere debeant, vt in qualibet prouisione cauetur.

NVM. LXXI.

Sub quadruplici conditione copulatiua.

QVATVOR requiruntur, vt huic regulæ de publicandis locus esse possit, vnóque horum deficiente, cessat; si resignans in possessione post sex menses, aut mensem à die admissæ resignationis per Papam aut ordinarium Collatorem computandos naturaliter decesserit, non publicata prouisione & possessione. & ita decidit Molinæus infr. num. 72. versiculo Quamuis enim extiterunt tres primæ conditiones. hæ enim quatuor conditiones in textu regulæ desiderantur, & sub his quatuor fundamentis constitutio constructa fuit.



NVM.

NVM. LXXVII.

Quamuis ipse resignans eo decreto non iuuetur contra suum resignatarium.

VT hanc clausulam cum iis quæ notantur à Molinæo sup. num. 74. 75. & 76. de primo & secundo resignatariis intelligas, de resignatione distinguendum; alia enim pura & simplex, de qua loquitur Molinæus: Nec vllo pacto, nulláque ratione ita purè eiuratum beneficium repetere potest, renuntianti non datur regressus: ideo periculosum iuri suo renuntiare. Nec resignans eo casu contra resignatarium, aut alium decreto De pacificis iuuari potest: nec enim coloratum titulum post beneficij eiurationem habet; imò non possessor, sed detentor remanet. Alia autem resignatio, quæ in fauorem, seu conditionalis dicitur, hæc conditiones admittit, resignatarij acceptationem requirit, & ante eius acceptationem remanet in possessione beneficij resignans, fructus percipit, suos facit, coloratum habet titulum: sub ea enim conditione à lege recepta & approbata resignauit: & de ea resignatione non loquitur Molinæus. Sed si quis verba potiùs quàm Molinæi mentem captare voluerit, nunquam probare potuit resignatarium quemcumque post triennium elapsum possessio-

nem adipisci posse, & resignantem inuitum triennali possessione cum colorato titulo munitum arcere, & à beneficio deiicere, vt suprà probauimus num. 21. tanto enim tempore præscribitur titulus, ea triennali negligentia totum ius remisit, & legali ea præscriptione omni iure priuatur resignans. & huic sententiæ satis adsentire videtur Molinæus inf. num. 78. & 79. cùm distinguit resignantem de facto possidentem, à non possidente: vt possidens denuò possit resignare, quod in resignatione in fauorem est accipiendum: non possidens non possit, vt pleniùs docet Molinæus infr. num. 83.

NVM. LXXX. & LXXXI.

Fac resignantem statim ingredi monasterium, & per Vicarios retinere possessionem, & in fine anni probationis monachica vota sollemniter profiteri, &c. talis enim libertatem perdit, & maximam incurrit capitis diminutionem, mundo mortuus.

EST indubitati iuris per professionem expressam in regula & ordine approbatis vacare beneficia: Si enim sæcularia possidebat be-

neficia, amissa qualitate seu potiùs mutata, amittitur beneficium: per sollemne votum fit nouus homo. Diximus ad regulam De infirmis num. 351. aliquando de morte ciuili ad naturalem, & è conuerso, extensionem fieri; quod in regulis De viginti diebus, & De public. obseruandum. Non autem de facili extensio de morte naturali ad ciuilem fit in statutis, in quibus à verborum proprietate non recedendum: secus in constitutionibus, quæ non tam consensum, quàm rationem habent pro fundamento. Sed in ipsa morte ciuili, puta in professione & voto sollemni. Si sæcularis ante professionem Prioratum in commendam obtinebat, an per professionem expressam in monasterio à quo dependet beneficium, amittatur beneficium? & non vacare beneficium nonnulli existimarunt. Cùm commenda sæcularis sit titulus temporalis, de facili ad ius commune redeat, ad veram & primam beneficij regularis naturam, & tituli dispensatio ex legitima causa mutetur & transferatur in primam & veram naturam; vt quod erat in commendam ipso iure sine vllo Collatoris ministerio redeat in titulum. Quid enim aliud est commendare, quàm deponere? nónne depositum rediens ad dominum amittit nomen depositi. l. Commendare. de verb. significat. Hoc enim speciali casu regularis professio, non tam votum emittentem regulari priuat beneficio, quàm idoneum, & capacem reddit ad retinenda regularia beneficia: priuat qui-

dem hæc professio temporalibus bonis, priuat sæcularibus beneficiis, sed non ea liberalitate, & munificentia, & donatione quæ religiosis fratribus debetur à Canone ; non his regularibus beneficiis, quæ solis Religiosis monasterij debentur. cap. Cùm singula. §. Prohibens. de Præbend. in 6. aliàs monastica professio, ad quam ij commendatarij obligari debent, damnosa esset, quod iniquum. Multis tamen rationibus contraria opinio præualuit in Senatu Parisiensi, hæc enim sæcularis qualitatis in regularem mutatio, quæ nouum vel potiùs nudum hominem procreat, & inducit, delet, & extinguit commendam sæcularem, quæ in Religioso expresse professo ne momento quidem subsistere potest: alia enim est commenda sæcularis, quæ tantùm sæcularibus Clericis; alia regularis, quæ tantùm regularibus conferri potest à Sum. Pontifice. Hæ commendæ inter titulos Ecclesiasticos computantur, nec reuocari possunt, & ad vitam conceduntur; nec moribus nostris obseruantur temporales commendæ, quæ veluti procurationes reuocari poterant, & erant veluti annales, in Canone, Qui plures. 21. quæst. 2. cap. Nemo. de elect. in 6. Imò qui biennio virtute commendæ possedit, triennali vtitur priuilegio, ex regula de Pacif. est enim commenda, coloratus titulus. Hæc autem mutatio tituli de commenda in titulum fieri non potest sine auctoritate Superioris : nec fit hæc mutatio tituli ipso iure. Imò enim in iis prouisionibus veluti

essentialia requiruntur, persona conferentis, & eius cui confertur; vtriusque consensus desideratur, cap. Si tibi absenti. de Præbend. in 6. Nouus titulus sine Superiore non datur, nulla canonica institutio nisi ab habente potestatem conferendi. Nec in beneficialibus receptum quem sibi dare posse titulum, sicut nec in temporalibus concessum sibi ipsi donare. Vtroque enim in casu sunt veluti contractus, qui ex duorum legitimo pendent arbitrio: Ideo nulla collatio absenti facta donec acceptata fuerat, d. cap. Si tibi absenti. de Præbend. in 6. & decisum in cap. Beneficium. de Regularibus. in 6. per professionem regularem obtenta vacare beneficia, cùm ex diametro qualitates sæcularium & regularium beneficiorum inter se repugnant. & in causa fauorabiliori existimauit Rebuf. in Prax. benefic. titul. de Comm. num. 50. commendam regularem in titulum spreto Superiore commutari non posse, licèt regularis commenda propiùs ad naturam tituli, quàm sæcularis accedat. Mutationes titulorum in iis spiritualibus causis, & collationes correlatiuæ sunt: iisque rationibus iudicauit Senatus resignationem commendæ sæcularis in manibus ordinarij Collatoris à Religioso factam post professionem, nullam, & resignans cum ipsa professione dicta commenda priuatus fuit, 2. Martij 1602. domino Bocherio pro more in quinta classe Inquis. referente, in causa Prioratus Curati de Moulins, ab Abbatia Mauleo-

nis in diocesi Malleacensi dependentis. & hæc à Molinæo confirmantur num.84. in hæc verba: Quòd facta monachali professione aliud non expectatur, quia statim consummata est dimissio omnis iuris, & possessionis, & detentionis. & num. 81. versic. Talis enim libertatem perdit, & maximam incurrit capitis diminutionem, mundo mortuus, & pro mortuo tam in persona, quàm in omnibus bonis.

NVM. LXXXVIII.

Si constet de dolo vel fraude secundi resignatarij, vel collatarij, non enim potest fundator vti hac regula.

QVI enim dolosè versantur in beneficiorum conseruatione, seu potiùs perpetuatione, in necem Collatorum ordinariorum, huius regulæ priuantur beneficio, in hanc legem committunt, & legis pœnas incurrunt, debéntque vacare beneficia per obitum, non per resignationem; & ex iis interpretari potest ambigua Molinæi opinio sup. num. 21. in hæc verba: Quandocunque viuo tamen resignante.



NVM. LXXXIX.

Amplio ſeptimò, etiamſi penſiones de ſuo vel aliunde continuabat.

VT quis incidat in pœnam legis De public. ſufficit reſignantem poſt ſex menſes decedentem in poſſeſſione remanſiſſe : non mutat penſionem ſingulis annis reſignatario continuaſſe, reditus perceptos breui manu reſignatario dediſſe : vera enim & eſſentialis cauſa huius regulæ eſt, reſignantem beneficij poſſeſſione reali priuatum, & reſignatarium poſſidere : non verbo, ſed re vera & cum effectu, & poſſeſſionem notoriam & publicam, vt poſſint Collatores ordinarij beneficiorum dominos agnoſcere : Ideo à publicatione non à poſſeſſione regula denominationem accepit. & hæc ita vera, vt ſi reſignatarius ſpeciale ad accipiendam poſſeſſionem & ad eam publicandam mandatum dederit, ſitque in bona fide, nihilominus in legis pœnam incidere: Non enim hæc regula mandatum tantùm deſiderat, ſed realem poſſeſſionem, & publicationem; aliàs facillimum reſignatario talia mandata conſtituere ad eludendum regulæ De public. effectum.



NVM. LXXXIX.

Ad poſſeſſionem capiendam & ſollemniter publicandam dederit ſpeciale mandatum.

APPOSITE' Molinæus ad accipiendam beneficij poſſeſſionem ſpeciale mandatum requirit, quod antea prædixerat Gloſ. Prag. Sanct. in §. Statuit. in verbo Procurationem, de Collat. & rationem reddit Probus ad dictam Gloſ. num. 3. per adeptionem poſſeſſionis, per beneficij acceptationem, magnum fieri præiudicium poſſe, adepta vacare beneficia ob incompatibilitatem, tum per acceptationem conſumi collationis actum, & ligamen fieri inter Eccleſiam & titularem, & ex conſequentia obligari ad agenda ea quæ beneficio incumbunt. Et hæc eſt communis Doctorum opinio, vt videre licet in 21. aliàs 290. Rotæ deciſion. tit. de Procurat. in nouis. Et quemadmodum ad contrahendum matrimonium ſpeciale deſideratur mandatum, nonobſtante quacunque generali clauſula, cap. Qui ad agendum. de Procurat. ita ad accipiendam poſſeſſionem beneficij, per quam ſpirituale matrimonium contrahitur inter beneficiatum & Eccleſiam, & æquiparatur Eccleſia vxori, & beneficiatus marito, Canon. Cœnomanenſem, 56. diſt. Gloſ. Prag. Sanct. in §. Nam Eccleſiarum. in verbo Depereunt. in proœmio. Rebuf. tamen

tamen in praxi benef. titul. De procurat. ad resignandum. constitut. num. 11. 12. & 13. distinguit inter mandata ad eiuranda beneficia, & ad acceptanda, vt speciali nota indigeant: quæ ad resignanda constituuntur, cùm sint odiosa, nullóque fauore digna, nec extendenda: quæ autem ad acceptanda, quia fauorabilia & amplianda, & acceptantis commodum spectant, sub generali clausula contineri, ex doctrina Panormitani, communíque Doctorum sententia in cap. Accedens. de Præscript. cùm ex naturali hominum affectione sit receptum ab omnibus beneficiorum acceptationes approbari, à nullo reprobari. & huic opinioni subscripsit Bertrand. Consil. 226. Quæsitum est. num. 2. lib. 3. nec ab ea sententia discedere possum. Aut enim beneficiatus ratam habet hanc acceptationem factam virtute clausulæ generalis, possidet, fructúsque percipit; & hæc ratihabitio specialem continet voluntatem, speciale mandatum exprimit. aut ratam non habet, & quidquid egit procurator virtute clausulæ generalis nullius est momenti, nec in vllo obligat. Sed procedit Molinæi, & Glos. Pragm. Sanct. opinio, cùm procurator generalis sine speciali mandato acceptauit, nulla alia beneficiati ratihabitione subsecuta; nam beneficiati morte aut alio casu adueniente, non vacare sic acceptatum beneficium prudentiores existimarunt.



NVM. XC.

Secus in beneficiis Ecclesiasticis, vbi totum ius capitur à Superiore.

IDEO resignantis possessio nil prodest resignatario ad acquirendam triennalem possessionem, vt suprà diximus num. 33. Quilibet enim ex proprio capite procedit, nil ab auctore recipit, tempora non coniunguntur; & ita sentit Gomes. ad regul. de triennali possess. quæst. 13. Possessionem auctoris non iuuare successorem ad acquirendam triennalem possessionem, tenent nostri ex Glos. Pragmat. Sanction. tit. De Pacific. possess. in verbo Possedit, versic. Item in beneficialibus nulla datur successio. & Probus ibidem num. 2. ex Gomesij in loco præallegato, & Rebuffi tractatu de Pacif. possess. nu. 266. sententia id moribus nostris procedere asserit. Fallit cùm de iuribus beneficij conseruandis, aut beneficij mutanda qualitate quæritur, tunc enim non auctoritas, sed prædecessorum possessiones cumulantur, quæ non tam merè personalia iura beneficiati spectant, quàm realia commoda beneficij conseruant.



NVM. XCI.

Quæ ſunt extra bona, patrimonium, & commercium bonorum, hæc ſunt iuris publici.

VERE' hæc omnia dicta ſunt ſi antiqua Patrum decreta conſideres, ſed priuatæ vtilitates, communis hominum vſus, vel potiùs abuſus, ſanctas Eccleſiæ conſtitutiones neglexit, & veluti ad inſtar patrimonij Eccleſiaſtica iura conſiderauit; creditores beneficiati fructus percipiunt, beneficiati reditus beneficiorum tanquam ex re merè prophana ſuos faciunt, hæredes in iis fructibus ſuccedunt. Boni tamen Senatores quid ex prima illa & pura beneficiorum inſtitutione retinuerunt, & quandam (puta tertiam) reditus partem ita diuino cultui dicatam & veluti conſecratam iudicarunt, vt nec in eam creditores regias manus iniicere poſſent. Si enim Eccleſiaſticis viris denegantur alimenta, ceſſabit diuini cultus exercitium, à ſacra functione beneficiorum reditus ſeparabuntur, fructus à titulo, quod iura non patiuntur. Ita iudicauit Senatus pro obærato antiſtite Laudunenſi Pari Franciæ, qui patrimonialia bona, & ſui Epiſcopatus reditus decoxerat, eíque tertia pars reditus Epiſcopatus à creditorum ſuorum petitione, aliiſque oneribus immunis adiudicata fuit. Quod Sena-

tusconsultum extendendum existimo ad omnia beneficia curam animarum, vel Sacramentorum administrationem habentia, & ad primas post Pontificales Ecclesiarum dignitates, ad Archidiaconatus, quorum exercitium publicam Ecclesiæ vtilitatem in Parochialium Ecclesiarum visitatione consistit. Sed quid in aliis beneficiis curam animarum, aut Sacramentorum administrationem non habentibus, in Abbatibus, in Præbendis, Prioratibus, aliisque simplicibus beneficiis, & publicæ interest vt qui altari deseruiunt, qui sacra tractant, vt pauperes vel mendicantes panem non quærant, cùm ad turpia cogat egestas, paupertas etiam prudentiores miseros reddat: sed verior Prophetæ sententia: Vende oleum tuum, & da creditori tuo; creditorésque alimentis debitoris præferendos sanctissimè iudicauit.

NVM. XCI.

Et hæc regula sancita est fauore publico, cui priuatorum vtilitates cedere debent.

QVI igitur priuatis commodis studentes existimant ab huius regulæ seueritate recedendum, decipiunt & decipiuntur: nec quis durum existimet publicationem post sex menses, die tamen obitus resignantis factam, nullam, etiamsi resignatarius sit nepos resignantis; nunquam enim

à verbis legis publicam vtilitatem spectantis recedendum ob priuatam vtilitatem.

NVM. XCIV.

Cùm enim resignans de facto resignasset.

QVOTIESCVMQVE enim agitur de priuatione beneficij, siue propter incompatibilitatem seu pluralitatem beneficiorum, aut ademptionem, liquidò constare debet, & ita liquidò vt si non tantùm iusta sed apparenti ratione quis sit in bona fide, locus non sit priuationi. quod auctoritate hîc probat Molinæus.

EOD. NVM. XCIV.

Et sic proprietatem & possessionem amisisset, & posset singulis momentis expelli à resignatario.

SI modò resignatio purè facta sit, siue in manibus Ordinarij aut Summi Pontificis; tunc enim renuntianti suo beneficio nullus datur regressus. Non idem in resignatione in fauorem propter clausulam (& non aliàs), tunc enim ius & possessio sic eiurati beneficij, ante acceptationem remanet penes eiurantem, vt infr. num. 249. pro-

bat Molinæus, & Rebuf. in praxi Benef. titul. de resignat. condit. num. 17. Christophorus de Rufiniac. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 14. circa medium. Quod iudicauit Senatus Parisiensis in causa Canonici Bocherelli in Ecclesia Bituricensi. & hæc ita vera, vt qui purè & simpliciter resignauit nec coloratum habeat titulum, qui in fauorem, coloratum habeat, donec resignatarius acceptauerit.

EOD. NVM. XCIV.

Non censebatur habere beneficium incompatibile saltem respectu d. cap. De multa.

DICTVM fuit sup. ad regulam De infirmis num. 4. mandatum ad resignandum beneficium impedire subreptionem; Sed an impediat dispositionem, seu pœnam? Cap. De multa. de Præbend. & non impedire ex eo patet quòd non obstante mandato ad resignandum, remanet beneficiorum pluralitas, & incompatibilitas. aliud enim mandatum ad resignandum, aliud resignatio: & tale mandatum est præparatio ad resignandum, non resignatio. Imò cap. De multa. desiderat realem beneficij incompatibilis demissionem, quæ solo mandato ad resignandum non fit, vt probat Molinæus ad regulam De infirm. num. 2. aliàs facillimum esset dispositionem dicti

cap. eludere, & horum mandatorum prætextu beneficiorum incompatibilitas approbaretur.

NVM. XCV.

Quia alias quoque dignitates possidebat.

MODO ò curam animarum habeant, aut Sacramentorum administrationem, Clem. 1. de Præb. & dignit. Extrauag. Execrabilis Ioann. XXII. de Præbend. & dignitat. antiquo iure ex Lateranensi Concilio, dignitatum, etiam curam animarum nòn habentium, pluralitas vetita erat. ex cap. Quia in tantum. de Præbend. & ante constitutionem cap. De multa. iuris erat ambigui. Cùm quarumlibet dignitatum pluralitas, an verò earum quibus cura animarum incumbebat, esset prohibita: sed dissoluitur nodus tam per dictum cap. De multa, quàm per iura prællegata: & hæc prohibitio limitatur ad dignitates curam animarum habentes. Ideo quis duas dignitates in diuersis Ecclesiis obtinere poterit, & pœnam cap. De multa, euitare. De hac pluralitate dignitatum consule Philipp. Probum ad Glos. Pragm. Sanct. in verbo, Pluralitatis. in §. Cui rei. num. 3. de Collat. vide cap. Super eo. de Præbend. in 6. Diuersitatem constitutionum & temporum narrat Christoph. de Rusiniac in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 5. & re in vtram-

que partem pleniſſimè diſcuſſâ noſtræ tandem ſubſcribit opinioni, non ex Lateranenſi Concilio reſiſtit in cap. Quia nonnulli. de Clericis non reſidentibus: ſed per nouam conſtitutionem cap. De multa, ab Innocentio Sum. Pontif. promulgatam, quæ limitat ius antiquum ad beneficia curam animarum habentia, quæ pleniùs explicantur in d. Clementina prima, & in d. Extrauag.

NVM. XCV.

Et ſic quamdiu impetrans non extrudit dictum reſignantem de poſſeſſione & detentione Prioratus, poteſt reſignatarius publicare.

Modò intra triennium id fiat, vt diximus ſup. ſium. 21.

NVM. XCVIII.

Et in fraudem accuſationis & futuræ priuationis reſignauit.

Validissimæ rationes Molinæi, & quæ in prophanis procederent ex communi Doctorum ſententia, in l. Poſt contractum capitale crimen. ff. de Donation. niſi vſus forenſis contrarius

trarius esset. & narrat Philip. Prob. ad Glos. Prag. Sanct. in §. Item insuper, in verbo, Disponere. num. 12. de Collat. sollemni Parisiensi Senatusconsulto decisum, pendente appellatione reum condemnatum posse resignare. & ita sentit Prag. Sanct. ibidem versiculo, Poterant ergo. cap. Per tuas. de Simon. in fine. & alio magni Consilij decreto, vt refert Rebuf. in sua praxi beneficiorum, titul. De modis amitten. sua benefic. num. 52. etiam post sententiam priuationem continentem; modò, inquit, in supplicatorio eiurationis libello Summo Pontifici aut Collatori exponatur reum resignantem condemnatum aut inter reos, quæ limitatio ad subreptionem vitandam summa æquitate nititur, & à prudentioribus obseruatur. Sed distinguit hac in quæst. Christoph. de Rufiniac. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 20. in criminibus in quibus lege ipsa nominatim inducta est beneficij priuatio. Quænam est enim illa beneficij resignatio, quo quis est ipso iure priuatus? quis resignare potest quod non habet? & in iis criminibus procedere posset Molinæi sententia. Reiicienda autem Boërij opinio existimantis in decis. 206. num. 3. resignationem ante condemnationem fieri posse, non verò post condemnationem, licèt textus in cap. Dudum. 2. in fine. de elect. hanc distinctionem probare videatur. In resignatione ante condemnationem facta admissa à Summo Pontifice. verior enim alia iuris regula, appellationem omnia suspendere, & ipsam sen-

tentiam. Sit igitur valida reſignatio pendente appellatione à condemnato facta, ſi ex alio crimine quàm læſæ maieſtatis, ſimoniæ, hæreſeos, vel aſſaſinatus procedat accuſatio. Vide ſup. ad regul. De infir. num. 336.

NVM. C.

Extra caſum ſuum, qui eſt de morte naturali, de qua tantùm loquitur.

CVM enim lex, ſtatutum, aut contractus mortis mentionem faciant, non de ciuili, ſed tantùm de naturali hoc intelligendum; quod videre licet in doario mulieribus in patria conſuetudinaria à ſtatuto debito morte maritorum; non enim de morte ciuili intelligitur, ſed tantùm de naturali, vt iudicauit Senatus Pariſienſis 27. Aprilis 1596. in publicis cauſarum criminalium actionibus, Riantio præſide, & Seguierio pro publico Regiſque intereſſe orante. & hoc probat Gloſ. in cap. Suſceptum. de Reſcript. in 6. & Alexandri Conſil. 139. num. 4. lib. 12. Vide infr. num. 103. & 104.



NVM. CI.

Nisi quatenus apparet obitum ciuilem eundem omnino habere circa hoc effectum.

MOLINÆVS in paritate rationis hanc constitutionem vt fauorabilem, facilè ad ciuilem mortem extendit: cùm enim legum fundamentum sit ratio, vbi eadem limitat ratio, ibi idem ius est cònstituendum. Nos verò qui à verborum propria significatione discedere nec possumus nec debemus, vix ad priuandum resignatarium suo beneficio casum mortis naturalis extenderemus ad mortem ciuilem: cùm enim de priuatione iuris agitur, prohibita est extensio de casu ad casum, vt de persona ad personam, & hæc est Gomes. opinio ad hanc regul. quæst. 19. & ita in Rota multoties iudicatum asserit.

NVM. CIV.

Quòd hæc regula habet locum etiam in morte ciuili professionis monachalis.

EX iis quæ sup. notauimus vix ad casum professionis monachalis extendi potest hæc regula, cuius verba de morte naturali intelligun-

tur, vt patet per verba (decesserint) (per obitum). Rebuf. in praxi benefic. ad regul. De public. Glos. 14. in verbo Decesserint. nec ij casus mortis ciuilis tam in lege nostra per verba (decesserint) (per obitum) comprehenderentur, quàm extenderentur. hæc enim verba (per obitum) separationem animæ à corpore denotant, l. qui decesserit. ff. qui satisd. cog. Et in iure Canonico vacatio per naturalem obitum ab aliis vacationum generibus distinguitur, in cap. Susceptum. De rescript. in 6. Facillimum fuit legislatori ciuilem obitum exprimere, nobis verò difficillimum supplere; aliàs nouæ legis conditores, non expositores essemus: licèt enim eadem militet ratio, non tamen de eadem legislatoris voluntate constat: nec vnquam Molinæi opinioni assentire potui ob diuersitatem rationis. Quis enim dixerit resignantem eo casu dolosè versatum, quid malignè contra Ordinariorum iura commisisse, per mortis ciuilis, aut sollemnis professionis euentum, & omnibus fortunis sponte spoliatum, vt ordinario Collatori noceret, suo autem resignatario prodesset. Vide Molinæum infr. num. 110. & 111. nostris rationibus annuentem.



NVM. CVI.

Veritatem ex nunc & absolutè: fictionem verò ex tunc: sed respectu & ad effectum veritatis.

HANC veritatem cum fictione ita coniungas, vt mandata ad resignandum, resignationes, & omnia inde secuta ita nulla sint, vt nullum sortiri possint effectum, ius nullum tribuant vel acquirant, & Collatores ordinarij vacantia per obitum beneficia liberè ita conferre valeant, ac si in rebus humanis resignatio nunquam fuisset, si mandatum ad resignandum confectum non fuisset: verè enim, non per fictionem, vacat beneficium per obitum, & ita Molinæi verba intelligas: Non per veterem resignationem, sed per recentem obitum verè vacat beneficium de præsenti: ideo mandatarij, nominati, & graduati talia beneficia vt per obitum verè vacantia requirere poterunt; non idem si vacarent beneficia per mortem ciuilem, per professionis votum, per matrimonij contractum, in iis enim mandatariorum & graduatorum cessat petitio, vt alibi dicemus.



NVM. CVIII.

Et ſic hæc regula nullomodo facta eſt in fauorem præmaturè impetrantis.

CONSIDERANDA verba regulæ : quæ enim annullantur tam in rei veritate quàm per fictionem,id fit propter obitum reſignantis.& hæc vera cauſa nullitatis. Ideo viuo reſignante ceſſat nullitas,cùm ſolus obitus inducat nullitatem. Si quis igitùr ante obitum beneficium impetrauerit, licèt morte poſtea ſeu illico ſubſecuta,nulla eſt impetratio , cùm eo temporis momento nondum vacabat beneficium,ſcilicet tempore impetrationis.

NVM. CXX.

Quòd ſuperſtes vti poſſit ea bona fortuna , falſum & erroneum eſſe in materia permutationis, quæ fit ſub expreſſa conditione ad onus alterum dimittendi.

PERMVTATIO dicitur vnius rei pro altera vicaria præſtatio ,ex l. 1. De rerum permutat. ff. & vt ex venditionis natura , merx & pre-

tium penes emptorem aut venditorem solum esse non possunt, nec eorum vnus re & pretio carere potest; ita res compermutatæ penes vnum ex compermutantibus residere ex ea permutationis causa non possunt; aliàs non esset permutatio, quæ in duobus non in vno consistit: & ex permutationis natura ita rerum compermutatarum necessaria est dominij translatio, vt si vnus ex compermutantibus rem alienam nec suam permutauerit, irrita fiat permutatio: & hæc communis Doctorum opinio in cap. 1. De rerum permutat. in 6. in verbo, Súntque. Bartol. in l. final c. De acceptilat. Canonistæ in cap. Ex vniuersorum. De rerum permutatione. l. ex placito de rerum permut. c. Quod probat. Christoph. de Rufiniac. in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 34. in fine. veráque hæc est regula in permutatione, vt qui nil dedit nil etiam possit ex permutatione accipere, Glos. Prag. Sanct. in §. Velut tamen. in verbo, Permutationis de annat. Antequam, inquit, habeas meam præbendam & ego tuam, non est repleta permutatio. Notandum obiter limitanda Molinæi verba, superstitem bona fortuna vti non posse, & speciem esse furti beneficia compermutata retinere, quod verum cùm quis de hac beneficij permutati retentione iam legitimè non est conquestus; secus si nullus conqueri possit. Quid enim superstiti compermutantium imputari potest, qui paratus permutationem adimplere, qui nec in mora, in dolo, nec in culpa fuit

beneficium, quo Canonicè ante permutationem erat institutus retinet, qui beneficium aliud quàm ex causa permutationis legitimè possidet, qui à nullo permutationis actione conueniri potest, qui causam possessionis non mutauit, qui remanet dominus beneficij virtute primæ prouisionis: Ita concilianda Rebuf. opinio in praxi benef. titul. de permutat. num. 28. & 29. quæ summa ratione & æquitate nititur, cùm non sit in humanis qui superstitis bonam fortunam cum legitimo interesse cauillare & inuidere potuerit. ita iudicauit Senatus Parisiensis pro Prioratu de Maisons, referente Domino Gillot, Regnaud & le Clerc collitigantibus. Vide infr. num. 188.

NVM. CXXIX. in fine.

Sic in simili dimittens beneficium spe alterum assequendi, si fallitur, non potest redire ad primum: sed vtrumque perdit, si potest culpa imputari.

AMPLECTENDA prima facie Molinæi opinio, quæ auctoritate & ratione nititur: Receptum enim in iure Canonico, resignationes beneficiorum sub conditione fieri posse, quâ deficiente eiurata beneficia resignantes repetere possunt, etiam sine noua collatione, vt decreto Senatus

Senatus Parisiensis iudicatum in resignatione in fauorem pro Præbenda Bituricensis Ecclesiæ in fauorem Magistri Bouchetel. In permutatione communiter tenent Boërius decis. 97. & Burdegalensis Senatus decreto iudicatum refert, De Selua tract. de benef. 3. parte quæst. 32. Christoph. de Rufiniac. in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 39. & Molinæus noster infr. num. 186. & 187. Quid vetat resignationum causas inquirere? nec præsumitur quem de facili pingui suo renuntiasse beneficio quo sustentari solebat. In alia resignatione etiam conditio admittitur, cap. Si Beneficia. de Præbend. in 6. Cùm igitur conditio non subsecuta sit, poterit sub conditione eiuratum beneficium quis repetere: hæc conditio causam dedit resignationi, non aliàs resignaturus: aliàs nulla differentia inter puram resignationem, & eam quæ fit sub conditione approbata. Idem in alia resignatione, quæ fit ab infirmo sub tacita obitus conditione, vt decreto Parisiensi iudicatum pro Parochiali Ecclesia Sanctorum Innocentium; quod antea decisum fuerat in Canon. Gonsaldus. 17. quæst. 2. Nihilominus in resignationibus quæ non in fauorem fiunt, in iis quæ sunt extra causam permutationis, contrarium obseruatur. Regressus enim damnati sunt, conuentiones & conditiones regressus continentes nullæ & abusiuæ, nisi specialiter à lege approbentur, aut à Summo Pontifice, puta in permutatione aut resignatione in fauorem non acce-

ptata à resignatario, aliæ conditiones vt illicitæ reprobantur, cap. finali De part. toto titulo De reseruat. tam gener. quàm particul. subl. in Concord. & si à Summo Pontifice sint approbatæ, vt in homologatione Concordatorum videre licet, & regressum contineant, vt abusiuæ reiiciuntur, & à Concordatorum executione tanquam ab abusu solet appellari. Exemplis facilior erit quæstio. Monachus expressè professus habens Prioratum, aut claustrale officium, aliud per resignationem aut per obitum obtinuit à Summo Pontifice, sub ea clausula ordinaria: Antequam secundi beneficij possessionem accipere possit, primum dimittere teneatur. Primum resignauit vt irritanti decreto satisfaceret: postea secundo euictus non poterit primum repetere, nec resignatarium ad id compellere, & quocunque casu noua prouisione & possessione opus est, ac si nullam de eo beneficio prouisionem obtinuisset: & tamen sub tacita, imò expressa conditione dimiserat beneficium. In sæculari, Petrus Canonicus Ecclesiæ Parisiensis aliam Præbendam Romæ obtinuit cum decreto cuius virtute primum resignauit: postea obtento euictus beneficio à quodam regalista, aut alio fortuito casu, non sua culpa, aut negligentia, vt sæpè in iis spiritualibus controuersiis solet euenire, primum non poterit repetere beneficium: In iis enim casibus renuntianti iuri suo non datur regressus. cap. Quàm periculosum. 7. quæst. 1. & si hi regressus admitterentur, frau-

dibus via aperiretur, & iure suo priuarentur ordinarij Collatores. Limita quæ diximus, in speciali casu. cap. Si beneficia. De Præbend. in 6. omni extentione reiecta, vt infrà dicemus num. 196.

NVM. CXXX.

Quòd in beneficiis permutatis euictioni locus est.

QVATVOR casus hîc à Molinæo enumerantur. In duobus resoluitur permutatio euictione secuta ex defectu iuris vnius ex compermutantibus, vt sup. abundè probauimus num. 120. aut ex dolo, vel culpa. In aliis stat permutatio, scilicet cùm procedit euictio facto eius qui euincitur, vel sua culpa cùm à lege fit euictio: cùm ex causa de nouo superueniente datur euictio; hi enim vltimi casus sunt extra causam permutationis, nec contractum perfectum irritant, ob causam à permutatione prorsus alienam.

NVM. CXXXIII.

Qua fronte, quo colore dici queat Simonem vtroque priuatum.

FALLIT in Regalia, in qua euenire poterit, etiam in permutatione, quem & suo & com-

permutato priuari beneficio, & compermutantes compermutatis priuari beneficiis; cùm possessione reali repleta non sint compermutata beneficia, ex Magist. in tract. Regal. c. 2. n. 6. & narrat arrestum pro Præbenda Ecclesiæ Rem. datum. Hæc enim Regaliorum iura postulant, vt aperta Regalia statim omnia beneficia simplicia possessione destituta vacare dicantur, nullo vacationis genere exempto, nec ex eo resoluenda permutatio, cùm hæc euictio pendeat ex iure extraordinario Regaliorum, & imputandum ei qui per procuratorem tantùm possessionem est adeptus, cùm in propria persona posset, qui Regaliorum leges præuidere debuit. arg. l. damni infecti §. 1. De damno infecto, & l. tutius de euict. ff. hæc decidere videntur, cùm ex absoluto Regaliorum iure, seu potiùs regia potestate hæc euictio procedat.

NVM. CXXXV.

Quia permutatio non potest resolui ex vna parte, quin vtrinque pariter resoluatur.

CVM permutationum clausulæ ab vnico permutationis contractu suam habeant perfectionem, vna alteri causam dederit, plures catenæ simul sint coniunctæ & vnitæ, totum permutationis negotium vnico pacto sit consummatum: nulla ratio patitur vt ex parte resoluatur permutatio, ex alia parte valeat. Si enim in aliquo sit

euictio, corruit permutatio, cùm dominium verè translatum non sit, & res aliena data sit in caussam permutationis. Fallit in conuentionibus in contractu permutationis appositis, quæ sunt extra naturam permutationis, quod ob priuatam compermutantium vtilitatem sæpe euenire solet: Idem in illicitis pactis à Summo Pontifice non approbatis; illicitum enim non immutat naturam liciti, nec vtile per inutile vitiatur.

NVM. CXXXVI.

Tamen non est permutatio, cùm non sit Superiori expressum.

PERMVTATIONES beneficiorum non tam ex partium conuentione dependent, quàm ex ordinariorum Collatorum auctoritate & potestate. Vtrumque necessarium, vt ex permutatione detur actio, vnum sine alio prorsus inutile. Si ex concordato initiata permutatio beneficiorum. Horum autem resignationes ab Ordinario purè non in causam permutationis sunt admissæ, nulla permutationis actio datur: & è contrario si in causam permutationis factæ collationes contra resignantium voluntatem, non est permutatio, quæ primùm ex voluntate & consensu sumit exordium, l. Contractus. ff. De act. & obligat. Igitur tractatus compermutantium est materia præparata ad futuram permutationem: accedente autem Superioris potestate perficitur permuta-

tio; & hæc præparata materia ad permutationis perfectionem eo modo reducitur. hæc docent verba Molinæi infrà num. 136. versicul. Quod ad Superiorẽ attinet, à quo totum pendet negotium.

NVM. CXL.

In quo ſuperſtes reſumit ius & titulum ſine noua collatione.

NOVA hæc iuriſprudentia, vt ſine noua collatione reſoluta permutatione compermutantes ad eiurata redeant beneficia. Communiter tamen obſeruatur, vt refert Boërius deciſ. 97. de Selua tract. de benef. 3. parte quæſt. 32. de Rufiniac. in Comment. Pontific. lib. 3. titul. 39. Vide infr. Molinæi opinionem num. 186. & 187. contra Rebufi ſententiam in Praxi beneficiorum, titulo De permutat. num. 10. Hoc autem moribus noſtris introductum ad vitandum circuitum, & cùm reſoluta permutatione neceſſarium ſit compermutata repetere beneficia, cùm permutationis arx & fundamentum ſit, vt compermutatum quis habeat beneficium; aliàs nulla permutatio, nec viribus ſubſiſtere poſſit: optimo iure introductum fuit, vt qui ſub conditione iure approbata permutauit beneficium, permutatione nec conditione ſubſecutis, permutatum repetat ſine noua collatione, ſine nouis ſumptibus beneficium. & ſi nouum admitteres titulum, an-

tiquæ possessionis commoda amitterentur; quod durum in his spiritualibus controuersiis, in quibus noui domini annatis aliísque tributis onerantur, eorúmque conditio semper deterior. Vide infr. num. 187. & rationes nouæ nostræ iurisprudentiæ contra iuris antiqui axiomata nonnulli ex doctoribus Rotæ præuiderant, existimantes nouum titulum non esse necessarium, in quarta decis. aliàs 352. De renuntiat. in nouis. versicul. Quod autem ad quartum notabile.

NVM. CXLII.

Resignatio Petri non erat ab initio morbida, nec fuit resoluta ex causa antiqua, sed ex noua.

VERA igitur resoluendæ & dissoluendæ permutationis regula hæc erit, quando ex causa antiqua & permutationem præcedente fit euictio permutati beneficij, quando ex defectu iuris resignantis eo casu (tanquam vera & essentiali causa non secuta) compermutatum repetitur beneficium sine noua collatione, ipsóque iure ius veluti amissum, & cui renunciatum erat ex causa permutationis, redit. Prudentiores tamen à iudice laïco sententiam obtinent, qua qui euictus est beneficio primum repetit compermutatum beneficium sine nouo titulo nouáque possessione, ac si resignatum non fuisset beneficium.

& hæc praxis moribus noſtris laudata probata & recepta fuit, & admodum vtilis ad euitandas iuris Regaliorum aucupationes & argutias. Hæc omnia ceſſant quando euictio fit ex noua cauſa permutationem ſubſequente, non tam ex defectu iuris reſignantis, quàm ex caſu contingente, & permutationem ſubſequente: vel ex culpa compermutantium, vel ex eorum negligentia. Vide quæ ſuprà notauimus num. 130.

NVM. CXLIV.

Sed fingi non debet in præiudicium tertij, nec retrotrahitur in præiudicium tertij, nec etiam retrotrahitur quoad actus perfectos & conſummatos.

VERVM quidem quando tertio ius plenè quæſitum fuit, nunquam enim fictio ius quæſitum tertio tollit, cùm nec ipſa veritas iure ſuo quem priuaret, & nunquam quid retrotrahitur in præiudicium iuris tam quæſiti, niſi à lege fictionem admittente hoc diſertè, & ſpecificè ſtatuatur. & hoc perpetuò verum, ne quis ſine ſuo facto iure ſuo & legitimè quæſito priuetur & ſpoliari poſſit.



NVM.

NVM. CXLIX.

Etiam ab Ordinario : cui ob iustam ignorantiam tempus non cucurrit.

DANTVR sex menses patronis Ecclesiasticis, vel collatoribus ad præsentandum, vel conferendum, à die vacationis beneficij computandi. Patronus autem laïcus quatuor ex Lateranensi Concilio, nec ante ea tempora fit deuolutio ad Superiorem, & hi menses à die probabilis notitiæ computantur. Cap. Quia diuersitatem. versic. Semestre. De conceß. præbend. Dubitandi ratio pendet ex prima Rotæ decisione aliàs 38. Nota quòd patrono, de Præbend. in antiq. in vtramque partem agitatur quæstio, & incertum lectorem reliquit: sed nodus soluitur in 7. decisione, Vtrum vacante beneficio, de Præbend. in antiquioribus, à die probabilis notitiæ non vacationis tempus computandum, & ita seruatur in Senatu, vide Clement. de conceß. præbend. ibi idem statuitur, & hæc verba explicantur (probabilis notitiæ) in fine. Secus si impedimentum proueniat ex persona patroni, aut collatoris, si suspensus, si excommunicatus, si absens etiam extra regnum: tunc enim vacationis, non scientiæ tempus computatur, ex Glos. Prag. Sanct. in §. Item circa. in verbo Tempus, De collat. & ibi Probus. tale namque impe-

dimentum non conſideratur,cùm ex incapacitate perſonæ procedat, licèt ex quacumque vacatione, & deuolutione Probi verba intelligenda videantur. Probabilis autem notitia eſt, quando in loco beneficij aut domicilij defuncti mors notoria, vt puta ſi cadauer ſepulturæ datum non clam, non nocte, ſed palam & publicè, conuocatis Preſbyteris, amicis, vel parentibus, vt ex more regionis fieri ſolet; & hæc proſunt Ordinariis contra eos qui poſt legitima tempora prouiſiones à Superiore obtinent; poſſunt enim Ordinarij etiam poſt illas dilationes conferre vel præſentare propter iuſtam vel probabilem ignorantiam, ſed non contra Summum Pontificem, vel eos qui ab eo ius habent. vtitur enim Summus Pontifex præuentione contra patronum Eccleſiaſticum per §. Declarantes, de mandat. Apoſt. in Concordat. vt pleniùs alibi diximus. De illa probabili ignorantia conſule Molinæum ſup. ad regul. De infir. & quæ ibi diximus num. 53. & 41. in adit. in a.

EOD. NVM. CXLIX.

Si enim habens titulum nullum, ſed coloratum.

ADDENDA dictio negatiua (non nullum) & ſenſus textus & ratio id denotant. Nullus enim titulus nil confert ad acquirendum priuilegium de pacificis poſſeſſoribus, vt ſup. notauimus: quod

enim nullum est, nullum producit effectum, nullum ipso iure dicitur ac si non esset.

NVM. CL.

Sed aut tota cessare debet, aut tota integrum habere effectum.

FALLIT si negligentiâ aut aliâ culpâ possessio legitimo tempore adepta non sit : non enim eo casu resoluitur permutatio, cùm euictio procedat culpâ vnius; damnum autem sentire non videtur, quod quis suâ culpâ sentit. Negligentia illa merè personalis est, quæ nocet tantùm negligenti, non tertio, cui nil potest imputari.

NVM. CLIII.

Impediens coniunctionem extremorum.

IVRIS regula hæc erit, intermedia impedire coniunctionem extremorum, puta si quid contigerit, si ius aliquod tertio quæsitum sit, ante extremorum coniunctionem. hæc enim coniunctio non fit in præiudicium iuris aliunde quæsiti, nec etiam quid retrotrahi dicitur in præiudicium tertij, aut iuris quæsiti, nec hæ iuris fictiones tertio ius habenti præiudicant.

NVM. CLIV.

Conditionalis erat, non conditione ſuſpenſiua, quæ non habet locum in iis collationibus beneficiorum.

NOTAVIMVS ſup. num. 129. conditiones in beneficiorum prouiſionibus reprobari, actum legitimum diem neque conditionem recipere, vt conditio ſuſpendat actum, aut reſoluere poſſit. In quibuſdam tamen caſibus à iure expreſſè aut à Summo Pontifice approbatis id locum non habere, vt in permutatione quæ ex ſui natura, conditione non ſubſecuta, reſoluitur. Idem in reſignatione in fauorem à Summo Pontifice admiſſa, à reſignatario non probata. Rectè quidem à iure expreſſè approbatis, aut à Summo Pontifice diximus, nec enim hos caſus extendere, etiam eadem ratione vel æquitate poſtulante licet, aliàs beneficiorum regreſſus admitterentur, fraudibus illico via aperiretur, & cuique liberum foret, etiam clariſſimo Senatori, rationes & æquitates ſibi effingere, conditionem vel expreſſam probare, vel tacitam ſupplere, & paullatim omnia ſubuertere. Ex iis limita Molinæi verba hìc appoſita conditione reſolubili à iure approbata & in vſum recepta, per ſummorum Franciæ tribu-

nalium decreta admissa & approbata : nullum enim alium vsum in regno admittimus.

NVM. CLV.

Hic effectus fit fictione & operatione legis, quæ fortiùs & efficaciùs penetrat.

FICTIO enim à lege introducta actum præsupponit verum, & ex iuris præsumptione veritas inducitur. hæc est veritas iuris, quæ in casu suo eundem cum veritate facti habet effectum. Ipsa iuris veritas sola legis auctoritate subsistit, ab ea probationem & vires accipit: veritas facti instrumentis, testibus probatur, iudicantium arbitrio, & fori subtilitatibus & argutiis, imò litigantium malitiis submittitur; ideo facilius bonis iudicibus quid certi in fictione seu veritate iuris statuere, quàm in alia veritate facti. & hæc est mens Molinæi, hanc iuris fictionem seu veritatem, vt certiorem & pleniorem probationem habentem, fortiùs & efficaciùs penetrare.

NVM. CLVII.

Fuit in culpa non publicando per annum, quæ culpa grauior est.

QVOTIESCVMQVE solemnitas à lege desideratur, cuius omissio actus nullitatem in-

ducit, cauendum & curandum solemnitatem adimplere. qui eam omisit, pœnam solus incurrit. hæc lata culpa personalis est, quæ nullum laudat auctorem. pœna à lege introducta quemlibet admonet : hæc admonitio quotidie interpellat vnumquemque, in mora constituit, & res moroso & desidi, non alteri perit. Ideo hîc Molinæus resignatarium intra semestre prouisionem non publicantem, grauiùs peccare existimat.

EOD. NVM. CLVII.

Prout etiam de iure potest illud tenere, administrare, & possessioni incumbere vsque ad aduentum successoris.

DIXIMVS supr. num. 140. speciale in resignationibus in fauorem resignantem in beneficij resignati possessione remanere, fructúsque suos facere, donec resignatarius ratam habeat resignationem, & beneficij possessionem sit adeptus. Id operatur clausula, in fauorem, &c. aliter aliàs nec alio modo, quæ à Summo Pontifice concessa, & à summis tribunalibus Franciæ tolerata regressum habet, conditione non subsecuta, etiam sine noua collatione, vt sup. diximus num. 142.



EOD. NVM. CLVII.

Etiam in fortioribus terminis, videlicet in reſignatione ſimplici.

VT Molinæi probari poſſit opinio, dic reſignationem puram & ſimplicem in Cancellaria Apoſtolica virtute mandati ad reſignandum admiſſam, quæ de facto reſignantem poſſeſſione non priuat, donec de prouiſione conſtet. Cùm enim multa ipſam reſignationem ſeu prouiſionem irritantia & annullantia euenire potuerint, potuit reſignans bona fide poſſeſſioni incumbere, fructúſque ſuos facere, nec enim per mandatum ad reſignandum ſuo priuatus eſt beneficio, ſed per mandati admiſſionem. & donec de ea conſtet, non tenetur reſignans credere reſignationem admiſſam, ſaltem eſt in probabili ignorantia, quæ retinendi poſſeſſionem iuſtam dat cauſam. Si autem reſignatio ab Ordinario admiſſa ſit, aut ſi reſignans in propria perſona Romæ eiurauerit, ſtatim ſuo priuatus eſt beneficio, & iure & poſſeſſione priuatur. Renuncianti iuri ſuo nullus datur regreſſus, canon. Quàm periculoſum. 7. quæſt. 1. & ab eo die ceſſat coloratus titulus, ab eo die reſignans fructus eiurati beneficij percipere non poterit, nec ſuos facere. Hæc omnia ex mente & ratione l. Meminiſſe. de off. præſid. colligere licet.

NVM. CLVIII.

Quod dependet à multis & variis circumstantiis facti.

VT ex vtraque parte perfecta & vndique adimpleta dicatur permutatio, ex facto potiùs quàm ex iure procedit, si resignationes admissæ, si publicatæ, si possessiones adeptæ, si quid ex eis omissum, cuius culpa euenerit omissio, an negligentia præcessit, an fraudulenta permutatio, causæ fraudis & simulationis; hæc omnia ex variis circumstantiis facti dependent, in quibus quid certi definire & statuere difficillimum; cùm ex iudicantium arbitrio pendeant, quorum sæpissime voluntas pro ratione habenda est.

NVM. CLX.

Ita quòd necesse esset eo possidente petitorium intentare.

REGIÆ auctoritatis est possessores tueri, cùm solus sit in Regno possessionum dominus quoad protectionem: sed cùm interdicta possessoria sint annalia, post annum intentari non possunt. Qui beneficium cum titulo per annum possedit, in possessione non debet inquietari ab eo, qui anni spatio interdicto experiri neglexit, eóque

eóque tempore possessoriæ actioni renunciauit; sed coram iudice Ecclesiastico petitorio agere poterit: in iis enim spiritualibus controuersiis possessorium à petitorio iurisdictione distinguitur, vt Francisci Regis constit. anno Domini 1539. promulgata, art. 49. 57. 58. cauetur: Et Regiæ constitutiones Ludouici XII. Francisci I. Henrici II. Caroli IX. Henrici III. possessorium, non petitorium, beneficiorum afficiunt, vt vnicuique propria seruetur iurisdictio. Sed speciali Francisci I. constitutione art. 49. statuitur in petitorio non audiendos Ecclesiasticos, quin priùs possessoria iudicia tam in principali fructuum restitutione, quàm damnis, sumptibus & interesse plenè executioni mandentur, & condemnati iudicio paruerint. Hæc cùm ita sint non audiendos esse existimo, qui cùm in possessorio victoriam obtinuissent, in petitorio postea condemnati appellationis tanquam ab abusu remedium quærunt, cùm iudicis Ecclesiastici sententia decretum Senatus, aut Magni Consilij iudicium annullet & destruat. Distinctæ enim sunt iurisdictiones, Regia specialibus Regiarum constitutionum legibus, Ecclesiastica Canonum & sanctorum Patrum decretis tuetur; & ridiculum Regiis constitutionibus in petitorio iura reseruari, si iudici Ecclesiastico libera non daretur iudicandi facultas. Non tamen negauerim Ecclesiasticos iudices ad quarumdam Regiarum constitutionum obseruationem obligari, quæ ius publicum concernunt, publicam re-

Hhh

gni, & ſubditorum vtilitatem ſpectant, ad politiam publicam pertinent. Ex his enim quid immutare delictum eſt, harum ratio in vtroque foro limitat, ab eis diſcedere peccare eſt. His adde, Concordatorum ſtatuta eſſe etiam vtriuſque fori, cùm in eis vtræque poteſtates interuenerint: ideo ſi quid contra eas conſtitutiones & ſtatuta ab Eccleſiaſtico iudice molitum fuerit, annullandum erit.

NVM. CLXI.

Et tunc res expedita eſt, fieri non poſſe, nec admiſſibilem eſſe nec in poſſeſſorio, nec in petitorio.

IPSEMET Molinæus ſupr. ad Regul. De infirm. num. 319. Decretum, inquit, de pacificis poſſeſſoribus totum vincit. Rectè quidem totum vincit, cùm poſt illa triennalis pacificæ poſſeſſionis tempora, iura in beneficio aut ad beneficium prorſus amittantur, & imputanda tanti temporis negligentia: Illo namque temporis ſpatio & tituli beneficiorum, & iura quæ titulos ſpectant præſcribuntur: hócque de pacificis poſſeſſoribus decretum, Eccleſiæ vtilitati bonóque publico introductum, ne ſcilicet beneficiorum domini ſint in ſuſpenſo, & longo tempore incerti, ſummo fauore amplectendum eſt; & pro lege in Regno habebatur ante Concordatorum tempora, nec

boni iudices ab eo ne latum quidem vnguem discedere debent.

NVM. CLXII.

ABVNDE probatum fuit sup. num. 158. suorum beneficiorum, non alienorum, permutationem fieri, vt in casum euictionis resoluatur permutatio, quicquid in contrarium sentiat Rebuf. in praxi benef. titul. de permutat. Idem sentit Molinæus inf. num. 183. Iure namque Canonico suorum beneficiorum, non alienorum, permutationes conceduntur, cap. 1. De rerum permutat. in 6. in verbo Sua beneficia. Et Iure Ciuili rei alienæ nullam permutationem contrahi posse probatur l. 1. versicul. Ideóque Pædius ait. De rerum permutat. Speciale namque in permutatione, vt eius obligatio & causa à rei traditione ducat initium, traditio autem fit cum effectu, scilicet vt transferat dominium, ex dicta leg. 1. & l. Ex placito. c. eod. Sed dubitandi ratio in proposita hypothesi pendebat ex Concordati homologatione à Summo Pontifice conditionem approbante facta : vera enim regula in Ordinariorum collationibus, qui veram permutationem (quæ tantùm est suorum beneficiorum) admittere possunt, cap. 1. De rerum permutat. in 6. non in prouisione Summi Pontificis, qui conditionem sua absoluta auctoritate probauit. Dic ergo, aut per Concordatum à Summo Pontifice approbatum

regreſſus nominatim ſtipulatus in caſum euictionis, quo caſu non procedit Molinæi opinio, aut regreſſus nulla mentio facta, & eo caſu imputandum tertio qui permutationi intercedit, alieno facto acceſſit, non ſatis rebus ſuis proſpexit: tunc enim eius beneficium eſt extra cauſam permutationis, & huius beneficij euictione non reſoluitur permutatio, ſed remanet tantùm perſonalis actio ex Concordato. hæc eſt Molinæi ſententia infr. num. 164. in verbo Debebat curare hoc ſpeciatim ſcribi in Concordato.

NVM. CLXIII.

Quæ promiſſio de ſe nulla eſt, ſimoniaca, & abuſiua.

DE iure pactiones in ſpiritualibus cauſis nullæ ſunt, habent ſpeciem ſimoniæ & reprobantur, cap. finali. De pactis. Poſſunt autem à Summo Pontifice approbari, & tunc pariunt actionem. Obiter nota verba Molinæi, Papam eſſe ſupra omnia iura Pontificalia, cap. Præpoſuit. de conceſ. Præb. Limita ſi publicam totius Eccleſiæ vtilitatem non concernunt, aliàs nulla diſpenſatio iudicaretur in ſummis Franciæ tribunalibus.

EOD. NVM. CLXIII.

Nec vlteriùs obligat quàm expressum sit in Concordato.

QVIA in odiosis omnis prohibita est extensio, nec valet argumentum ex identitate rationis: ideo concordata priuatorum, licèt à Summo Pontifice approbata, vt odiosa vltra verborum proprietatem nullum habent effectum, nec in eis omissa suppleri possunt: vigilent ergo Ecclesiastici, vt & nil in his concordatis omittant. Ex præmissis reprobata est eorum astutia, qui in consequentiam concordati secretas & particulares conuentiones stipulantur: hæ enim si nominatim non sunt à Summo Pontifice homologatæ reprobantur, licèt in consequentiam Concordati homologati factæ fuerint, & ab eo dependeant: irritum enim omne hoc in negotio est quod à Summo Pontifice non est approbatum.

NVM. CLXIV.

Sed quid si apposita sit solita clausula de vniuerso concordato resoluendo, & ad pristina iura sine noua collatione redeundo.

ERGO has conuentiones resolutionis Concordatorum & regressus probare poterit Sum-

mus Pontifex. Fallit cùm contrahentium principalis intentio tendit ad regressum beneficiorum, nílque aliud prorsus agitur : corruit enim omnis conuentio, eiúsque homologatio abusiua per Basiliense Concilium, vt diximus sup. num. 7. In iis enim fraudis conuentionibus non tam quod agitur, quàm quod simulatè concipitur, consideratur. Sed cùm regressus stipulatur tantùm in consequentiam permutationis, legitima tunc erit conuentio eiúsque homologatio: & ita moribus nostris seruatur. Saturnina enim est eorum opinio, qui contra Canonum decreta existimant Summum Pontificem in iis beneficiorum permutationibus conuentiones approbare non posse, & actionem dare ad dissoluendam permutationem, aut Concordatum annullandum, aut adimplendum : si enim ipsam permutationem sua absoluta auctoritate approbare potest, poterit & ea quæ tantùm veniunt in consequentiam permutationis, quæ permutationi accedunt.

EOD. NVM. CLXIV.

Quia principale per accessorium nec confirmatur nec infirmatur.

ACCESSORIVM enim ex se non subsistit, & sine suo subiecto euanescit; si subiectum nullum sit, nullum & accessorium : dignius subiectum accessorio. & ex hac Molinæi sententia eluditur

eorum ſubtilitas, qui per acceſſoria probabilia ex ſe ſubiectum nullum & inualidum approbare conantur, acceſſorias conuentiones ſubiecti principalis mentionem facientes homologare in Cancellaria Apoſtolica conantur, vt ſubiecti principalis nullitates euertant aut diſſimulent.

NVM. CLXVI.

Bene verum eſt in publicum abire, ſed non ſufficit, ſi non ſeruetur forma huius regulæ.

FORMA eſt de eſſentia, & eius omiſſio nullitatem inducit, quod in quærendis certiſſimi iuris eſt. appoſitè Chriſtophorus de Rufiniac. in Comment. Pontific. lib. 3. cap. 7. verſiculo Quid cauſæ adferri poteſt. Nam ſine omnibus quæ rem naturaliter formant, velle actum conſiſtere, perinde eſt ac putare citra maris & fœminæ coniunctionem partum poſſe concipi, aut ſine bono fundamento conſtitutáque fultura cœmentitiam domum veluti in aëre pendentem ſubſtrui. Non igitur inquirendum an prouiſio cuique in particulari notoria ſi ſingulis innoteſcat, ſed an forma præſcripta obſeruata fuerit. Limita ſi triennio beneficium quis poſſederit, cùm poſt illa tempora de poſſeſſionis ſolemnitate inquirere ſit nefas: & ita contra Regaliſtam quendam de poſſeſſionis viribus diſputantem pro Capel-

lania in Ecclesia Meldensi deseruiri solita, iudicatum. Quid si minori tempore, puta per annum, quis de facto possederit, Missam Parochialem celebrauerit; possessionem autem legitimè non sit adeptus, nec publicauerit, & vt fraudibus obuiam iretur existimauerunt nostri De publicandis regulæ locum esse. Sed si verissima & actualis, non ficta & simulata sit possessio, nec vlla fraudis suspicio notari possit, regulæ De publicandis locum non esse existimo, cùm hæc actualis fructuum perceptio, & pastoralis muneris functio veram possessionem inducat. Notandum obiter in his spiritualibus causis possessionem ius in beneficio non tribuere, cùm sit meri facti, aliquando verò tribuere, cùm missio in possessionem ab eo facta est, qui habet ius plenè conferendi; hoc enim speciali casu missio in possessioné habet vim prouisionis; prouisionem & possessionis adeptionem continet. quod in Rota decisum docet 16. aliàs 441. decisio, de conceff. Præbend. in nouis.

NVM. CLXVII. in fine.

Publicationem vnius non prodesse, nec satisfacere pro alio, etiamsi beneficia sint in eodem loco vel tecto, & ad collationẽ eiusdem.

NOn enim, vt dictum est supr. simplex desideratur notitia, sed legalis seu solemnis, seruata

seruata forma à lege præscripta : quæ forma cùm eò sit introducta vt fraudibus obuiam eatur, seruanda est : & vt qualibet voluntas non inducit testamentum, sed solemnis sub forma à lege vel statuto præscripta ; ita qualibet notitia non sufficit ad vitandam pœnam huius regulæ De public. sed legalis seu solemnis sub forma à lege præscripta. Per hanc autem regulam qualibet beneficij prouisio publicationem requirit, & possessionis adeptionem, nec vna alteri prodest. Sed quid si is qui publicauit, per publicationis tabulas narrauit permutationis causâ id factum cum tali beneficio in eadem Ecclesia existente, & personam nominauerit, nónne pro vtroque beneficio huic regulæ erit satisfactum? cùm principalis causa regulæ sit notitia ex instrumento, in loco publico facto, progrediens in congregatione populi : & non satisfactum existimo cùm in rei veritate tertius ille non publicauerit, nec quis pro eo, nec eo mandante ; desiderat enim regula quamlibet prouisionem publicari : possunt quidem plures prouisiones iisdem tabulis publicari, vno & eodem momento, vna charta, vno instanti, cùm beneficia sint in eadem Ecclesia seu Parochia : sed publicatio non inducitur, nec fit per verba narratiua, imò fieri debet nomine proprio eorum quibus collata sunt beneficia, his siue veris mandatoribus nomine procuratorio, aut his præsentibus. & hæc est Molinæi sententia.

NVM. CLXVIII.

Imo etiam plures contractus per se distincti, si tamen correspectiuè mutuáque contemplatione facti sunt.

BONI iudicis officium veram partium voluntatem accuratè considerare, totum negotium & integrum enucleare, quæ contrahendi occasio, quodnam subiectum fuerit, quæ causa legem contractui dederit, si diuersi contractus initi fuerint, an ratione eiusdem negotij, an hi contractus sint eiusdem subiecti: fit enim aliquando vt plures contractus vno funiculo vel catena contineantur, vnus ab alio dependeat, & vnius remissio alterius annullationem secum attrahat: & de iis loquitur Molinæus. Nil mutat tot stipulationes quot res: hoc enim in distinctis & separatis procedit, non in connexis & simul colligatis.

NVM. CLXIX.

Et tamen non sint duæ permutationes, sed vna duntaxat.

PERMVTATIO enim non tantùm de vno ad aliud beneficium, sed plurium ad vnum, vnius ad plura, in cap. vnico De rer. permutat.

in 6. ſua beneficia, & ibidem in fine circa ſubeundam permutationem huiuſmodi beneficiorum in Clement. vnica. De rer. permutat. Si qua beneficia ex cauſa permutationis: diuerſitas enim beneficiorum, eorúmque pluralitas vnico permutationis contractu contineri poſſunt.

EOD. NVM. CLXIX.

Etiam acceſſoriè per tertium reſignantem.

SI modò tertius permutationi interueniens de euictione & reſolutione concordati conuenerit, & cùm clauſula, Si vnum ex ſingulis, deſit, vt diximus ſup. num. 164. & hæc eſt Molinæi opinio.

NVM. CLXX. vſque ad CLXXII.

LOQVITVR Molinæus de permutatione ab Ordinario admiſſa, quæ eſt tantùm ſuorum, non alienorum, beneficiorum, quæ tertium interuenientem non admittit, nec conuentiones quæ non ſint ex natura permutationis. Secus ſi à Summo Pontifice admiſſa ſit permutatio: in ea enim tertius poteſt ſuum ſymbolum apponere, quid pro ſuo beneficio ſtipulari in caſum euictionis, aut alio modo. hæ enim conuentiones auctoritate Apoſtolica validantur ſub limitationibus

homologationis, vt suprà dictum fuit. & hæc est Molinæi sententia num. 170. in fine in hæc verba, Nisi fuissent homologatæ per Papam vel Legatum specialem ad talia potestatem habentem. Nec extra specialem hypothesim extendendæ erunt hæ conuentiones, aliàs per appellationem tanquam ab abusu annullarentur, & ab homologatione Concordatorum posset appellari abusus nomine, vt diximus supr. num. 8. aliter sentientes contra ipsa Iuris Canonici elementa, & fundamenta peccaremus.

NVM. CLXXII.

Quòd hæc regula locum habet in permutatione.

GENERALIS est regula De public. resignat. quæ generaliter & indistinctè de qualibet resignatione loquitur. Igitur de resignatione quæ fit causa permutationis, quæ purè & simpliciter, quæ in fauorem: vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: & hæc constitutio bono publico introducta amplianda, non restringenda, ex vulgata legis regula, Odia restringi. de regulis iuris in 6.

NVM. CLXXIII.

Limito primò si permutatio non

processerit ex affectu vel arbitrio priuatorum.

FAVORE summo amplectenda illa permutatio, quæ solam Ecclesiæ vtilitatem, non compermutantium commodum, considerat. vera illa est permutatio ab antiquis Ecclesiæ Patribus probata, & quæ Collatori necessitatem imponit, vt supr. diximus, non in eam lata constitutio De publicand. resignat. ad fraudes amputandas inducta; hæc autē legitima permutatio omni fraude careat. Mouet dubium, regulam nostram De publicandis generalem de resignat. & permutatione quacunque intelligendā, negligentiam potiùs quàm fraudem pro subiecto & legitima causa habere; cùm ergo hæc licèt legitima permutatio negligentiâ notari possit (id est permutantes qui negligentia non publicarunt) incidit in pœnā regulæ. Quibus adde publicationem prouisionis pro forma datam essentialem esse, eius omissionem nullitatem inducere, nec vlla ratione suppleri posse; imò in forma specifica adimpleri teneant nostri. Sed specialis æquitatis & Ecclesiæ vtilitatis consideratio derogat regulæ. De public. cùm sit contra iuris rationem, ad fraudes vitandas legem institutam publicam Ecclesiæ vtilitatem destruere, & in eam peccare. His adde, cùm de Ecclesiæ vtilitate mouetur quæstio, subtiles formæ regulas & axiomata cessare. Rectè fit quod publica Ecclesiæ vtilitate postulante fit: & si in mandato specialiter sit institutum, vt vti-

litas formam mandati superet, secundùm formam mandati actum præsumatur seu fingatur quod vtiliter gestum est, ex auctoris opinione ad 40. Alexand. Consil. lib. 5. in fine; quanto magis cùm de Ecclesiæ vtilitate mouetur quæstio? Molinæi rationibus addendum, permutationem non ex verbis regulæ, sed extensiuè & ex identitate rationis sub regula contineri. si ergo non sit identitas rationis, imò causa cesset, cur non effectus? & ita procedere videtur Molinæi sententia. Vide infr. num. 174.

EOD. NVM. CLXXIII.

Huiusmodi autem decretum non potest apud nos interponi nisi per diœcesanum partibus vocatis : non autem per Papam vel Legatum.

SED quid nónne Summus Pontifex quaslibet permutationes potest legitimè admittere, potest quæ possunt ordinarij Collatores, cùm sit Ordinariorum Ordinarius? quasi verò annullarentur permutationes beneficiorum in Cancellaria Apostolica admissæ. Distinguendum de particulari, & speciali illa permutatione, quæ fit propter necessitatem & vtilitatem Ecclesiarum, cum causæ cognitione, partibus auditis, rei veritate plenissimè cognita, testibus ex officio examinatis, iu-

diciario ordine obseruato: & hæ per Summum Pontificem vel eius à latere Legatum ad id speciale mandatum habentem fieri possunt: sed datis priùs in partibus iudicibus, qui vocatis quos decet rei veritatem inquirant, nil de solemnibus iuris omittant, & negotium Summo Pontifici aut eius Datario in scriptis referant: nec enim titulus de causis tam in Pragmatica quàm in Concordatis, harum permutationum cum prædicta solemnitate factarum cognitionem Summo Pontifici denegat, sed loquitur de causis priuatorum, quæ cum actore & reo iudiciario ordine deciduntur & terminari debent in partibus, siue illæ causæ seu lites sint rerum ciuilium aut criminalium; possunt etiam hæ permutationes Episcopali auctoritate fieri: aliæ autem quælibet beneficiorum permutationes, quæ potiùs contemplatione compermutantium, quàm Ecclesiarum fiunt, à Summo Pontifice aut eius Datario admitti solent, eóque iure vtimur. Imò vniones beneficiorum, in quibus maior causæ cognitio desideratur, quæ sine causæ cognitione etiam à Summo Pontifice fieri non possunt, tam ex Concilio Constantiensi quàm ex regula 21. Cancell. Apost. à Summo Pontifice legitimè admittuntur, data priùs in partibus commissione, vocatis quorum interest. & ita sentit Rebuf. in praxi Benef. titulo de vnionibus. num. 44. & Glos. 11. num. 7. cui opinioni subscribit Christoph. de Rufiniac. Comment. Pontif. lib. 13. cap. 7. circa principium, De Selua tract.

de benef. parte 2. quæst. 3. num. 12. in fine. nil mutat cap. Sicut vnire. De exceſſib. Prælat. conuenit quidem Ordinariis vnire poteſtatem, ſed Summo Pontifici id non denegat, idem in Clementin. Si vna. De rebus Eccleſiæ alienand. vel non. Sed Molinæus ordinariæ poteſtatis acerrimus propugnator, antiquorum Conciliorum & Eccleſiæ Patrum doctrinam ſequitur, qua vt Epiſcoporum mutationes ſiue ob neceſſitatem aut vtilitatem Eccleſiarum de Epiſcopatu ad alium Epiſcopatum ſolo Summo Pontifici deferebantur; ita aliarum Eccleſiarum, ſeu Eccleſiaſticorum aut Sacerdotum de loco ad alium locum mutationes ſolis Epiſcopis dabantur. canon. Sunt alterius. §. Hoc non ſolum. De Epiſcopis. can. Epiſcopus, can. Mutationes. 7. quæſt. 1. Sed diſtinguenda ſunt tempora, de maioribus enim & arduis rebus Sedes Apoſtolica tantùm conſulebatur, hodie verò Summi Pontifices vt Ordinariorum Ordinarij, & Summi Pontificis & Ordinariorum poteſtate vtuntur. Si in aliquo diminuta poteſtas per titulum De cauſ. in Concordat. in cæteris rebus vireſcit. Ex prædictis collige Epiſcopos poſſe Parochialium Eccleſiarum rectores de Eccleſia ad aliam Parochialem Eccleſiam ex cauſa legitima transferre, quod hodie quibuſdam antiquam Patrum doctrinam ignorantibus nouum videretur, cùm tituli beneficiorum ſint perpetui, nec ita de facili mutentur: ſed plurimorum vtilitas vnius vtilitati eſt præferenda; ideo inuitus quis ex cauſa eſt

est compellendus. canon. Scias frater dilectissime. 7. quæst. 1.

EOD. NVM. CLXXIII.

SED in iis beneficiorum vnionibus alia mouetur quæstio, an beneficij titulum habentes sint in vnione vocandi? & non vocandos docet textus in Clement. finali. De rebus Ecclesiasticis alienand. quem aditio ad 11. aliàs ad 58. Rotæ decisionem de offic. delegat. in nouis. sequitur. Sed vocandos existimo ex regul. Cancellariæ Apostolicæ de vnionibus, vocatis quorum interest, & si non vocentur nullũ præiudicium eis adferet vnio: & ita sentit Glos. in dicta Clementina finali, quam sequitur Rebuf. in Praxi beneficior. titul. De vnionibus, Glos. 11. num. 8. ex cap. Consultationibus. De donationibus apud Gregorium. & pro auctore citat Ioann. Gall. quæst. 267. & Oldra. Consil. 257. & Paul. Castr. 437. lib. 1. & hæc est Rotæ doctrina dec. 1. aliàs 347. de iis quæ fiunt à Prælat. & 1. aliàs 229. de rebus Ecclesiasticis alienandis, in nouis. Sed nodum non soluit Rebuf. quid enim si non vocentur, an vnio eis ignorantibus facta viribus subsistere possit, & ea non obstante vnione vnita possint eiurare beneficia, & eo modo vnionem eludere beneficiorum possessores. Nodum soluere videtur cap. Consultationibus. De donat. si non sint vocati, si vnioni consensum non dederunt, beneficiis vnitis in vita spoliari non poterunt, nil in eorum præiudicium

fieri potuit; & in ea aurea ætate in qua de beneficiorũ resignatione non cogitabatur, nil aliud pro eo quod interesse poterat definiri potuit per dictum cap. Consultationibus, nondum resignationes in fauorem erant toleratæ in Ecclesia, solæ resignationes puræ & simplices admissæ, si permutationis causa, non personarum contemplatione sed Ecclesiarum tantùm fauore fieri poterant. Sed in hac ferrea ætate, in qua quælibet sanguinis affectio pro legitimo interesse metitur, aliud summa tribunalia statuerunt, nec permitterent beneficij sic vniti resignandi potestate quem priuari, cùm enim pro legitimo interesse moribus nostris licèt corruptis admittatur resignatio, nostrâ intersit (si hæc verba tolerari possunt) successorem nepotem, aut alium quærere in beneficio, statutum sit in d. cap. Consultationibus. vniones beneficiorum factas titulatis non vocatis, aut non consentientibus, nullius esse momenti, his viuentibus, cùm quodammodo & ex vsu communi (ne abusum dixerim) beneficiorum resignatio siue in fauorem, siue causa permutationis sit in bonis nostris, ex cap. Super hoc. De renunt. durum esset quem iure suo eo non audito, etiam inuito & contradicente priuari. Sed si priuatorum commoditates reiicerentur, & solæ in iis vnionibus Ecclesiarum vtilitates admitterentur, facillimè hæc omnia eluderentur; sed sæculi corruptio & nimiæ subtilitates veram Patrum doctrinam immutarunt, & ab ea magno

Ecclesiasticæ disciplinæ detrimento discessimus. Sed inuitus communi opinioni subscribo, ex annotatione Molinæi ad stilum Parlamenti parte 5. quæst. 267. propter verba Cancellariæ Apostolicæ, de vnionibus, licèt eam opinionem vt erroneam & Patrum decretis repugnantem reprobet Rebuf. Consil. 104. & probet ex illis supradictis resignationibus nullum legitimum interesse notari posse, imò Ecclesiæ vtilitatem priuatorum commoditatibus præferendam. Sed solent Notarij Apostolici & Episcoporũ Secretarij corruptis moribus annuentes in iis vnionibus hanc clausulam (cùm scilicet beneficiati non vocantur aut non consentiunt) apponere, suum habituram effectum, cùm primùm sic vnitum beneficium per obitum, aut incapacitatem vacauerit. hæ autem vniones ab Ordinario fieri non possunt, non vocato Patrono: debet enim vnioni consentire, vt probat 6. Rotæ decisio, quæ est inter decisiones Thomæ Fasoli, & Ioan. Nicol. Delphin. in suo tractatu iuris patronat. num. 225. & ea est Rebufi sententia in praxi beneficiorum, titul. de vnionibus, Glosa vndecima. num. 6. ex cap. Suggestum. de iure Patronat. cùm enim patroni per vnionem suo præsentationis iure priuentur, vocandi sunt ex Regul. Cancell. Apost. de vnionibus, ex canon. filiis. 16. quæst. 7. Vide Ruz. in tract. iur. regal. priuileg. 28. num. 3. & hoc in Concilio Constantiensi decisum fuerat titul. de vnionibus, in hæc verba: Eorum quorum interest,

&c. Non igitur ad literam accipienda ſunt verba regiæ Bleſenſis conſtitutionis art. 23. quæ licèt de patronis laïcis tantùm mentionem faciat, Eccleſiaſticos tamen patronos non excludit, nec ea fuit conſtitutionis intentio. Prædictis adde reg. Cancellar. Apoſtol. de non tollendo ius quæſitum, in verbo, Quomodolibet, quod interpretantur ex quacunque cauſa.

NVM. CLXXIV.

Limito ſecundò ſi permutatio fiat ad finem vnionis.

CVM periculoſum ſit, æquitatis prætextu, à regulæ præceptis diſcedere, non tam Molinæi rationes quàm hypotheſis ſpecialem cauſam conſiderare debemus: non quòd negauerim rationum validitatem & in iure approbatam; ſed vtilitatis Eccleſiarum prætextu, regulæ De public. effectus & vſus facilè eludere poſſent ſpiritualium beneficiorum negotiatores. Quid enim facilius in qualibet beneficiorum permutatione Eccleſiarum vtilitatem inſerere, & vtilitatis cauſas (licèt peregrinas) exprimere. Specialitas autem hypotheſis admodum attendenda, principale enim & verum partium negotium, non permutatio, ſed beneficiorum vnio, in qua vnione regul. De public. ratio ceſſat, vt puta in vnione ſacelli matrici Eccleſiæ vniti. tale namque ſacellum poſt vnionem amittit nomen ſuum, & fit vnum beneficium cum

ipsa matrice Ecclesia, quæ vacare non potest, nec vllo casu subiici regul. De public. & hæc est mens Molinæi. Inquit enim: Vacabit præbenda per obitum Titij, non autem sacellum. Remanet enim præbenda beneficium, non mutat nomen nec qualitatem: secus in illo sacello vnito matrici Ecclesiæ; sacellum enim amittit nomen, vnitur matrici Ecclesiæ, & vacare nullo modo potest per obitum nec per resignationem.

EOD. NVM. CLXXIV.

Et sic nullomodo fit irrita per hanc Regulam, quæ publicæ vtilitatis Ecclesiarum causa lata est: Igitur nullo modo retorquetur contra earundem vtilitatem.

IN vnione beneficiorum quæ solam Ecclesiæ vtilitatem, non personarum commoditatem, considerat, verissimum est, nec etiam in ea vnione legis nostræ dispositionem procedere, sed tantùm in resignationibus, & prouisionibus beneficiorum. Idem in his permutationibus, quæ sola Ecclesiarum contemplatione factæ sunt, nil permutantium vtilitatis habentibus; & hæ permutationes ad vnionis naturam proximè accedunt, sed aliquando temporales, aliquando perpetuæ: perpetuæ autem verè vniones dicuntur & alienatio-

nem continent. In aliis autem permutationibus regulam nostram procedere supr. diximus: nec enim in iis Ecclesiarum vtilitas seu necessitas vt principalis causa verúmque subiectum limitat, sed compermutantium commoditas & vtilitas præualet, dátque causam negotiationi. & hanc opinionem probat Molinæus in hæc verba, Tamen cessat regula, quia hoc non fit affectu priuato, sed publicæ, vel Ecclesiasticæ vtilitatis causa.

NVM. CLXXV.

Et hic est specialis casus, in quo potest Ordinarius admittere resignationes in fauorem, etiam conditionalem.

QVI de in fauorem aut conditionali resignatione admittenda scripserunt, hanc vnionis consideratione factam obmiserunt; veram tamen, legitimam & à iure approbatam existimo, cùm vniendi potestas Episcopis sit concessa, per cap. Sicut vnire. de excessib. Prælat. & Clement. Si vna Ecclesia. De rebus Ecclesiast. non alien. & ideo possint Ordinarij resignationes ad effectum vnionis, in fauorem vnionis, sub conditione futuræ vnionis, admittere, & cum ea clausula (aliter nec aliàs nec alio modo) cùm hæc pactio nil sordidi, & iniqui habens veniat in consequentiam vnionis, ab ea omnino dependeat, non sit con-

tra bonos mores, nil ſimoniaci redoleat, & prohibitioni cap. vlt. De pact. non ſubiiciatur Effectus autem huius conditionis & clauſulæ, aliter aliàs, &c. erit vt vnione ſuum non fortita effectum poſſit reſignans etiam ſine noua collatione reſignatum repetere beneficium, cùm ſub ea conditione tantùm nec aliàs reſignauerit. Ideo ſi annullata ſit vnio ex defectu ſolemnitatis, aut aliàs, poterit reſignans ſub ea conditione eiuratum repetere beneficium : nec omittant Notarij Apoſtolici clauſulam (aliter non factam reſignationem), vt ipſo iure ſine noua collatione repetatur beneficium, vt omnis dubitandi tollatur occaſio. & hæc eſt noua regreſſus pactio à lege approbata.

EOD. NVM. CLXXV.

Et his vel etiam creationi & conſtitutioni penſionis compenſatoriæ auctorari.

SED quid opinioni Rebuf. reſponderi poterit in Praxi benefic. titul. de reſeruat. tam generalibus, quàm ſpec. num. 29. cuius hæc ſunt verba : Nec hodie Epiſcopi conſtituunt penſiones, imò ex non vſu amiſſa eſt in eo eorum poteſtas, quod non fuiſſet ſi ignari illius non fuiſſent, & ea vſi ; ſed ignorantia eos vt nunc multos longo tempore tenuit. & in tract. de pacif. poſſeſſ. num. 105. ne-

gat Episcopo aliqua cautione licere pensionem creare, eíque prohibitum per verba cap. Nisi. De Præbend. non quidem ex pactione partium, & in summa hodie extra Papam vix constituitur pensio in hoc Regno ; & tutius propter conuentiones partium Papam adire. & dubitarunt Regalistæ an Rex noster Christianissimus pensionem in Regalia creare posset, licèt in Regalia superiorem non agnoscat. & Corasius in Paraphr. Sacerdot. tit. 4. lib. 1. Quamuis, inquit, in hoc Regno non ab altero quàm Summo Pontifice pensiones constitutæ recipiantur. Sed Molinæus libertatis Ecclesiæ Gallicanæ propugnator acerrimus non quærit quid Ordinarij incuria amiserint, & an iure suo vsi fuerint, sed quænam sit eorum potestas, quid eis in iure prohibitum non fuerit. & ipsemet Corasius in loco præallegato, Episcopis & Archiepiscopis permissam pensionis creationem existimat, cùm in iure prohibitum non inueniatur, nec Papa specialiter hoc sibi reseruauerit. vt tamen quid certi in eō negotio statuatur, dicendum pensionem à iure licitam, non vetitam, puta, in vnione, in permutatione, in resignatione, Episcopos creare posse : si enim permutationes admittere, si vniones facere eis sit concessum, & ea quæ veniunt in consequentiam actus, quæ in ipso actu à iure approbantur & conceduntur in consequentiam actus ; tunc enim pensio venit in consequentiam permutationis, aut vnionis, & cùm in vnione & permutatione concedatur

datur pensionis creatio, qui poterit vnire, poterit & pensionem creare. omnia sine quibus,&c. concesso vno,&c. & hæc est mens & opinio Molinæi. Cùm autem pensio aliunde procedit, puta ex conuentione potiùs quàm ex ipsa vnione vel permutatione, cùm ipsa pensio, pro causa & subiecto, pactionem potiùs quàm permutationem aut vnionem habeat, quæ conuentiones in spiritualibus reprobantur, ad Summi Pontificis potestatem recurrendum, eiúsque implorandum auxilium, solus enim has illicitas pactiones potest approbare sua summa absoluta potestate. Sed quid in resignatione ab Ordinario purè admissa dubitatum fuit, cùm renuntianti iuri suo nullus detur regressus, cùm purè in manibus Ordinarij facienda sit eiuratio, nec Ordinarij in Gallia in ea resignatione pensiones creare soleant, nobísque sit inauditum. tamen in casibus à Iure concessis, hoc facere posse existimo, vt toto titul. de Cler. ægrot. concessum enim Ordinariis, quod à Iure licitum eis non prohibetur.

NVM. CLXXVI.

Cùm ipsi etiam Cardinales Galli ne fortè minùs sancti viderentur.

LICITVM Romæ illustrissimorum Cardinalium intuitu in eiurandis beneficiis creare pensiones pro arbitrio, modò ad resignatarij

ſuſtentationem reſiduum ſufficiat: & hodie reſi-gnatarij ſunt reſignantium penſionarij. Moribus tamen noſtris ad hunc vſque diem in collatiuis beneficiis hæc non probauimus, in conſiſtorialibus ſecus: abhinc enim decem annis, eóque tempore quo à latere Legatus à Florentia poſtea Summus Pontifex, etiam immoderata penſio admiſſa in Cancellaria Apoſtolica Rege noſtro poſtulante, & hodie vix conſiſtorialis dignitatis eiuratio ſeu prouiſio, ſine penſione admittitur, eáque leprâ tractu temporis omnes Eccleſiaſticæ conſiſtoriales dignitates in necem Eccleſiæ inficientur.

EOD. NVM. CLXXVI.

Vt hac religionis ſpecie Gallis nimium credulis offuſa, multæ annatæ Papali fiſco lucrifacerent.

HÆC ſunt ægrotantium ſomnia, cùm reſignatarij Cardinalium eo caſu annatarum tributa non agnoſcant, ſicut nec illuſtriſſimi Cardinales. Lex eſt in Conſiſtorio promulgata & vſu recepta, de qua dubitare nefas.

EOD. NVM. CLXXVI.

SI itaque præfati Epiſcopi etiam Cardinales Galli, vnius Epiſcopatus titulum retinentes, re-

ceptum in regno, regulam De public. resignat. in collatiuis beneficiis, non in electiuis seu consistorialibus locum habere. & ita sentit Molinæus infr. num. 309. Non igitur Episcopatus per hanc regul. De public. vacare per obitum poterunt, quicquid in contrarium Molinæus hîc statuat. Adde, non de facili Episcopatum vacare viuente Episcopo, propter consecrationis ordinem; quæ consecratio morte tantùm naturali vel ciuili extinguitur.

NVM. CLXXVII.

Quia publica vtilitas non lædetur si vacet per obitum.

SI ergo resignatarius sit consecratus, cessabit hæc regula, cùm Ecclesiæ intersit mendicantem non videre Episcopum. sed hoc inutile, cùm Episcopus suo non possit priuari Episcopatu per hanc regulam De public. quæ locum non habet in consistorialibus beneficiis, vt infr. num. 309.

EOD. NVM. CLXXVII.

Quia hæc regula non habet locum in alia vacatione quàm per resignationem.

VERBA enim regulæ hæc sunt, Nisi resignationes, &c. extra eam resignata, &c. si resignan-

tes, &c. non per resignationem, &c. & ideo extra resignationem nullum habet effectum, cùm mens & verba regulæ id denotent.

NVM. CLXXVIII.

Aut non est processum vsque ad admissionem resignationis, & nil factum est.

RECEPTVM in Iure, permutationis contractum re contrahi, res permutatas potiùs quàm conuentiones considerari, rei ad rem permutatam vicariam fieri præstationem, traditionem requiri, vt supr. diximus. & hæc est decisio l. Ex placito permutationis. De rerum permutat. cod. In qua permutatio à conuentione distinguitur, si res secuta sit, id est tradita, permutatio perfecta, datur ex permutatione actio, si non sit tradita ex conuentione seu stipulatione. Quod animaduertendum in iis rerum spiritualium controuersiis, in quibus multum interest an ex permutationis contractu, an ex conuentione moueatur actio. Si ex permutatione permutationis dabuntur priuilegia, vt beneficio euicto compermutatum repetatur beneficium sine noua collatione, tanquam nulla re, nulla permutatione secuta, ac si nil actum fuisset, nil resignatum, nil compermutatum, vt alibi plenè diximus. At si ex conuentione agatur, aut permutationis con-

cordatum à Summo Pontifice probatum, & eo casu dabitur actio; aut non homologatum, & denegabitur: quia conuentiones in spiritualibus à Summo Pontifice non probatæ, speciem habent simoniæ, & actionem non pariunt, cap. finali De pact. apud Gregorium. Quod autem de permutatione reuocanda hîc statuit Molinæus, plenè & indistinctè id intelligas, vt ista reuocatio sit sine pœna, damnis & interesse. Res enim in permutationis contractu dicitur integra, donec ex vtraque parte res permutatæ traditæ fuerint, & in eo permutatio emptionis vicem obtinet, vt in l. 2. cod. De rerum permutat. & vt ab emptione nondum perfecta licet impunè recedere, l. 1. & 2. Quando liceat ab empt. disced. c. ita à permutatione.

EOD. NVM. CLXXVIII.

Debitè notificando, iuxta Clement. 1. De renuntiatione.

APPOSITE' hîc Molinæus notificationem reuocationis parti factam sufficere probat: & hæc est additio ad Clement. primam De renuntiat. seu potiùs Clementinæ interpretatio. & hoc Gallorum moribus necessarium; cùm enim ex communi Notariorum Apostolicorum stilo in mandatis ad eiuranda beneficia in Cancellaria Apostolica denominentur Cancellariæ Apostolicæ sol-

licitatores, seu expeditionum Apostolicarum scribæ & compilatores, difficillimum esset in Romana Curia hos procuratores reuocare, non sine sumptibus id fieri posset: tutius & melius erit parti in Regno existenti notificare reuocationem, & ab ea die procuratoris cessabit officium, quidquid postea gestum erit virtute mandati ita reuocati annullabitur, imò nullum erit. si enim ex Iuris regula reuocatio procuratori re integra facta mandati vires impediat, quanto magis facta parti procuratorem constituenti?

EOD. NVM. CLXXVIII.

Si ab vna parte tantùm sit admissa resignatio, de quo non esset dubium.

VT enim permutatio dici possit, necessarium est vt ex vtraque parte res compermutatæ traditæ sint. hæc enim mutua seu vicaria rerum permutatarum præstatio seu traditio est ex natura permutationis. Do vt des: vnum (Do) propter aliud (vt des), vera & impulsiua causa, & sine qua non. non aliàs daturus. Rerum compermutatarum dominium ab vtraque parte transferri debet: ideo rei alienæ permutatio esse non potest l. 1. §. Item Pedius. De rerum permutat. ff. Aliam rationem adfert Molinæus num. sequenti, permutationis causa factam resignationem, con-

ditionalem esse, si rerum permutatarum sequatur dominium, & non aliàs.

NVM. CLXXX.

Non tamen multùm curandum est an huiusmodi conditio sit suspensiua vel resolutoria.

LATA tamen differentia quoad resoluendum actum: Vna enim corruit, annullat, redditque sine vllo effectu: altera suspendit tantùm. Sed hîc Molinæus de illa conditione suspensiua loquitur, quæ sola dedit causam resignationi, cuius contemplatione resignatio facta, cuius effectus ad nullitatem actus extenditur, vt ex verbis Molinæi licet colligere num. sequenti, versiculo Vnde si quis resignet. hæ quidem conditiones suspensiuæ quidem, quia effectum resignationis suspendunt, sed tamen causam sine qua non (quæ annullatiua est) continent.

NVM. CLXXXI.

Cuius etiam consensus in vnione requiritur.

ABVNDE probatum supr. num. 173. Patronorum consensum in vnione necessarium ex regul. Cancellar. vocatis quorum interest.

NVM. CLXXXIII.

De qua casus est in cap. Si beneficia. de præbendis in 6.

SI ratione hypothesim cap. Si beneficia, decidere velis, ne aliam quæras conditionalem fuisse resignationem, licèt ab Ordinario admissam. Conditio autem cùm à lege sit approbata, inducit resolutionem & annullationem resignationis, ea lege resignatio facta, non aliàs resignaturus. Summa autem æquitate nititur hæc cap. dispositio: antiquum resignaui beneficium propter adeptionem secundi incompatibilis, euicto sine culpa secundo, æquum primum repetere, vt iniquum vtroque priuari. Rationibus Molinæi hanc addere possem: speciali quodam iure in dicto capitulo Si beneficia, introductum vt mandata Apostolica annullatiuam clausulam continentia, aliàs de se odiosa, ignorantem beneficio adepto priuarent, sed in beneficij sola contemplatione secundi eiurati repetitione subleuarent.

NVM. CLXXXIV.

Quin ius prætensum permutari possit cum vero titulo.

ALIVD est habere ius ad beneficium, aliud in beneficio licèt litigioso. Ius ad beneficium

cium permutari non potest cum alio beneficio, is enim caret titulo, & ius habet personale quod cedi nec resignari potest, ex Christoph. de Rufiniac. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 35. in principio. Ius in beneficio licèt contentioso permutari potest, si modò litigium exprimatur. & quod de hospitali hîc loquitur, intellige de illo qui in titulum confertur, non de mera administratione quæ inter beneficia non annumeratur, ex Christoph. de Rufiniac. lib. 3. cap. 36. in principio Comment. Pontif. Et ius illud ad beneficium propriè dicitur ante prouisionem, post collationem verò dicitur ius in beneficio. Illíque iuri ad beneficium faciliùs renuntiari potest etiam in manibus Notarij, non Superioris. Qui igitur habent spem ad beneficia, qui gratiam expectatiuam vt mandatarij nominati à Senatoribus ad vacatura beneficia, iuri prætenso renuntiare possunt coram Notario. Ita statuitur in 3. Rotæ decis. aliàs 306. De renunt. in nouis, num. 13. & decis. 8. aliàs 290. De renuntiat. in antiquis, & decis. 8. aliàs 269. De iure patronat. in nouis, & 14. aliàs 573. num. 3. De renuntiat. in antiquis, & speciali quodam iure receptum, præsentatos à patronis laïcis posse (cùm ius tantùm habeant ad beneficium) in manibus Patronorum & non Superiorum præsentationi renuntiare, ex 16. aliàs 845. Rotæ decis. De renunt. in antiquis. & 7. aliàs 328. De iure patronat. in antiquis. & ideo cùm absenti facta collatio ante acceptationem ius tantùm tribuat ad

beneficium, in cap. Si tibi absenti. De præbend. in 6. non in beneficio, huic collationi potest renuntiari coram Notario, aut alia persona publica: tunc enim collatoris tantùm desideratur officium cùm ius in beneficio quæsitum fuit, vt vnumquodque eo iure dissoluatur quo ligatum fuit. cap. Admonet. De renuntiat.

NVM. CLXXXV.

Quia ipsa hypothesis satis ostendit factum in fraudem Canonum, & alibi ideo commenti sunt hanc permutationem de iure prætenso.

DIximvs suprà num. 173. veram permutationem Ordinario collatori legem imponere. De fraudulenta verò variarunt nostri: sed cùm tres fraudis coniecturæ sese offerunt, vera est fraudis probatio, ex qua commodum consequi iura non patiuntur; hæc nullam imponit Ordinario necessitatem. & semper ea fuit Molinæi opinio, cui subscripsere Ioan. de Selua tract. de ben. 3. parte q. 18. Ruzeus tract. de iure regal. priu. 44. in fine, Rebuf. in Praxi benef. Glos. 4. n. 2. ad regul. De infirm. Vide quæ notauimus suprà ad reg. De infir. n. 111. Vide Glos. Prag. Sanct. in §. Idem quod omnia. in verbo, Permutationis. De collat. & glos. Concordat. in §. Volumus. in verbo, Vacantia. De collat.

NVM. CLXXXVII.

Et ita apud nos etiam ſolo iudice ſæculari adito, practicamus, vt quatenus euincitur, eatenus redeat.

SINE noua collatione compermutatum beneficium repeti poſſe poſt euictionem tenent noſtri, vt ſuprà notauimus ad regul. De infirmis num. 32. & ad hanc regul. num. 140. & quæſtionem in vtramque partem agitatam decidit Chriſtoph. de Rufin. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 39. eiuſdémque ſententiæ auctores Ioan. de Selua, & Rebuf. De permutat. num. 12. allegat, & decretum Senatus Burdigal. recitatum à Nicolao Boërio deciſ. 97. & ita hodie ſeruatur in Senatu, quidquid in contrarium ſentiat Rebuf. ſibi contrarius in Praxi benefic. tit. De permutat. num. 10. Decidit hanc quæſtionem cap. Si beneficia. de Præbend. in 6. in verbis Liberè reuertantur, id eſt ſine noua prouiſione, ſine alicuius auxilio. Reiicienda igitur incerta Rotæ deciſio 1. aliàs 23. De rerum permutat. verſic. Quibus nonobſtantibus. De rerum permutat. in nouis: nec ab ea opinione recedere videntur rationes Gloſ. Prag. Sanct. in §. Voluit tamen. in verbo Permutationis. verſic. Quod eſt verum de iuris rigore ſed de æquitate, &c. de annatis contra aliam Rotæ deciſio-

nem 3. aliàs 63. De rerum permut. in nouis. Notandum obiter quæ hîc recitat Molinæus, quando non euincitur beneficium, ſed manet litigioſum, vt eo pede metiantur beneficia, ſi fiduciaria poſſeſſio, ſi ſequeſtratio. Sed quoad plenum poſſeſſorium maior dubitatio, cùm moribus noſtris plenum poſſeſſorium euictionis in multis vicem obtineat : ſi igitur compermutans velit reſilire, & ſuum repetere beneficium, eo caſu poterit.

NVM. CLXXXVIII.

Quod ſuperſtes compermutantium bona fortuna poſſit vti.

DECISA fuit hæc quæſtio ſuprà num. 120. & conciliatæ opiniones Molinæi & Rebuf. & quod ibi diximus Senatuſconſulto Pariſienſi deciſam quæſtionem menſe Februarij 1607. ſuperſtes in Regis Conſilio priuato condemnatus fuerat ante deceſſum compermutantis.

EOD. NVM. CLXXXVIII.

Quia reſpondetur quòd ſatis eſt non eſſe quæſitum ius ſuperſtiti, niſi ſub conditione.

HOC quidem verum, ſi modò ſit aliquis qui legitimè conqueri poſſit ; ſi autem nullus conque-

ratur, remanet prouisio, & superstes vtitur bona fortuna. Sed cùm nullus est qui permutationis actione possit experiri, remanet collatio permutationis causâ facta : fit enim resolutio permutationis compermutante conquerente, & non aliàs. & ita intelligenda Molinæi opinio. Vide infrà num. 195.

NVM. CXC.

Quinetiam in omnem euentum semper Ordinarius in aliquo frustraretur.

QVA actione Ordinarius superstitem ad resignandum potest compellere ? quid sibi negotij cum permutatione ? quæ inter eos inita pactio ? quæ non erat pactionis origo vel subiectum ? gaudeat igitur bona fortuna superstes in suprà dictis casibus. Obiter notanda verba Molinæi (vt sibi liceat vtrumque retinere). Ad vitandam omnem dubitandi rationem superstes nouam à Summo Pontifice prouisionem obtinere poterit, aut licentiam vtrumque beneficium retinendi, nec hoc nocere sed prodesse poterit, licèt non sit necessarium.

NVM. CXCII.

Quando vtriusque admissa est re-

signatio, & tunc quamuis neuter reuocare possit ex cap. Pœnitentiæ, tamen alterutro præmoriente per obitum vacat beneficium per eum resignatum.

SED cùm admissa beneficiorum compermutatorum resignatione perfecta sit permutatio, dominium ex compermutatione translatum, per obitum vacare non potest resignatum beneficium, imò vacabit adeptum per permutationem, & per eius obitum qui beneficij permutati erat dominus.

NVM. CXCV.

Tamen non potest Seius vtrumque retinere, imò potest ab Episcopo cogi præcisè dimittere curam, etiamsi offerat absolutè resignare canonicatum.

SED quo iure Ordinarius id facere poterit? qua actione experiri? semel facta est collatio, per collationem ius plenè quæsitum: si sub conditione resolutoria; qui potest resolutionem permutationis petere? nullus conqueritur, nec potest conqueri qui decessit: Si superstes cano-

nicè institutus capax sit, cur ei auferendum beneficium ab Ordinario, vt alteri forsan minùs idoneo conferat? quasi verò sit quædam beneficiorum nundinatio? Quomodo vacabit beneficium per obitum illius qui nihil in eo ampliùs habebat, qui illud permutationis causa eiurauerat? Detur resignationem non puram, sed sub conditione, non suspensiua, sed resolutoria, factam, cum clausula, aliter, aliàs, nec alio modo. sed hæc omnia defuncti personam considerant, eius contemplatione sola facta sunt, nec de Ordinario compermutantes cogitarunt, nec illius iura eludere voluerũt, cùm vera, non fraudulenta, permutatio fuerit. & miror Molinæum tam pertinaciter in ea opinione mansisse: fauor enim seu permutationis priuilegium solos respicit compermutantes, horum consideratione sola iura illa priuilegia induxerunt, hoc pendet ex compermutationis contractu, in quo de persona ad personam non fit extensio præter voluntatem compermutantium, de cõpermutante ad Ordinarij personam, quæ in eo negotio verè extranea est. Vide infr. num. 197.

NVM. CXCVI.

Incurrit materia cap. Si beneficia de Præbend. in VI.

HIc alij casus enumerantur, in quibus etiam Ordinarij collatores sub conditione reso-

lutiua beneficia conferre, & conditione non subsecuta eiuratum repetere beneficium, etiam sine noua prouisione; liberè enim id facere possunt, id est sine lite, sine querela, sine actione: nec enim aliàs erant resignaturi: antiquum eiurarunt beneficium vt aliud pinguius consequerentur, quo amisso sine eorum culpa sed ignorantia, hoc eius damno esse non debet. vt puta Rector sancti Petri eiusdem qualitatis beneficium in vim gradus ab Ordinario, aut aliunde Romæ obtinuit, primum contemplatione sola secundi resignauit, postea spe sua deceptus, secundo euictus fuit, primum repetere poterit, etiam sine noua collatione. Summa quidem æquitate hæc sunt instituta, ne iure suo Clerici fallaci opinione priuentur; non tamen extendenda, sed in suis terminis limitanda, cùm sit regressus per Concilia generalia & Concordata damnatus. Ideo si quis huius æquitatis prætextu beneficia diu conseruare vellet, vel hæreditario quodam iure possidere, fraudulenta hæc omnia essent, huic æquitati verè contraria. & miror Molinæum dispositionem cap. Si beneficia. de Præbend. in 6. approbasse, verum enim regressuum seminarium.

NVM. CXCVII.

Quod est quando vterque post simplicem collationem recipro-

cam moritur, & in possessione veteri, & post tempus hîc præfixum.

MODO possessionis aut publicationis omissionem culpa vel mora non præcesserit. vt suprà dixit Molinæus.

EOD. NVM. CXCVII.

Quod sufficit verba regulæ verificari in vno solo permutantium, vt locum habeat in vtroque.

VIDE quæ notauimus supr. num. 195. quibus adde, vtrumque beneficium compermutatum vacare non posse; nec per obitum, viuit enim superstes: nec per hanc regulam, Si modò superstes publicauerit. Limita igitur opinionem Molinæi, quando compermutantes huic regulæ non satisfecerint, nec superstes publicauerit: secùs si superstes publicauerit, quo casu nec per obitum, nec per hanc regulam vacabit beneficium, cùm verba regulæ in superstite qui rite publicauit, verificari non possint.

NVM. CXCIX.

Nec habet locum cap. Si tibi absenti. de Præbend. in VI.

Nnn

LIMITANDA igitur dicti cap. dispositio in permutatione, cùm præcedens permutationis tractatus satis approbaret collationem absenti factam, nec maiori sit opus acceptatione. Ex his decidendum cessare dicti cap. dispositionem, quotiescunque collatio absenti facta est in vim concordati, aut alterius conuentionis. Dubitandi ratio erat dictum cap. non tam scientiam & notitiam collationis desiderare, quàm expressam prouisionis acceptationem : cùm per hanc acceptationem, & possessionis adeptionem, obligationis vinculum inter acceptantem & Ecclesiam contrahatur. sed hæc permutatio necessariam acceptationem secum attrahit, præcedens ille permutationis aut alterius concordati tractatus collationis ratihabitionem inducit, & est permutationis aut tractatus vera executio. Nec hæc inutilia quis existimauerit, siquidem post collationem in his casibus absenti factam ius ita quæsitum, vt per obitum, per simoniam aut alio crimine priuationem inducente vacare dicatur beneficium, nec erit collatio in pendenti. Sed quid si absens fraudulenter & tempore suspecto declarauerit non acceptare beneficium, an possit Ordinarius denuo conferre per dict. caput Si tibi absenti? & non posse existimat Molinæus; non enim pendet huiusmodi collatio, sed statim verum titulum, & ius in re imprimit absenti, quod in permutatione dubitationem non recipit.

NVM. CC.

Quouis modo & ex cuiuscumque persona.

ANTIQVIS temporibus hæc tantùm clausula (aut aliàs quouis modo vacet beneficium) apponi solebat in prouisionibus Apostolicis , quæ referebatur ad genera vacationis, quæ ex persona expressa in prouisione procedere poterant , ad alios autem vacationis casus ex altera persona procedentes nunquam extendebatur. Ideo Apostolicæ Cancellariæ ministri huic clausulæ aliam addidere (ex cuiuscumque persona), cuius clausulæ ea est virtus & efficacia, vt omnes vacationes ex quacunque persona licèt incognita procedentes contineat : Ideo subtiliores harum spiritualium controuersiarum disceptatores illico ad Cancellariam Apostolicam recurrunt , vt prouisionem quamcunque vacationis speciem continentem obtineant, & contra quoscunque aduersarios se tueantur : hæc nocere non potest, multum autem prodesse. Vide Rebuf. in praxi titul. for. signat. simpl. prouis. vers. Siue. præmisso num. 2. 3. 4. & num. 15. Vide Ioan. de Selua tract. de benef. parte 3. quæst. 12. num. 27. circa medium.

EOD. NVM. CC.

Limito ſecundò, ſi Ordinarius à quo per obitum poſſeſſoris impetratur, hanc etiam clauſulam expreſſerit.

NEGAT Chriſtophorus de Rufin. in Comment. Pontif. lib. 3. cap. nono in fine, Epiſcopos ordinarióſque collatores in ſuis prouiſionibus hanc clauſulam (vel aliàs quouis modo) inſerere poſſe, inſcriptam vllas vires habere.: & ſuæ opinionis quoſdam auctores nominat. Molinæus tamen noſter non inutilem huius clauſulæ effectum exiſtimat, maximè in iis vacationibus in quibus poſſunt Ordinarij conferre : puta ſi per obitum collatum ſit ab Ordinario beneficium, & tamen per ſimoniam realem, aut matrimonium ipſo iure vacet; hæc clauſula ad vtramque vacationem extendenda erit. Hanc opinionem ſequitur Gloſ. Pragm. Sanct. in §. Quod monaſteria. in verbo, Aliàs quouis modo. tit. de cauſ. & citatur gloſ. opinio in prima aliàs 28. Rotæ deciſ. tit. de reſcript. in nouis n. 14. Et quia antiquitus hæc in dubium reuocabantur in 43. aliàs 273. Rotæ deciſ. de reſcript. in antiquis, Cancellariæ Apoſtolicæ miniſtri hanc clauſulam addiderunt (aut ex cuiuſcunque perſona), vt omnis dubitandi ceſſaret occaſio. Vera au-

tem huius opinionis decisio pendet ex illo Molinæi axiomate, vsu forensi Gallorúmque moribus recepto, Ordinariis concessum, quod in Iure moribus nostris recepto eis non prohibetur : sed Vltramontani contrà, Ordinariis concedunt, quod à Iure eis specialiter est concessum : inter vtrumque lata differentia. Consule Ioannem de Selua in tractatu de beneficiis, parte tertia, quæst. 7. & 8. de Episcoporum potestate, & in quibus possint dispensare. Admittunt Vltramontani Apostolis Episcopos successisse, & hæc communis sanctorum Patrum doctrina, at scriptum, Quæcunque ligaueritis, &c. Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos, &c. Si quid autem Petro nominatim & speciali quodam iure sit concessum, firmat in cæteris regulam generalem.

NVM. CCI.

Limito tertiò, vt prouisus per putatiuum modum vacandi obtineat, quando non habet concurrentem ex vero modo vacandi.

HÆc si vera sint, cur antiqui Patres laboriosè ita curarunt, vt Sacramentorum administratio, verum titulum canonicámque institutionem habentibus tantùm daretur ? si per titu-

lum datur poteſtas, cur non verus titulus deſideratur, cùm titulus ex falſa cauſa datus nullus ſit. Dic Molinæum id ſtatuere contra eos qui tituli beneficij non ſunt capaces, puta quando Parochiani contra Rectorem diſputant, quando redituum debitores ſolutionem denegant beneficiario propter tituli debilitatem, vel nullitatis præſumptionem: contra huiuſmodi homines coloratus titulus tantùm deſideratur. Coloratus autem titulus dicitur quotieſcumque ab Ordinario collatore emanauit, à poteſtatem habente conferendi; & cùm ij litigatores non zelo ducti, ſed propriis commoditatibus inſeruientes, beneficij titulum reuocant in dubium, audiendi non ſunt.

EOD. NVM. CCI.

Limito quartò, vt nec concurrens ex vero modo vacandi.

DECIDIT Molinæus, poſt triennalem cum colorato titulo poſſeſſionem non ampliùs de cauſa vacationis beneficij, ſiue falſa, ſiue nulla inquirendum. hæc enim triennalis præſcriptio ex colorato titulo procedens omnia confirmat, validat, & approbat, iuris præſumptione ex eo tempore vires plenámque probationem accipiente, vera omnia rite ſolemnitérque facta dicuntur. Sit autem coloratus titulus, cùm à legitimo collatore conferendi poteſtatem habente datus eſt, vel qui

erat in pacifica conferendi possessione, qui pro Ordinario collatore publicè habebatur.

NVM. CCII.

Limito quintò, etiamsi veniat infra annum, sed ex prætensa incapacitate defuncti.

NOTANDA hæc Molinæi opinio, quæ quotidie euenire potest: Ordinarij collatores conferendo per obitum eius qui remansit in pacifica beneficij possessione, non inquirunt capacitates vel qualitates defuncti, & possunt per obitum conferre, & vacat beneficium per obitum, non per defuncti incapacitatem. & inquit Glos. Pragm. Sanct. in §. Quod si talem. in verbo, Quandocunque. De pacif. possessorib. Qui est in pacifica beneficij possessione pro vero domino habetur & præsumitur, licèt in rei veritate non sit: communis error facit ius, cap. Consultationibus. De iure Patronat. Ordinariis autem multũ interest hoc speciali casu beneficia per obitum, non per incapacitatem vacare: si enim per incapacitatem, ius deuolutum esset aut ad Superiorem aut ad Summum Pontificem, & quotidie propriis collationibus priuarentur Ordinarij; quod facillimum, semper enim inuenirentur post obitũ quædam scedula, quædã conuentio simoniaca, quoddam instrumentum, quo de facili in persona de-

functi incapacitas induceretur: & in effectu omnia beneficia Sedi Apostolicæ reseruarentur. Qui igitur quantumcunque incapax pacificè possederit vel detinuerit beneficium, vacat per eius obitum, non per incapacitatem, & poterit per obitum conferre Ordinarius. His adde quamcunque incapacitatem, licèt ex crimine procedentem, sine declaratione ipso iure non priuare. Odiosum viuentis impetrare beneficium, & impetrantes non fauore, sed odio prosequi debere.

EOD. NVM. CCII.

Verum est, & sanè intelligendum quando defunctus modico tempore possedit: secùs si aliquot annis.

QVI incapacitatem allegat eam probare debet; & præsumptio est pro possessore pacifico. hæc enim sunt commoda possessionis. Per hæc verba (modico tempore) intellige si intra annum, ex eo enim breui tempore nulla inducitur præsumptio, secùs si post annum, vt ex regula De anna. possess. colligere licet. Quidquid sit, sufficit defunctum in pacifica cuiuscunque temporis possessione beneficij decessisse, vt dicatur beneficium vacasse per eius obitum.

EOD.

EOD. NVM. CCII.

Quasi non simplex præsumptio, sed præsumptio iuris & de iure.

Hæc vera sunt post obitum possessoris, nec admittitur probatio etiam per literas & instrumenta incapacitatis defuncti: iuris & de iure præsumptio repugnat, quæ non admittit probationem in contrarium: sufficit enim defunctum quodam tempore quietè & sine lite beneficium possedisse, vt per eius obitum vacare dicatur: secùs ante obitum, nulla enim cuiuscunque temporis possessio iuuat incapacem, vel coloratum titulum non habentem, contra quos impetrari possunt illegitimè possessa beneficia. hæc enim incapacitas iuris quæ priuationem inducit, aut tituli nullitas perpetuam malam fidem in iis spiritualibus caussis inducunt. Limita in resignante antequam lis inferatur, vt infrà dicemus.

EOD. NVM. CCII.

Quod procedit non solùm in fauorem prouisi per obitum defuncti, sed etiam per resignationem eius qui aliquot annis pacificè possedit.

Qvædam sunt crimina quæ de iure & facto ipso priuationem inducunt, quædam per sententiam seu declarationem : quæ tantùm per declarationem vel sententiam, resignationem non impediunt etiam in manibus Ordinariorum. & hæc vera sunt, & abundant hæc verba (qui aliquot annis pacificè possedit) : si enim ex crimine condemnatus pendente appellatione resignare potest, quanto magis ante accusationem ? & hæc communis opinio. vide quæ notauimus ad regul. De infir. num. 336.

NVM. CCIII.

Imò etiam si iam beneficia erant impetrata per incapacitatem, deinde possessor ante litem motam resignauerit.

Impetrantes iure deuoluto nullo fauore sed odio prosequendi sunt, ideo regiis constitutionibus cautionem iudicatum solui præstare tenentur. In contrarium publica vtilitas postulat, vt qui quietè & sine controuersia beneficia possident pro dominis habeantur, cum eis contrahere liceat seu permutare, ne tituli beneficiorum sint in incerto, & collatores seu patroni per obitum possessorum beneficiis prouidere possint, vt sup. num. 202. dictum fuit; aliàs fraudibus via daretur, nec vix beneficia per obitum

possessorum vacare possent, si de defunctorum incapacitate quæstionem mouere liceret post eorum obitum, nec tutò cum eis permutare liceret; omnia enim essent incerta propter præcedentes occultas prouisiones, quæ in lucem nisi post resignationem possessorum aut possessorum obitum non prodirent. Sed distinguenda sunt tempora. Iure quidem antiquo ex qualibet incapacitate ipso iure vacationem beneficij non inducente, impetrantes iure deuoluto non prouisionem simplicem, sed in forma iuris obtinebant, & desiderabatur sententia iuris declaratoria beneficium per talem incapacitatem vacasse, erátque iuris communis dispositio ex Gomes. ad regul. De ann. possess. quæst. 42. & ad regul. De subrog. collitigant. quæst. 7. Molinæo ad regul. De infirm. num. 385. & in qualibet incapacitate distinguebantur crimina quæ ipso iure vacationem inducebant, cum his quæ tantùm per sententiam: vt primo casu statim liceret beneficia impetrare, & collatoribus ordinariis non expectata sententia liberè conferre: alio verò casu sententia ius in beneficio, non prouisio tribueret. Ideò ante sententiam, aut saltem ante litem motam, seu eius contestationem possessores resignare poterant, etiam in necem & præiudicium impetrantium iure deuoluto, qui eo casu ius ad beneficium sub incerta spe vacationis futuræ post sententiam habebant, non autem in beneficio; & ea est Gomesij opinio in dicta quæst. 42. Nam

cùm agitur ad beneficij priuationem, possessor potest antequam priuetur renuntiare beneficio, ex communi Canonistarum sententia in cap. 2. De rescript. & doctrina Felini in cap. Inquisitionis. De accusat. cap. Cùm secundum, vbi omnes Canonistæ. De hæret. lib. 6. & sub ea Iuris dispositione lata in Senatu Parisiensi Senatusconsulta hîc à Molinæo recitata; & hæc Iuris dispositio confirmata fuerat Regia Aurelianensi constitutione art. 4. quæ nullam dubitandi occasionem recipiunt, si sine præiudicio tertij in beneficio ius habentis fiant. At nouo iure, Regia scilicet Blesensi constitutione art. 46. ex qualibet iuris incapacitate, etiam priuationem beneficij ipso iure non inducente, licita est beneficiorum impetratio & prouisio iure deuoluto etiam non expectata sententia iuris declaratoria; sed vt obuiam fraudibus eatur, eadem constitutione cauetur impetrantes per incapacitatem possessorum, intra tres menses à die adeptæ possessionis computandos, litem possessoriam contestari debere cum possessore, & post biennium eandem litem instructam, in eóque statu reddere vt iudicari possit, sub pœna nullitatis. Seruanda igitur hæc noua Iurisprudentia, quæ summa ratione nititur: Cùm enim ex prouisione in spiritualibus causis ius metiamur, & ab eo die ius in beneficio quæratur, durum esset quem non negligentem iure suo sibíque legitimè quæsito defraudari eo inaudito. Sed cùm hæc describuntur, quæ-

ſtio in Prætoriano Conſilio deciditur inter dominum de Rebets, & du Four ſuper poſſeſſorio Prioratus Conuentualis de S. Leu in Diœceſi Bellouacenſi Ordinis Cluniacenſis. Rebets Prioratum à Summo Pontifice iure deuoluto obtinuerat menſe Decembri 1606. propter ſimoniæ crimen per le Franc commiſſum: qui quidem le Franc cauſa permutationis prædictum Prioratum dicto du Four reſignat in Curia menſe Februario ſequenti: menſe Martio du Four, poſtea eodem menſe Rebets poſſeſſionem accipiunt. Du Four per rationes Molinæi & Senatuſconſulta ab eo recitata impetrantem à limine iudicij repellendum: Rebets in contrarium legitimo tempore poſſeſſionem ab eo adeptam; le Franc in præiudicium iuris tertio quæſiti permutare non potuiſſe, maximè cùm de crimine ſimoniæ ipſo iure priuationẽ inducente ageretur. Regia Bleſenſi conſtitutione etiam ad vitandas omnes fraudes, quæ ab impetrantibus iure deuoluto fieri poſſent, tantùm ſtatutum vt intra tres menſes à die poſſeſſionis adeptæ computandos, lis poſſeſſoria conteſtaretur, & poſt biennium omni ex parte ita inſtrueretur vt iudicari poſſet, ad alia non obligare; his omnibus plenè & ſine fraude ſatisfactum fuiſſe. Cùm de hac quæſtione ab amicis conſultus fuiſſem, exiſtimabam impetrantem iure deuoluto à limine iudicij non repellendum, imò ſimoniæ crimen probari poſſe, ſimoniæ factum admittendum, propter Regiam conſtitutionem

ius nouum in hac quæstione statuentem. Nihilominus du Four (non sine magna contestatione) victoriam obtinuit, & impetrantem iure deuoluto propter possessionem ante permutationem ab eo non adeptam à limine iudicij submouit mense Septembri 1607. domino Bautru more solito referente. At maior dubitandi ratio, an prouisiones quæ Romæ iure deuoluto obtinentur, sint in forma antiqua Iuris, vt puta, & committatur Ordinario priuatio iuris & de iure, vt causa cognita per sententiam contra possessorem latam inducatur beneficij vacatio, & postea impetranti conferatur. An noua Blesensis constitutio obseruanda, an iura antiqua. Existimantes nonnulli legem prouisioni seu donationi appositam obseruandam, maximè in iis prouisionibus ex se odiosis, hos impetrantes contra prouisionem experiri non posse, plus iuris non habere quàm eis concessum fuerit, Summum Pontificem non aliàs contulisse: in effectu nihil donatum, nec collatum ante expressam vacationem, verbo quidem perfici gratiam, si modò verba collationem inducant, has prouisiones, seu potiùs commissiones nec collationem, nec donationem continere; aliud vacans conferre beneficium, aliud vacaturum per sententiam: non tam Regni quàm Cancellariæ Apostolicæ stilum considerandum; in qua Cancellaria vsu receptum huiusmodi prouisiones ius ad beneficium tantùm tribuere, non in beneficio; resignationem non impedire; Re-

ſcriptum potiùs ad litem, quàm prouiſionem nominari, præparationem ad prouiſionem non prouiſionem eſſe imputandam impetranti, cui liberum fuit veram prouiſionem obtinere, aut reſcriptum ad litem ſeu futuram vacationem, vt ex 14. aliàs 491. Rot. deciſion. vt lite pendente in nou. colligere licet; impetrantes iure deuoluto odio proſequendos. Alij verò nouo iure noſtro antiquã Iuris diſpoſitionem correctam, regnicolas beneficiorum poſſeſſores ad conſtitutionis obſeruationem adſtrictos, non tam quod Romæ fit, quàm quod fieri debet ſpectandum; Regia Bleſenſi conſtitutione has impetrantium prouiſiones iure deuoluto immutatas, nec in poſſeſſorio iudicio ſeruandas, imò pro veris & puris prouiſionibus accipiendas, aliàs poſſeſſoriorum iudiciorum ordo immutaretur, & eluderentur Regiæ conſtitutiones ſuper beneficiorum poſſeſſorio editæ, & ſpiritualium quæſtionum controuerſiæ in petitorio, coram iudice Eccleſiaſtico deciderentur. Et vt in hac ardua & ſpinoſa quæſtione ſymbolum adferam, in his prouiſionibus iure deuoluto ſic obtentis animaduertendum, an ſint tantùm reſcripta, vt iudiciario ordine procedatur contra poſſeſſores beneficiorum ex crimine aliquo beneficij vacationem inducente, puta ſimoniæ, confidentiæ, aſſaſſinatus, vt lite ex omni parte inſtructa ſententia ſuper beneficij vacationem pronuncietur, & poſtea conferatur impetranti beneficium. Et hanc ſpeciem proponit Molinæus ſuprà

num. 381. ad regulam De infirmis resignantibus, & de ea constitutionem Blesensem non intelligendam ex verbis edicti patet, *tous deuolutaires ayant obtenu prouisions.* nec enim loquitur constitutio de rescripto ad lites ius ad beneficium, sed de prouisione ius in beneficio dante. At inter vtrumque lata differentia, imò talia rescripta ad lites criminaliter contra regnicolas in prima instantia in partibus auctoritate Apostolica instruendas, repugnant constitutioni Concordatorum tit. De caus. abusiuum namque est in Regno tam in criminalibus quàm ciuilibus causis contra regnicolas, quid in prima instantia auctoritate Apostolica mouere & intentare. Regnicolæ proprios & ordinarios habent iudices. Hæc in Concilio Constantiensi, Basileensi & Concordatis statuta fuerunt. De his clausulis, quæ sunt contra decretum De causis, vide Molinæum ad regulam De infirm. resignant. num. 46. 51. & 381. Adde talia rescripta futuram beneficij impetrati vacationem continentia reseruationem continere, scilicet vt obtenta sententia iuris priuationem continente conferatur beneficium impetranti. Sed per Constantiense & Basileense Concilia, & per Concordata tit. De reseruat. sublat. reseruationes omnes tam generales quàm speciales prohibitæ & damnatæ fuerunt, & in regno abusiuæ dicuntur, & ab executione horum rescriptorum posset tanquam ab abusu appellari. Si autem huiusmodi rescripta prouisionem beneficij contineant, sint rescripta gra-

gratiæ non iustitiæ, sint sub plumbo cum cordulis sericeis, non cannabinis expedita, nonobstante clausula priuationis beneficij impetrati condemnationem seu sententiam desiderante, obseruanda erit in possessorio beneficij impetrati Regia Blesensis constitutio, nec priuationis sententia desiderabitur. Rex enim possessoriorum iudiciorum etiam in spiritualibus controuersiis verus & solus dominus, hanc legem sua absoluta potestate imponere potuit. Si autem talia rescripta sint tantùm ad litem mouendam & iudiciario ordine instruendam, obtenta beneficij prouisionem non contineant, inutilia prorsus erunt in possessorio iudicio, non tantùm propter rationes prædictas, sed quia in his spiritualibus controuersiis nullus ad agendum in possessorio admittitur sine titulo, sine canonica institutione: & hæ lites à titulorum seu prouisionum editione & communicatione initium accipiunt, ex Regia constitutione. Hæc autem ad lites rescripta sub hac clausula expediri solent in Cancellaria Apostolica: Et committatur Ordinario priuatio seu declaratio priuationis in forma iuris, & provt de iure & de commenda in euidentiam. De his rescriptis ad lites seu prouisionibus sub hac forma Romæ expeditis, Et committatur Ordinario priuatio seu declaratio priuationis; vide Molinæum ad regulam De infirm. resignant. num. 381. Gomes. ad regul. Cancell. De annal. possess. quæst. 42. & ad regulam De subrogand. collitigant. quæst. 7.

&14. Rotæ decis. aliàs 491. sub tit. vt lit. pendent. in nou. hi omnes negant talia rescripta ad lites prouisionem continere, & ius in beneficio dare.

EOD. NVM. CCIII.

Dubitabatur an peruenissent ad notitiam possessoris.

ANTE constitutionem Francisci I. anno 1530. promulgatam citationes libellatæ non erant, id est petitionem non continebant: Ideo per citationem nulla fiebat interruptio, nec per citationem quis in mala fide constituebatur: & mala fides ex contestatione non ex libelli oblatione inducebatur. Vt autem res litigiosa dicatur, & eius alienatio prohibeatur, necessarium est litigium ad notitiam possidentis peruenisse, aliàs nulla mala fides præsumetur, sed probabilis ignorantia.

NVM. CCIV.

Etiam si quis veniat per verum modum vacandi ex capite spontaneæ cessionis.

SED cur eo casu, puta qui est in possessione resignare non potest, nulláque eius resignatio si infra 20. diem decesserit, vel resignatarius infra semestre non publicauerit. cùm in casibus

præcedentibus valeat resignatio, & qui iniustè detinet resignare potest sola possessionis contemplatione? Dic in iis duobus regulis de 20. diebus, & de public. beneficia resignata non per cessionem, sed per obitum vacare ex expressa legis dispositione.

NVM. CCV.

Tempus publicandi à quo tempore incipiat.

INVTILIS hodie hæc quæstio, cùm consensus eodem die præstetur quo gratia concessa fuit, & inter diem gratiæ & præstiti consensus nulla sit differentia: meliùs autem sex menses à die datæ computari deberent, si sit temporis differentia, cùm ab eo die perficiatur gratia, & præstatio consensus accedat ad gratiæ perfectionem, & in dubio principalis data prouisionis attendatur, ea scilicet quæ veram prouisionis gratiam concernit. ea est Molinæi sententia num. 213. 216. & 217. Adde consensus extentionem non esse in corpore signaturæ, sed à tergo quasi extra actum; ea est Gomesij opinio quæst. 7. ad hanc regulam n. 3. & ita in Rota iudicatum asserit. & notat Rebuf. ad hanc regul. Glos. 5. paragraph. 3. Summum Pontificem anno Domini 1540. hanc ambiguitatem enodasse, addendo huic regulæ hæc verba: A data supplicationis, non à die præstiti consensus

computandos : & ita in Senatu iudicatum notat Molinæus infr. num. 217.

EOD. NVM. CCV.

Niſi à die præſtiti conſenſus, qui etiam poſt obitum præſtari poteſt.

DVBITATVM fuit de viribus prouiſionum Apoſtolicarum, in quibus reſignantium procuratores poſt obitum reſignantis reſignationi conſentiebant: cùm procuratoris c[illegible] poteſtas per obitum conſtituentis, mandatũ re integra morte finiatur, nec plus poſſit procurator quàm qui eum conſtituit, & cùm ex ſtilo Cancellariæ Apoſtolicæ vltimus ſignaturæ per ceſſionem conceſſæ actus, ſit extentio ſeu præſtatio conſenſus, qui à tergo prouiſionum inſcribi ſolet. hæ omnes ſignaturæ, quæ poſt obitum reſignantium extendebantur, licèt ſub data anteriori ſcilicet conceſſæ gratiæ, in dubium reuocabantur, nec tam datam præſtiti conſenſus conſiderari debere, quàm tempus quo in rei veritate præſtatur. Poſſe quidem compilatores expeditionum, ſeu actuarij in Cancellaria Apoſtolica diem apponere extentioni conſenſus, quem ſibi voluerunt effingere, ſed veritati ſemper locum ſuperfore. Et iis rationibus quodammodo videtur aſſentire Chriſtoph. de Ruſiniac in Comment. Pontif. lib. 3. cap. 27. præſtationem con-

sensus ab eius extentione confundendo. Nihilominus contrarium obtinuit, & quamplurimis Senatusconsultis probatæ sunt prouisiones beneficiorum, in quibus consensus extentio facta est post obitum eiurantium sua beneficia: alio namque modo præstatur consensus, alio extenditur; aliáque ratio præstationis consensus, alia extentionis: & sufficit si viuo resignante præstitus sit consensus, licèt eo defuncto extendatur. Si quidem præstito per procuratorem consensu concessáque gratia actus perficitur: verbo perfecta gratia, cuius prouisio in forma redigi, & in modum reduci potest post obitum cedentis: Mors enim superueniens post actum perfectum, nil mutat, addit, nec detrahit. & dicunt nostri gratiam factam postea in scriptis redigi posse, vt de ea constare possit, non quòd scriptura quid substantiæ & essentiæ gratiæ addat, ex Glos. in ca. Institutionis, in verbo Præsentia, 25. q. 2. facit opinio Bald. in l. impetrata c. sentent. rescind. non posse: Statim, inquit, emisso verbo viuæ vocis gratia est perfecta quantum ad quidditatem & substantiam gratiæ: & Alexander Consil. 107. lib. 7. in vtramque partem quæstione agitata, tandem ex communi Doctorum opinione concludit, scripturam ad probandam gratiam necessariam, sed non ad essentiam gratiæ; huícque opinioni subscribit Molinæus noster in suis annotationibus ad dictum Consil. Alexandr. & hæc ita vera sunt, vt gratia concessa eiurati beneficij, signata suppli-

catione, litteris nondum confectis, inducat eius vacationem per obitum, non resignantis, sed resignatarij; & hæc est Archidiaconi sententia in cap. Si electio, in verbo, Ex eo. De elect. in 6. & Ioann. And. in principio lib. 6. Decretal. quorum opiniones probatæ fuerunt decis. Rotæ 882. in ant. sub. titul. De rescript. aliàs 87. eámque sequitur Molinæus num. 207. in fine.

EOD. NVM. CCV.

PRÆSTATIO enim consensus post mortem resignantis præstari non potest, ex decisione 4. aliàs 252. De renuntiat. in nouis. num. 15. Sed quid in executore gratiæ à Summo Pontifice concessæ, & an ante literarum confectionem, & earum traditionem gratia sit perfecta; vide quæ notauimus infr. num. 378. quæ in gratiæ executione obseruanda sunt, vt ex sequenti decisione 21. num. 3. & num. 5. colligere licet: delegata enim potestas scienti & consentienti tantùm acquiritur.

NVM. CCVII.

Cæterum solo verbo gratia perfecta est.

DICTVM fuit supr. num. 205. verbo gratiam perfici: Dixit, & facta sunt: fiat lux, & facta

est lux, quæ ad substantiam & essentiam actus seu gratiæ referuntur. Reliqua verò ad probationem necessaria sunt, vt & solemnitates & formæ requisitæ necessariæ, harúmque omissio actus nullitatem inducit.

EOD. NVM. CCVII.

Et ita semper practicari vidi.

Ex supradictis patet resignatarium verum dominum à die & momento concessæ gratiæ, ideo aperta regalia vacant omnia beneficia simplicia in Cancellaria Apostolica eiurata, licèt literis super eo non confectis, nec resignatione acceptata, quod notandum. Loquitur autem Molinæus de qualibet resignatione absque vlla distinctione. Quid de conditionali, quam in fauorem vocant, sub ea conditione facta, Si resignatarius eam ratã habeat? Nonnulli existimarunt ante acceptationem à resignatario factam resignantem in possessione & iure beneficij resignati remanere. Dic breuiter, aut resignatarius ratam non habet resignationem, ídque publico instrumento declarauit, tunc resignans in iure & possessione beneficij remanet: & hæc declaratio retrotrahitur, nullam reddit resignationem, ad talem punctum negotium reducit ac si resignatio non fuisset, beneficium non fuisset resignatum. Fallit in regalia quæ fictionem non admittit, factum potiùs quàm ius respicit, nec canonicis constitu-

tionibus adstringitur; sed suis viribus propriis & specialibus constitutionibus virescit. Aut verò resignatarius votum animi non emisit, sed incertum an acceptare voluisset, an repudiare: tunc iuris præsumptio est pro acceptatione, quæ in donatione potiùs præsumitur. Adde signaturam resignatarij supplicationẽ continere. Ideo eo casu vacat beneficium per obitum resignatarij; nil mutat resignationem sola resignatarij contemplatione factam, quæ suum non plenè sortita effectum, resignanti nocere non debet. sufficit enim resignationem semel admissam, & videtur resignatarius acceptasse cùm expressè non renuntiauerit.

NVM. CCVIII.

Tametsi moneretur & sciret Romæ etiam bullas expediri & tradi super instrumentis Notariorum sæcularium.

INTER Regiorum Notariorum & Apostolicorum munera, lata differentia; Apostolici & Episcoporum Notarij in rebus prophanis & temporalibus instrumenta conficere non possunt, & si confecerint pro nullis habentur, vt probat Caroli VIII. constitutio anno 1490. lata, & à Boërio recitata decis. 242. quam opinionem rationibus & auctoritate probat Rebuf. in suis commentariis ad Regias constitut. tractat. de litt. obligat.

gat. art. 2. Glos. vnica num. 37. & in stilo Parlamenti recitantur ab Aufrerio parte 7. sub rubr. de fide instrument. verba constitutionis Regiæ: Prohibens omnibus subiectis nostris laïcis ne habeant passari vel recipi facere contractus eorum per Notarios Apostolicos, vel Imperiales, vel Episcopales in materiis temporalibus & prophanis, alioquin nulla fides adhibeatur, reputabuntúrque nulli, &c. Possunt quidem in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, vt puta procurationes ad eiuranda beneficia, concordata beneficiorum permutationes continentia, prouisiones seu collationes beneficiorum, horúmque adeptæ possessionis instrumenta conficere, sacrorum ordinum literas, & solemniter emissa vota recipere, & attestari, graduatorum & aliorum expectantium requisitiones, attestationes, nominationes, insinuationes admittere, & de iis instrumenta publica conficere, si modò hi Notarij, vt Regia constitutione Henrici II. cauetur, sint intra numerum in qualibet Diœcesi statutum, probati ab Episcopo loci, registrati & immatriculati; in Diœcesi, non extrà negotium gerant. At verò Regij Notarij non solùm in temporalibus & prophanis negotiis instrumenta conficiunt, sed in aliis omnibus etiam spiritualibus negotiis quæ publico instrumento contineri & probari possunt. Ij enim Iudices Cartularij attestari in suo territorio possunt quæ ex regnicolarũ consensu coram eis geruntur, reiectâ prophanarum aut spiritualium rerũ distinctione.

NVM. CCX.

Sed duntaxat à die conſenſus.

HVNC nodum ſolue per præſtationem & extentionem, conſenſus eo die præſtatur quo gratia facta eſt, eóque momento; poſtea verò extenditur, vt ſuprà diximus num. 205. & malè Molinæus hîc vtrumque confundit.

NVM. CCXI.

Vt aduolauit curſor, ſaltem ſi attulit inſtrumentum mandati, ſcribitur tali hora, venit: & de eadem die datatur non ſolùm ſupplicatio.

RIDET hîc Molinæus quod Galli ex ſpeciali Gallicanæ Eccleſiæ priuilegio habent,& quo Galli Romæ tantùm vtuntur. Statim atque curſor aduolauit cum inſtrumento ad reſignandum, ſi de admittenda reſignatione; vel ſine inſtrumento, ſi de obtinendo beneficio per obitum, vel per incapacitatem agatur; illico in loco curſorum per perſonam publicam huic negotio præpoſitam, ſcribitur ſuper literis nummulariorum, hac die venit, eodémque momento inſtitores, ſeu expeditionum Cancellariæ Apoſtolicæ ſolicita-

tores suas literas ab ea persona publica recipiunt, & omnes materias in literis contentas ordine describunt. prima scilicet pro qua cursor aduolauit, reliquæ de die sequenti: quæ materiæ ita ordine suo per modum catalogi descriptæ à domino datario, de eadem data, aut diei sequentis, si trapezitæ ad vitandam datæ concurrentiam id postulauerint, signo proprio notantur: & per dictos solicitatores postea super dictis rotulis, seu catalogo supplicationes fiunt, quæ de eadem data à datario conceduntur. Cur autem hæc omnia instituta fuerint, ratio in promptu est, ne Romæ ab aliis quàm à regnicolis, obtineantur regni beneficia: vt Galli qui Romæ inseruiunt, in necem regnicolarum beneficia per cursores ordinarios & extraordinarios non suis sumptibus petentium, beneficia non obtineant: vt resignati beneficij gratia illico concedatur, nec per longas moras & inutiles dilationes resignantis mors expectetur. Et antequam hæc omnia in Cancellaria Apostolica eo ordine regnicolarum fauore instituta fuissent, regnicolæ, nec per cursores etiam extraordinarios, beneficia per obitum Romæ obtinere poterant; sed cùm primùm aduolat cursor, illico beneficiorum expilatores ambitiosi & famelici harpiæ præueniebant gratiam Summi Pontificis, cum trapezitis sordidarum nundinationum pactiones inibant, & miseri regnicolæ iis malis artibus miserè ita eludebantur. & tale priuilegium Romæ aliis quàm regni-

colis denegatur, & non omnibus regnicolis; his enim qui sunt in patria obedientiæ non conceditur.

NVM. CCXIV.

Impetrando beneficium viuentis, nec consentientis: & consequenter irregularis & inhabilis.

SI scienter aut ignoranter, etiam ignorantia probabili, vt suprà diximus, & ita cap. 1. & 2. De concess. Præbend. & regul. 21. de impetrante benefic. viuentis intelliguntur. & hæc est Gomesij opinio ad regul. Cancell. De impet. benefic. viuent. quæst. 3. Fallit in ignorantia crassa, quæ velum vel culpam in se continet, vt ibi probat Gomesius ex Decij sententia.

EOD. NVM. CCXIV. in fine.

Nec Papa dispensare potest, vt rectè tradit Gomesius.

VERVM quidem vt quis in futurum hoc non committat, nam inter delicta annumeratur, & est contra publicam vtilitatem sanctorum Canonum & Patrum decreta; nec Papa futura permittit delicta. & hæc est Gomesij opinio tam in q. 1. quàm 3. ad regul. De impetrant. benef. viuent.

Papa autem commissum tale delictum remittere, & super eo legitimè dispensare potest, & secundam prouisionem beneficij antea malè impetrati comprobare, si modò omnia Sanctitati suæ expressa fuerint, aliàs dispensatio nulla erit.

NVM. CCXVIII.

Nisi priùs legitimo & authentico mandato exhibito.

PROBAT Molinæus in notatis ad edictum Henrici II. contra paruas datas §. 12. Glos. 2. in verbo Maius, speciem falsitatis sine mandato ad resignandum eiurare beneficia in curia Apostolica, & seruatur in regno. Glos. Clement. 1. De procurat. in verbo Deceptis. nec quis procurator esse & dici potest antequam habeat mandatum ad resignandum, licèt tale mandatum iam sit confectum: & hæc est communis opinio ex 7. aliàs 145. Rotæ decis. De procuratoribus. in nouis. mandatum siquidem mandati contractum inducit: requiritur igitur consensus, qui ante mandati receptionem dici non potest, cùm procurator sit suæ potestatis ignarus: quod in executore à Summo Pontifice dato ad concedendam gratiam obseruatur; licèt enim gratia sit concessa, antequam tamen literæ executori sint concessæ, executoris cessat potestas. vt ex 20.

aliàs 458. Rotæ decis. colligere licet, sub titul. De concess. præbend. in nouis num. 2.

NVM. CCXIX.

Huiusmodi consensum post obitum præstari posse.

EXTENDI quidem potest, non autem præstari, cùm morte mandatum expiret, vt supr. docuimus. & ita sentit Molinæus infr. num. 221. in hæc verba, Aut quæris circa simplicem formulam confectionis bullarum, & potest præstari post obitum. Vide sup. num. 205.

NVM. CCXXI.

Dummodo tempore impetrationis non solùm verum subesset mandatum, sed etiam ad manus procuratoris peruenisset.

DIXIMVS supr. num. 218. procuratorem non dici, & ex Regia Henrici II. constitutione procuratorem Romæ supplicare non posse, nec beneficia eiurare, nisi præ manibus habeat mandatum ad resignandum. Ideo diligenter aduertant nummularij, vt cum materiis (vt aiunt) mittant mandata ad resignandum, & in libris suis de eo mentionem faciant: hæc enim omissio red-

dit nullam prouisionem. & ita seruatur. Sed an eo casu impetrantes damna & inrteresse contra nummularios obtinere possint: distinguendum, aut talia mandata seu procurationes traditæ legitimo tempore, aut non traditæ. Primo casu nummularij ad damna & interesse tenentur, cùm in iis quæ sunt sui muneris deliquerint; alio verò casu non tenentur, & potiùs partibus imputandum qui talia mandata non dando decipi voluerunt, quàm Bancario qui volentem & scientem decepit.

NVM. CCXXXIII.

Et sic in effectu remanet & stat conclusio, hoc tempus currere statim à die resignationis admissę.

IN prouisionibus Apostolicis inutilis hæc quæstio, cùm eo momento eadem carta admittatur resignatio, & illico conferatur, nec inter admissionem resignationis & prouisionem vlla sit datæ seu temporis disparitas. In prouisionibus verò Ordinariorum collatorum rarissimè euenit vt alio momento admittatur resignatio, alio beneficium conferatur, nisi fraudis intentione id fieret: hoc tamen si eueniret, diem collationis metiendum existimarem, cùm tantùm ab eo die detur titulus: mensis enim dilatio à lege concessa vtilis esse debet, ab eo die computanda, quo

publicare licitum fuit, nec antea cùm ad impoſſibile lex obligare non poſſit : & cùm lex collationem publicari intra menſem deſideret, præſupponit neceſſariò collationem iam factam. Sed alia mouetur quæſtio : ſolent Ordinariorum ſecretarij diem traditionis à tergo collationum apponere, an ab eo die menſis ſpatium computetur, an à die collationis, lata enim inter vtrumque differentia. Qui à die traditionis numerant menſem, ea ratione mouentur non poſſe publicare ante traditionem, inutilem dilationem ſi poſt menſem aut paulò ante detur tantùm collatio: menſem ab eo die computandum quo publicare potuerunt; quæ autem tempora traditionem præceſſerunt, planè inutilia. Contrarium exiſtimo, & menſem à die collationis numerandum ; ab eo die perfecta collatio, ius plenè quæſitum, imputetur beneficiario ſi tempore legitimo collatio ei tradita non fuerit, ſi paulo ante menſem tradita, vigilet & conſideret dilationis diem proximum : Menſis enim ille ad omnia peragenda conceditur, quæ collationem ſequuntur. fallit ſi caſu fortuito, aut alio impedimento legitimo collatio intra menſem tradita non fuit : Idem in prouiſionibus Apoſtolicis, quod in Prætoriano Concilio iudicatum fuit pro Prioratu *de Bonnes Nouuelles* in ciuitate Rotomagenſi, cuius prouiſiones ſeu Bullæ amiſſæ fuerant, & ordinarius curſor in itinere occiſus : hæ namque legales induciæ vtiles ſunt conceſſæ, vt inceptum opus perficiatur,

tur, non vt decipiantur, aut ad impossibile obligentur Ecclesiastici. Quid si extraordinarius cursor Romæ conuolando admittendæ resignationis, aut obtinendi beneficij causa, in itinere perierit aliquo fato, aut impeditus impedimento legitimo Cancellariam Apostolicam adire non potuerit, cùm supplicanti nil imputari possit, an optata debeat obtinere, & non posse multoties iudicatum? alia enim fortuitorum casuum ratio in quærendis, alia in quæsitis amittendis, quod Molinæus probat infr. num. 238. in fine & num. 240. & 242.

NVM. CCXXXIV.

Limito 2. si resignatio sit admissa ad finem vnionis.

SI enim in vnione legitimè facta haberet locum regul. De public. contrarium vnioni produceret effectum, cui nil tam repugnat quàm beneficij vacatio: vnita enim beneficia ita accedunt beneficio, vt ex se ampliùs non subsistant, nomen & qualitatem amittunt, vacare ampliùs non dicuntur nisi cum ipso principali beneficio cui facta est vnio.

EOD. NVM. CCXXXIV.

Non est beneficium impetrabile

per eius obitum, & multo minus per resignationem, donec vnio speratur.

Si modò vnionis materia ita sit disposita & præparata, vt res ampliùs non dicatur integra, quod de vera seu perpetua vnione intelligas, & Ecclesiarum contemplatione facta. tunc enim publica illa Ecclesiarum vtilitas priuatam collatorum commoditatem superat, nec possunt patroni seu collatores vacantia illa dicere beneficia, quæ iam vnioni consecrarunt. Vnio enim vacationem excludit.

EOD. NVM. CCXXXIV.

Quando vnio fit in perpetuum in fauorem & commodum certæ Ecclesiæ in proprietatem: secus si fieret fauore certæ personæ.

Vnionvm diuersæ species à Iure Canonico introductæ sunt: quædam perpetuæ fauore Ecclesiæ factæ, vt in cap. Exposuisti. de Præbend. in hæc verba, De capellis in perpetuum annectendis. Aliæ temporales ratione personarum, cap. 1. Ne sede vacant. & morte expirant. cap. Quoniam Abbas. de off. deleg. Quædam etiam temporales ratione Ecclesiarum, cap. Quia. De relig.

domib. cap. fin. De Paroch. Sed ex iis omnibus perpetuas tantùm in regno agnoſcimus vniones, quæ ſcilicet Eccleſiarum vtilitatem perpetuam ſpectant, ex Gloſ. Pragm. Sanct. in titul. De reſeruat. ſubl. §. vlt. in verbo Exemptis. Aliæ enim verè nec propriè ſunt vniones, imò potiùs reſeruationes, perſonas non Eccleſias conſiderantes. Quod probat Rebuf. in Praxi benefic. titul. De vnionibus num. 9. Et ſi verba regiæ Aurelian. conſtit. art. 16. & Bleſenſis articul. 22. & 23. ſpectes, loquuntur tantùm de vnionibus factis in perpetuum, contemplatione Eccleſiarum. & ita in Senatu ſeruatur.

EOD. NVM. CCXXXIV.

Et ad vitandam pœnam de multa, extra. de Præbend. vel extrauagantis Execrabilis, quia tunc locus eſſet huic regulæ, vt in reſignatione facta in fauorem certæ perſonæ.

Ex his licet colligere vniones temporales ſola perſonarum conſideratione factas, ad inſtar collationum ſeu prouiſionum metiri, & cauſis vacationum, & deuolutionum ſubiici. Ideo vacant per obitum, per incapacitatem obtineri poſſunt beneficia ſic perperam vnita. Imò à talis

vnionis executione abusus nomine appellari solet, beneficiúmque sic vitiosè vnitum impetrari: quod in regno obseruari testatur Rebuf. in Praxi benefic. titul. De vnionibus benef. num. 45. & 47. hæ siquidem personarum contemplatione factæ vniones per Concilium Constantiense damnatæ fuerunt, & postea in Concil. Trident. sess. 7.

EOD. NVM. CCXXXIV.

Limito tertiò eadem ratione, quando permutatio fieret cum decreto ex causa vtilitatis, &c.

NOTANDA hæc verba (cum decreto ex causa vtilitatis vel necessitatis Ecclesiæ), tunc enim eadem publicæ vtilitatis ratio militat, & quæ reiicit priuatam collatorum ordinariorum commoditatem. Hæc est permutatio quæ non ad supplicationem compermutantium, sed Episcopo, aut alia persona publica pro Ecclesiis, non pro personis postulante: & appositè decretum desiderat Molinæus, ab eo enim die ius Ecclesiis quæsitum fuit vacationem per obitum impediens. Sed in hac ferrea ætate nobis incognitæ hæ permutationes: vnusquisque quærit quæ sua sunt, non quæ Domini.



NVM. CCXXXVIII.

Et fauore collationum quæ per obitum possessorum fiunt.

HÆC regula collatorum ordinariorum & patronorum iura conseruare voluit, & veros beneficiorum dominos, per actualem possessionem designare. ídque in odium eorum qui cùm possidere possent, id contemnunt vt beneficia perpetuent. Tutius autem per possessionem quàm per titulum eo casu vacationem inducere: tituli incerti omitti, supprimi possunt, arduis & spinosis iuris quæstionibus subiiciuntur; at possessio meri facti omnium oculis subiicitur, huiúsque facilior probatio.

NVM. CCXXXIX.

Tum quum hæc regula lata sit, in rem resignatarius ab initio nihil prorsus iuris acquirit.

AD instar donatariorum, qui cùm solemnitatem insinuationis à lege Regia introductam non obseruauerint, donationem amittunt; si quidem huius solemnitatis omissio nullitatem inducit, & actum resoluit.

NVM. CCXL.

QVAMVIS minori 25. annis quandoque subueniatur, in beneficiis tamen in restituendis minoribus alia est ratio lucri cessantis, alià damni emergentis, & difficiliùs in lucro restituuntur, vt multis auctoritatibus hîc probat Molinæus. At in spiritualibus causis non ita minores restituuntur. Boërius decis. 350. aliam rationem minorum ante 14. annum, aliam post 14. existimauit, vt ante 14. annum faciliùs restituantur. Sed verior Glos. Pragm. Sanct. opinio. titul. De pacif. possess. in prooemio, in verbo Impedimenti in fine. In iis spiritualibus causis minores nullo casu restitui, in iis minorès censentur maiores, cap. Ex parte. De restit. spoliat. in iis sunt sui iuris, sicut filij familias in castrensi peculio. Non tamen negauerim minoribus in iis spiritualibus causis subueniendum, si quid cum eis sordidè vel dolosè actum fuerit, & faciliùs impuberibus qui tueri se non possunt. Hoc ex variis causarum figuris iudicari solet, vt refert Molinæus. Nec omittenda Philippi Probi verba ad dictam Glos. Pragm. Sanct. Vnum tamen tibi dico, quòd nunquam vidi nec auribus percepi quòd hoc in casu provt nec in aliis spiritualibus, minor fuerit restitutus. quæ vera sunt cùm de capacitate personæ, acceptatione, vel resignatione beneficij agitur, cùm quid geritur quod sit iuris Ordinarij, quæ in iis benefi-

ciis communiter fiunt, & fieri solent: tunc enim minores quasi iure communi vtentes, non restituuntur. Fallit cùm de iuribus & reditibus beneficij mouentur controuersiæ, tunc enim seruatur dispositio, cap. Si annum agens, De iudic. in 6. vt ante 14. annum detur curator, post 14. annum completum proprio nomine se tueri, agere & defendere possint minores.

NVM. CCXLII.

Necessitas enim excusat à formali satisfactione verborum, ex quo menti regulæ satisfit.

AD impossibile nulla lege obligantur regnicolæ: leges enim sunt rerum quæ fieri possunt. Notanda hæc vltima Molinæi verba: Quæcunque enim sit necessitas, aut alia impedimenti causa, semper intentioni regulæ est satisfaciendum. Ideo prudentiores solent Iudices locorum adire, & ab eis obtinere vt alio faciliori loco publicatio fiat, seu legis solemnitas adimpleatur. Necquem hæc propria auctoritate executioni mandare existimo, cùm causæ cognitionem desiderent. & nouissimis bellorum ciuilium temporibus iudices ordinarij & suprema tribunalia in vicinis locis possessionem adipisci, & prouisiones publicare concedebant. & hæc est Lud. Gomes. opinio ad hanc regulam De public. quæst.

13. & id in Rota multoties iudicatum testatur, siue ratione loci, siue ratione temporis à regula præfiniti.

NVM. CCXLIII.

Conuincatur dolo vel fraude per se, vel per alium impediuisse resignationem & collationem aduersarij publicari.

EX proprio dolo vel culpa quem lucrum sentire in necem alterius iura non patiuntur; & sæpissimè in supremis Franciæ tribunalibus iudicatum contra collatores seu patronos Ecclesiasticos, qui Romæ sua auctoritate beneficiorum resignationes admitti impediebant, per verbum in registris datarij appositum (nihil transeat): hæc inconsulto Summo Pontifice turpis lucri causa committuntur. Ideo per arresta Curiæ & magni Consilij Sacerdotes in dignitate constituti delegantur, qui à die denegatæ resignationis prouisiones concedunt, cum clausulis ex stilo Cancellariæ Apostolicæ apponi solitis. Hoc iudicatum pro Præpositura Andegauensi in Ecclesia sancti Martini, pro Præbendis Ecclesię Cœnomanensis viuente Cardinali de Rambouïllet Cœnomanensi Episcopo, pro Prioratu de Lyons Ordinis Cluniacensis; iis omnibus senatusconsultis iudicatum hæc verba (nihil transeat) extraordinaria contra publicam regnicolarum

colarum libertatem. Idem dicendum cùm illicitis artibus prouisionum publicationes & possessiones impediuntur, vt hîc docet Molinæus.

EOD. NVM. CCXLIII.

Secùs si tantùm doceretur de facto defuncti resignantis.

Si modò collatoris factum non accesserit, nulla inter resignantem & collatorem fuerit collusio, aliàs contrà.

NVM. CCXLV.

Si verò resignatarius in fauorem repudiat viuo resignante:

DICTVM fuit suprà, resignationibus in fauorem inesse conditionem, si modò resignatarius acceptet: ideo eo renuente nil prorsus actum est, nulla resignatio: metiendum negotium ac si nulla præcessisset resignatio, hoc est resignantem ipso iure & ipso facto in beneficio remansisse, vt hîc probat Molin. Nouus titulus, noua possessio non desideratur: ex quibus verbis colligere licet continuari possessionem, nec interrumpi ad quærendum priuilegium De pacific. possessoribus, non enim tituli & possessionis vlla fit mutatio. quod notandum in iure regalio-

rum, quo requiritur beneficium de iure & de facto repletum esse (vt aiunt Regalistæ) vt regaliorum legibus non subiiciatur.

NVM. CCXLVI.

Sed si resignans mortuus fuerit infra tempus huius regulæ, tunc adhuc penderet collatio resignatarij, & non posset interim Ordinarius conferre.

EX iis colligere licet resignationem in fauorem factam ante resignatarij acceptationem pendere, & esse in suspenso, donec resignatarius expressè vel tacitè voluntatem suam declarauerit; ad instar prouisionis absenti factæ: eóque tempore cessat omnis præuentio Papæ, cùm res non sit integra, ius in beneficio quæsitum sit, vt suprà pleniùs diximus.

NVM. CCXLVII.

Cùm enim contigerit mors possessoris in eorum mense.

HÆC enim resignatarij declaratio, per quam acceptat beneficium, vel beneficio renuntiat, habet effectum retroactiuum, puta si acce-

ptauerit, ius quæritur à die admissæ resignationis, media coniunguntur, quælibet collatio medio tempore per obitum facta nulla est: fingit enim lex non vacasse beneficium, nisi per resignationem: quòd si repudiauerit, vacauit beneficium per obitum resignantis; à die mortis, non declarationis resignatarij computatur vacatio. Si igitur resignans decesserit in mensibus graduatis affectis, beneficium eis debebitur, licèt alio mense declaratio resignatarij facta fuerit, & hæc est Molinæi sententia infrà num. 248.

NVM. CCXLVIII.

Tum quia ibi resignatio erat pura & omnino valida.

ALIVS conditionalis, alius puræ & simplicis resignationis effectus. Primo casu resignatarij acceptatio desideratur, antequam ius in beneficio quæratur: alio casu purè vacat beneficium purè resignatum, & ab eo die resignans ius & possessionem amittit, detentor est, non possessor, triennalis possessio ei prorsus inutilis, cùm titulum non habeat.

NVM. CCXLIX.

Limito vt procedat quando resignatarius nunquam accepta-

uit, nec expreſſè nec tacitè.

CVm ex iuris communis diſpoſitione faciliùs donationum acceptationes præſumantur, quàm repudiationes, procliuior ſit vnuſquiſque ad donationem acceptandam, propriis commoditatibus vnuſquiſque ſtudeat; tacitæ beneficiorum reſignatorum acceptationes de facili inducuntur, præſumptæ acceptationes ſufficiunt. & licèt in hypotheſi expreſſam Molinæus acceptationem deſiderauerit, puta in retentione penſionis, quæ ſine expreſſa conuentione fieri non poteſt; tamen præſumptæ acceptationes recipiuntur, vt plenè ius quæratur reſignatario: vt puta in Prioratu Conuentuali, ſi facta ſit vitæ & morum reſignatarij atteſtatio, ſi reſignatarius fidei profeſſionem fecerit ad effectum obtinendæ prouiſionis, ſi mandatum ad reſignandum nummulario dederit, ſi procuratorem ad accipiendam poſſeſſionem conſtituerit, his omnibus caſibus morte aut incapacitate reſignatarij, qui ſic tacitè acceptauit, vacat beneficium.

EOD. NVM. CCXLIX.

Nec valebat hæc declaratio ſi conualuiſſet.

DECLARATIONES quæ à reſignatariis fiunt, acceptationem beneficij reſignati, vel repudia-

tionem continentes, fraudis suspicionem sæpissime continent: ideo insinuari debent ex Regia Henrici II. constitutione, aliàs viribus non subsistunt, & nullæ dicuntur, nec impediunt vacationem beneficij per obitum ciuilem vel naturalem resignantis: procedit enim hæc Regia constitutio cùm de falsi vel fraudis suspicione quæritur.

NVM. CCL.

Item secus si sint suspiciones fraudis continuatæ.

QVIA vetita beneficiorum successio, omnes viæ quibus ad eam perueniri potest damnatæ, contra sanctorum Patrum decreta fiunt. Ideo Molinæus ex duabus præsumptionibus plenam fraudis probationem inducit. Difficile quidem præsumptionum probationibus legem certam imponere: pendent ex variis causarum figuris, in quibus multum potest Iudicis officium: Vna aliquando violenta ex re ipsa procedens probat, aliquando duæ fortiter vrgent & probant: communiter verò tres requiruntur, l. procul. de probat. ff. Vide Molinæum infrà num. 252. in fine in hæc verba: Res est disputatione indigna, cùm ter sibi ab eodem resignari fecerit.

NVM. CCLVII.

Quibus nonobſtantibus, dicendum hanc regulam locum habere in collatione Ordinarij.

EX verbis & mente regulæ De public. patet regulam locum habere in Ordinario collatore: nil mutat variare non poſſe collatorem, nec reprobare quod ſemel probauit. fingit enim regula beneficium non per reſignationem, ſed per obitum vacaſſe, fingit nullam prorſus primam reſignationem ſeu collationem, & hæc collatio actum reſolubilem continet, ſi huic regulæ non ſit ſatisfactum, eo quòd reſignatio reducitur ac ſi reſignatum non fuiſſet. Verbum autem (collationes) in dicta regula appoſitum, Ordinariorum prouiſiones continet, ex communi vſu loquendi, Pontificis Summi vel Legati prouiſiones, Ordinariorum verò collationes dicuntur. & quòd hæc regula locum habeat in quacumque Ordinarij ſeu conferentis collatione probat Rebuf. in Praxi benefic. ad hanc regulam gloſ. 6. hæc enim verba huius regulæ (ſi verò extra Curiam factæ) indefinitè prolata in quocumque Ordinario extra Romanam Curiam conferente locum obtinent. quod confirmat Molinæus noſter in ſuis notatis ad paruas datas §. 14. in B. in verb. Par reſignat. & ipſe Gomeſius in vlt. quæſt. ad hanc regulam.

Verba regulæ (extra Curiam) de omni resignatione quæ fit in partibus intelligit; & ita seruatur.

NVM. CCLX.

Sed vt exeat in communem & publicam notitiam in loco.

IGITVR Episcopo aut collatori innotescere, publicare non est, nec solemnitatem legis adimplere, quæ in forma specifica obseruari debet, cùm sit ex essentia, & nonobstantè tali notione vacabit beneficium per obitum resignantis, post sex menses aut mensem in possessione decedentis: & licèt vnicuique notorium esset resignatarium prouisionem Romæ obtinuisse, hæc notorietas publicationem non operabitur: imò si possessio adepta fuisset, non tamen publicata, regulæ non esset satisfactum, quæ possessionem non tam considerat quàm publicationem, à qua denominationem tanquam à digniori accepit. Vide Molinæum vsque ad num. 265.

NVM. CCLXVI.

Quod est potiùs signum possessionis, quàm possessio.

EST possessio iuris non facti, quia tunc possessio iuris publica & publicè continuata, publicationi & formæ huius regulæ æquipollet.

NVM. CCLXVIII.

Et sic cùm non sit resignans mortuus in possessione.

EX iis omnibus colligere licet cessare regulam De publicandis, cùm resignatarius tempore mortis resignantis est in vera & actuali beneficij possessione: cùm resignans nec iuris nec facti vllam habet possessionem, nec naturalem nec ciuilem: cùm nil agit resignans vt possessor eiurati beneficij præsumi aut dici possit, tunc enim cessat principalis causa regulæ, resignantem mortis tempore possidere. quæ indubitanter procedunt cùm resignatarij publica est possessio, non occulta, non fraudulenta, cùm realiter non imaginariè possidet resignatarius. Secùs si possessionis adeptio fraudis præsumptiones contineat, si clam coram tribus vel quatuor testibus domesticis vel familiaribus facta, potiùs ad iuris conseruationem quàm ad verè possidendum & fructus beneficij percipiendum: Si resignans exquisitâ fraude simulatum conductionis titulum à resignatario obtinuerit, & ex eo putatiuus possessor à pluribus habitus sit; tunc enim regulæ non est abundè satisfactum, publicationis omissio reddit resignationem eo casu nullam. Discant fraudatores meliùs negotiari. & hæc est Molinæi sententia num. 263. in hæc verba, Etiam ab eo condemnatæ: &

& per alia verba : Si resignans in eodem manserit putatiuus possessor, & in ea reputatione decesserit.

NVM. CCLXX.

In qua erat scriptum, Missa 13. Octobris, vnde inferebat illam signaturam non fuisse admissam nec subscriptam à Papa nisi mense Octobri.

HOc ridiculum, nec vlla affinitas inter datam gratiæ & datam missionis ad registrum, omnino inter se differunt, nílque commune habent. Sed gratia tam perfecta in scriptis redacta per Officiales Cancellariæ Apostolicæ correcta & approbata mittitur ad registrum supplicationum tali die.

NVM. CCLXXI.

Sed de hoc videlicet an bullæ leuatæ sint parum curatur.

DOcvimvs supr. resignationes beneficiorum fieri posse gratia facta, bullis non obtentis; quanto magis si sub simplici signatura obtenta sit prouisio, cùm in bullarum obtentibne regnícolæ magnis onerentur sumptibus, nec mi-

nor sit gratia sub simplici signatura quàm sub plumbo: in vtraque Summi Pontificis æqualis gratia, auctoritas, & potestas. Vide supr. ad regul. De infirm. num. 308. in adit. Vide Ruzeum tract. regal. priuileg. 4. num. 15.

NVM. CCLXXIV.

Sed nec dimidiam vel auctore Papa reseruari, sed tertiam dumtaxat.

DICTVM fuit suprà, pensiones super fructibus beneficiorum tertiam partem excedere non posse, reliquas fructuum partes esse loco legitimæ, tam pro alimentis quàm ad sustinenda beneficij onera; hanc regulam in regno seruari, nec etiam permutationum prætextu eludi posse. hac de re citat arrestum Rebuf. in tractat. De pacific. num. 116. & in Praxi beneficiorum tit. De reseruat. tam generalib. num. 17. & 21. Dubitarunt nonnulli an hæc in patria obedientiæ locum obtineant; existimantes Summum Pontificem vsque ad mediam fructuum partem pensionem creari posse, vt in Britannia. Ita sentit Boërius decis. 2. in fine, & nonnullis sui Senatus Burdegalensis senatusconsultis iudicatū asserit, quem pro auctore citat Rebuf. in Praxi benefic. titul. De reseruat. tam generalibus quàm specialibus subl. num. 13. quasi verò hæc patria obedientiæ mandatis seu præceptis Apostolicis magis subii-

ciatur, in his obedientiæ partibus voluntas Summi Pontificis ſit pro lege, mandatum pro ratione. Sed hæc omnia reiicit Molinæus, & hanc patriæ obedientiam regni legibus & conſtitutionibus ſubiici docet.

EOD. NVM. CCLXXIV.

Si qualitas beneficij, puta Parochialis, exigat.

PENSIONES ſuper fructibus Parochialium Eccleſiarum obtinent inter reſignantem & reſignatarium: aliàs vt abuſiuæ reiiciuntur. Idem in aliis beneficiis curam animarum habentibus: & nouo iure reſignatarij penſionis ſolutionem impugnantes, aut beneficio cedere, aut penſionem ſoluere tenentur. Vide quæ notaui ſupr. ad regul. De infirmis num. 13.

EOD. NVM. CCLXXIV.

In qua diſtributiones quotidianæ non computantur.

DISTRIBVTIONES quotidianæ præſentibus tantùm debentur, ex Gloſ. in Clement. Vt ij qui. in verbo, Pars dimidia. De ætat. & qualitat. Nec Canonicis debentur qui ex priuilegio præbendarum fructus percipiunt, vt aulæ Regiæ Ca-

pellani, quos Senatus Parisiensis ab iis diurnis sportulis priuauit 4. Cal. Aprilis 1575. Vassorio & Capitulo sancti Vulfrannij Pontinensis ciuitatis contendentibus. Et Glos. Pragm. Sanct. titulo De annat. in §. Valuit, in verbo Fructibus, in fine, negat, fructuum appellatione distributiones quotidianas comprehendi. hoc enim odiosum, & cùm Summi Pontifices necessitate Ecclesiæ suadente decimas fructuum petierint, à fructibus distributiones has exceperunt, & meritò. & eadem Glossa Pragm. Sanct. titul. Quo tempore quisque debeat esse in choro. in verbo Actualiter, in fine, negat Canonicis etiam pro vtilitate Ecclesiæ absentibus deberi: igitur in reditus non venient, nec in tertia parte fructuum computabuntur, & hæc est Molinæi opinio, & hæc est doctrina Rotæ in 8. aliàs 134. decisio. tit. de Præb. in nou. Ideo ex communi Doctorum opinione distributiones quotidianæ in beneficij reditu nec valore computantur, vt in addition. Ibi declaratur, in verb. Distributiones quotidianæ. & si attentè verba Regiæ constitut. Blesensis artic. 23. considerentur, in hæc verba, *auec la distribution quotidienne*, hæ distributiones quotidianæ à fructibus & reditu distinguuntur. Aliquando distributionum quotidianarum verbo veniunt fructus Præbendæ, vt docet Rebuf. in Glos. Concordat. titul. De collat. §. 1. in verbo Distribut. Ex quo §. malè nonnulli argumentantur de præbenda Theologali, cui etiam in absentia distributiones debentur. id enim fit

propter alia verba §. Habetur Theologus pro præsente, ita vt nil perdat. Et qui in fructuum restitutione præbendæ condemnatus est, has quotidianas distributiones non restituet; secus si in damnis & interesse, tunc quælibet distributiones venient: ita conciliantur duo senatusconsulta Parlamenti Parisiensis, à Lucio recitata Placitor. lib. 2. tit. 4. Arresto 10.

EOD. NVM. CCLXXIV.

Non tamen ob id rescinditur permutatio, vel resignatio, sed immoderata pensio ad congruum modum trientis ad minus.

HÆC duo axiomata excessiuam pensionem reducendam, pactionem resolutionem actus continentem, vitiosa & abusiua sic teneas, vt semper ad tertiam partem fructuum fiat reductio, ad resolutionem actus agere non liceat, nonobstante quacunque pactione apposita, vt illicita & immoderata pensio debeatur, fiat indirectè. quod de iure, publica Ecclesiæ vtilitate suadente, prohibetur. & hoc in regno obseruari docet Ioann. Nicol. Delph. in suo tractat. Iuris-patronat. lib. 1. num 94. Vide Boër. decis. 162. num. 4. Fallit inter resignantem & resignatarium, propter bonam fidem, vt supr. dictum fuit, & Arresto pro Abbatia de Ferreriis confirmatum.

EOD. NVM. CCLXXIV.

Etiam per poteſtatem ſæcularem reducitur.

IMMODERATA penſio reducitur per ſæcularem poteſtatem, non per Eccleſiaſticam iuriſdictionem: penſio ſiquidem eſt quid temporale, ſpiritualitatis nil habens, ex Panor. in cap. Ad audientiam. De reſcript. Ideo vetita penſionis permutatio cum beneficio, ex Gloſ. Pragm. Sanct. titul. De collat. in §. Item quod Vniuerſitates. in verbo Beneficiorum. circa medium. cap. finali De rerum permutat. Vide Rebuf. tract. de pacific. num. 132. Imò tenet Ioann. Nicol. Delphina. in ſuo tractat. Iuris patron. lib. 1. num. 77. penſionem legitimè creatam ſola partium voluntate remitti poſſe.

NVM. CCLXXVII.

DIXIMVS ſuprà penſiones his tantùm dari poſſe qui beneficia obtinuerunt, & in eorum eiuratione penſionem tantùm creari, aliàs nullas & abuſiuas. & hæc eſt praxis Galliæ. Et de tribus caſibus in quibus creari poſſunt penſiones, citat ſolemne ſenatuſconſultum Rebuf. tract. De pacif. num. 110. Pro bono pacis quando litigioſum eſt beneficium: in reſignatione, vt non pa-

tiatur dispendium resignans: & in permutatione propter redituum inæqualitatem. Sed noua Cancellariæ Apostolicæ auctoritas in beneficiis consistorialibus ius nouum abhinc decem annis magno cum Ecclesiæ damno introduxit : cuique enim etiam laïco datur pensio , nec ad immoderatas reducendas datur actio. Sed tantùm queritur de voluntate Regis nostri & Papæ auctoritate, quibus in vnum conuenientibus licita dicitur pensio. Antiqua tamen iura in aliis collatiuis beneficiis obseruantur.

EOD. NVM. CCLXXVII.

Non enim potest Papa facere quod transeat ad hæredem.

PERSONALES merè sunt hæ pensiones, cum persona extinguuntur, & ex stilo Cancellariæ Apostolicæ apponi solet clausula (quoad vixeris). Probus tamen in addit. ad Glos. Pragm. Sanct. in §. Quod Vniuersitates, in verbo Beneficiorum, num. 6. De collat. Solent, inquit, de persona ad personam transferri per Papam : tamen translationes has Gallia non recipit ; nec eo vtitur iure nisi in patria obedientiæ, in Prouincia vel Britannia : & de iis pensionibus quæ transferri possunt, meminit Rot. decis. 210. titul. De rescript. in antiquis, quæ est 39. De simili pensione loquitur Rebuf. titul. De pacif. possess. num. 92. Sed licèt Nico-

laus Delphin. Canonicus in Ecclesia Auenionensi in suo tract. de iure Patronat. lib. 1. num. 81. Papæ partes tueatur, nihilominus tamen pensiones transferri contra earum naturam & Ecclesiæ vtilitatem existimat, & pro auctore citat Gomes. ad regul. De infir. quæst. 16. cum Molinæo sentientem has translatorias pensiones reprobandas. Et quod Molinæus ad regul. De infirm. num. 13. de pensione reali loquitur, & ad successores transitoria, id intelligendum & limitandum in patria obedientiæ, in qua iure quodam speciali ex Henrici II. constitutione in Britannia publicata vsúque recepta hæc obtinent: & quod antiquo iure in patria obedientiæ toleratum fuit, hodie noua quadam iurisprudentia in priuato Regis Consistorio dispensatorio quodam Apostolico priuilegio introductum, pensiones super consistorialibus beneficiis canonicè creatas non personales, sed reales esse, nec morte extingui, sed in Regis nostri dispositione remanere. quod de pensionibus à Regia liberalitate procedentibus intelligendum, non de his quæ ob permutationum commoditatem, aut resignationum facilitatem creantur: in iis enim, vt & aliis super collatiuis beneficiis creatis, antiqui iuris axiomata remanent.

NVM. CCLXXVIII.

Quod autem canonistæ nugantur pensio-

pensionem non in quota, sed in quantitate.

ERRONEAM hanc opinionem tenuit Rebuf. tractatu De pacif. possessor. num. 104. per viam quantitatis pensionem creari, non per viam quotæ, quia esset beneficium diuidere; & quorundam auctoritate suam probat opinionem. Sed errorem agnouit in Praxi benef. titul. De reseruat. tam generalibus quàm specialibus, num. 22. Regulariter, inquit, pensio in quantitate etiam fructuum imponitur, vt pensionario dentur 10. modij frumenti & totidem vini, non verò in pecunia. Sed communiter in Francia in pecunia constituitur, & deterius pensionem debenti in iis vini & frumenti speciebus eam constituere, quàm in pecunia, cuius certum est pretium, horum autem incertum, & adueniente sterilitate pensio reditum posset excedere. Nec autem in speciebus vini & frumenti pensio tantùm creari potest, sed etiam certorum fundorum vel membrorum reseruatio toleratur, vt ipsemet Molinæus probat ad regul. De infir. num. 14. si qua autem tertiam partem fructuum excedat, reducitur.

NVM. CCLXXX.

Tamen aliud est in beneficiis spectantibus ad nominationem Re-

gis : quia abuſiua eſt penſio ſine conſenſu Regis expreſſo creata.

CONSTITVERE poteſt penſionem Summus Pontifex ſuper fructibus beneficiorum in tribus caſibus à iure conceſſis, vt & poſſunt Epiſcopi ex Rebuf. in Praxi beneficiorum titul. De reſeruat. tam generalibus quàm ſpecialibus, num. 29. & licèt ex communi vſu, ſeu potiùs Epiſcoporum negligentia, penſiones non conſtituant Epiſcopi, id tamen poſſunt, ex eodem Rebuf. tract. De pacific. poſſeſſor. num. 105. quod & deciſ. Rotæ 210. in antiq. titul. De reſcript. quæ eſt 39. conceſſum fuerat, & Ioann. Nicol. Delphina. De Iure patronat. lib. 1. num. 70. id Epiſcopis à iure conceſſum probat; ſub ea tamen limitatione, vt Epiſcopi penſionem creare poſſint cum cauſæ cognitione, puta in caſibus à iure conceſſis, vt ſuprà dictum fuit. Sed quid in beneficiis iuris patronatus laïcorum? Dixerunt nonnulli, patroni laïci neceſſarium eſſe conſenſum, cùm in iis beneficiis non eadem ſit Papæ poteſtas, imò patronatus ſit in bonis & patrimonio patronorum laïcorum, cuius patrimonij diſpoſitio non eſt Pontificalis poteſtatis, & Renat. Chopp. lib. de ſacr. polit. 1. titul. 4. allegat Bellemeræ deciſionem 179. & 181. aliáſque deciſiones huic opinioni adſentientes, & hanc probare tacitè videtur. Nihilominus Probus in addit. ad Gloſ. Prag. Sanct. in §. Cui rei. in verbo Iuriſdictio, num. 5. in contra-

rium docet pensionem neglecto patroni aut collatoris laïci consensu, constitui posse: cùm enim præsentationem aut collationem habeant ex speciali priuilegio, legibus Ordinariorum subiiciuntur, nisi in casibus à iure expressis: & Guymierius in prædicta glossa existimat patrono laïco gratiosè à iure concessum vt posset præsentare, ideo existimat vltra præsentationem & præsentationis iura, patronos laïcos nil speciale prætendere posse, priuilegium eo casu non extendendum: nec ab ea opinione discedere videtur Molinæus noster, cùm hoc specialiter in beneficiis in Regia nominatione existentibus constituat, in quibus non idem statuendum. & sic vsus moribus nostris inualuit: in his enim Rex noster Christianissimus plus iuris habet quàm patronus laïcus, in his (veluti ex quodam compacto & tacita conuentione inter Summum Pontificem & Reges nostros inita) nil Romæ geritur, fit, & negotiatur Rege inconsulto, & refragante; omnes consistorialium aliorúmque in Regia nominatione existentium beneficiorum materiæ per Regis legatum protectori Cardinali dantur, vt in Consistorio Rege nostro aut eius legato inconsulto nil decidatur: & quod fit in contrarium annullatur per appellationem tanquam ab abusu, & ea est praxis in Regno obseruata. Sed quid de beneficiis in Regia collatione existentibus statuendum? & in his cessare Apostolica decreta & Summorum Pontific. potestatem sæpè constitutum; solus summus &

ſupremus eſt in his Rex noſter Chriſtianiſſimus, hæc beneficia iure coronæ confert, ratione ſui domanij in his vt in aliis coronæ iuribus ſolum Deum auctorem agnoſcit; ceſſant in iis Cancellariæ Apoſtolicæ regulæ: & hæc beneficia Regia auctoritate vniri poterunt, ſuper eorum fructibus penſiones conſtitui, horum reſignationes conditionales (quas in fauorem vocant) admitti. hæc enim ſunt iura Regis, quæ à Deo ſolo vt & ipſam coronã obtinet. quæ omnia in beneficiis iuris patronatus laïcorũ non procedunt; imò elapſis 4. menſibus ex patronorum negligentia ſunt iuris Eccleſiaſtici, & Ordinariis & Papæ ſubiiciuntur.

Et in argumentum adduci poſſunt, quæ multis rationibus decidit Gloſ. Pragm. Sanct. in §. Item inſuper, in verbo, Diſponere. verſiculo Vbi tenent quòd diſpenſatio facta, De collat. Papam beneficiorum in iure patronatus laïcorum exiſtentium retentionem in prouiſione Epiſcopatuum concedere poſſe, contradicentibus patronis, & eorum vacationem per Epiſcoporum conſecrationem impedire. Vide quæ pleniùs notauimus ad regul. De infirm. reſignantibus num. 416. & num. 60.

NVM. CCLXXXI.

Mortuo poſſeſſore, ſucceſſor penſionem denegat. Reſpondi quòd bene.

INTER tres casus, in quibus legitimè pensio à Iure Canonico constitui potest super fructibus beneficiorum, verus & primus est in resignatione beneficij, quando litigiosum est beneficium, ne nimium resignans patiatur dispendium. Sed si quid in fraudem factum fuerit, annullatur. Ergo si super vero, legitimo, & capaci possessore beneficium per incapacitatem iure deuoluto quis obtinuit ad effectum pensionis constituendæ, & irrita & abusiua est pensio facta contra Canones Sanctorúmque Patrum decreta, in fraudem legis in Regno receptæ & approbatæ. Apposité autem verba Molinæi attendenda (beneficium veri, indubitati, & pacifici possessoris): ex iis enim constat prouisionem iure deuoluto perperam & sine causa obtentam, solam pensionem considerare, ad effectum futuræ pensionis constituendæ factam, vt indirectè & fraudulenter pensionem haberet, quam iure legitimo obtinere non poterat. Aliàs si deuolutio legitimè & cum causa obtenta sit, si verum litigium fuerit, non collusione factum, si incertus litis euentus, si legitima transigendi causa; tunc enim valeret pensionis creatio. & hæc est Molinæi opinio in hac speciali hypothesi.

NVM. CCLXXXIII.

Quibus non obstantibus, respon-

deo pensionem nullam & abusiuam.

IN casu fraudis Molinæi procedit opinio, cuius probatio eo facilior cùm compermutantes similem & æqualem super fructibus beneficiorum compermutatorum pensionem retinent. hoc enim ridiculum & contra verum constituendæ pensionis subiectum : hoc contra Ordinariorum libertatem, contra Ecclesiarum vtilitatem. Si enim in reditibus beneficiorum sit æqualitas, nulla constituendæ pensionis subest causa : imò sola ratio in disparitate redituum consistit, ne nimium compermutantes patiantur dispendium. qui igitur leges ita dolosè decipere volunt, decipiantur.

A NVM. CCLXXXVI. vsque ad NVM. CCLXXXIX.

EX iis colligere licet quanta sit in beneficiis commutandis Papæ potestas ; quantum contra fundationes possint Summi Pontifices. Sed obiter notandum iis omnibus mutationibus Regum nostrorum consensum accessisse, ad eorum postulationem transformationem monasteriorum factam.

NVM. CCLXXXIX.

Sed quod idem sit de eo cui de-

betur pensio personalis, vidi in publicis causarum actionibus.

SVBTILIORES existimant nodum soluere per clausulas pensionibus apponi solitas, (ab omni decimæ exactione, reparationibus, & aliis oneribus ordinariis, & extraordinariis exemptas) sed decipiuntur. siquidem cùm duæ partes fructuum beneficij titulo legitimæ loco debeantur, tertia verò pars pensionario, onera priùs deducenda sunt. Siquidem duæ partes fructuum ita debentur, vt nullo grauari possint onere, nonobstante quacunque conuentione. Fallit in vnica tantùm specie, cùm inter resignantem & resignatarium pensionis quæstio mouetur, vt superiùs notatum fuit.

NVM. CCXC.

Nepos resignatione patrui Canonicus factus.

HÆ sunt illicitæ pactiones contra decreta Patrum, quæ actionem non producunt, sunt contra publicam vtilitatem Ecclesiæ, fructus à beneficij titulo separant, & quæ miserum titularium indigentem & mendicantem in opprobrium cleri reddunt. Dicitur beneficium, quod beneficiat: & negarunt multi beneficium dici posse sine vllo reditu: at in speciali hypothesi hone-

ſtiùs nepos ab illicita conuentione diſcedendo auunculo reddere beneficium poterit, & prudentiores ad vitandam perfidiam eo vtentur conſilio.

EOD. NVM. CCXC.

Non enim poteſt Legatus etiam de latere reſignationem in fauorem admittere retenta penſione, niſi id habeat in mandatis.

LEGATORVM poteſtas à facultatibus eis conceſſis dependet, nec quid aliud poſſunt. Malè autem ex eo inferunt nonnulli, Legatis non conceſſum penſionem conſtituere: ergo nec Epiſcopo. alia namque eſt ratio. poſſunt enim id agere Epiſcopi, vt ſuprà docuimus.

NVM. CCXCI. & NVM. CCXCII. in fine.

Quod etiamſi reſignans moritur in poſſeſſione, cùm igitur nec Papa quidem auctore hæc fieri poſſent.

MAGNA quidem in beneficiis Summorum Pontificum poteſtas; ſed cùm quid contra publicam Eccleſiæ vtilitatem, contra hierarchiam Eccleſiæ, contra Ordinis totius honorem, & generalia

ralia Concilia ſtatuit, in iis poteſtatem ceſſare magni nominis Eccleſiaſtici dixere. Quid turpius, penſionarium nec laborantem, nec ſeminantem manducare, beneficiarium egenum, nudum & pauperem mendicare, titulum à fructibus diuino muneri dicatis ſeparare? quod deterius in beneficiis Sacramentorum adminiſtrationem habentibus? cùm ad turpia ſæpiſſimè cogat egeſtas, paupertas prudentiores ridiculos reddat. Si Eccleſiæ vtilitate ſuadente reſeruationes omnes beneficiorum ſint vetitæ & damnatæ, & in Regno Franciæ Summorũ Pontificum poteſtatem & diſpenſationes ſuperent: quid aliud ſapit hæc omnium fructuum retentio, quàm vera reſeruatio, vt vnus titulum habeat, alius omnes fructus percipiat, contra decretum Apoſtoli, Qui altari deſeruiunt, de altaris fructibus viuant? & narrant Boërius deciſ. 2. in fine, & Rebuf. in Praxi beneficior. titul. De reſeruat. num. 14. decreto Senatus Pariſienſis damnatam omnium fructuum reſeruationem, & beneficium reſignatum per obitum vacaſſe, 19. Aprilis ante Paſcha 1416. pro Officio Camerariæ Lugdunenſis reſignato ab auunculo nepoti cum tali fructuum reſeruatione: quod antea iudicatum refert Molinæus ſupr. num. 10. in fine, & num. 293. pro Parochiali Eccleſia Amigniaci in diœceſi Matiſconenſi contentioſa inter Vincentium Flamen, & Bartholomæum Maguin, 5. Martij 1512. Nihilominus tamen cùm Cardinalis de Pelue nepoti ſuo Domino de Re-

bets Prioratum sancti Saluatoris Romæ resignasset cum retentione omnium fructuum, datis tantùm ducentis aureis nepoti quolibet anno, per manus resignantis percipiendis, cùm reditus esset 6000. librarum Turonens. oneribus deductis, & post resignationem coram Iudice sæculari pro iurium Prioratus conseruatione vt Prior biennio litigasset, resignatarius plenum possessorium obtinuit, contra Monachum Monasterij Bonæuallis, à quo Prioratus dependebat, cui Abbas contulerat per obitum Cardinalis decreto Prætoriani Concilij 28. Martij 1597. approbante hanc fructuum retentionem in personam Cardinalis, & communem Ecclesiæ Romanæ vsum Regni legibus præferente. Vide Molin. infr. num. 309. in fine. Et licèt Ludouic. Gomes. Summorum Pontificum omnimodam in beneficiis potestatem statuat, in iis potestas & voluntas sit pro ratione, nihilominus in quæst. 2. ad regul. De public. rationibus victus fatetur illicitam hanc esse omnium fructuum retentionem, & per obitum resignantis propter hanc retentionem vacare beneficium per regul. De public. Remanet enim resignans in possessione, per possessionem primum meum retinet, resignatarius est in herbis, in gleba, resignans in granis, vt de Canonico ad effectum vulgò dici solet, & huiusmodi resignatio eludit in effectu titulum resignatarij separando fructus à titulo.

NVM. CCXCII.

Quod enim formularij quidam pragmatici putant, in Ecclesiasticis restitutionem in integrum rescripto Papæ petendam.

DICTVM fuit suprà num. 240. in spiritualibus restitutionem prorsus in Iure incognitam, siue in minore, siue in maiore, sed iure communi vtendum, nullitatem ex Iuris præceptis petendam; possunt tamen Summi Pontifices illicitarum conuentionum conditores absoluere, amissam capacitatem reddere, sine præiudicio iuris tertio pendente incapacitate quæsiti.

NVM. CCXCV.

Respondi remittendum ad conseruatorem Ecclesiasticum.

ACTIO personalis inter personas Ecclesiasticas pro cõcordati obseruatione, iurisdictionis est Ecclesiasticæ, non sæcularis, modò à Summo Pontifice probata sit conuentio. Ita decreto Senatus Parisiensis iudicatum 27. Nouembris 1574. in secunda classe Inquisitionum, domino Feu referente, de Gondi & Boureau litigantibus: frustra enim per arrestum huius actionis cognitio da-

retur Iudici Ecclesiastico, si approbata non esset conuentio à Papa; imò nulla prorsus competeret actio ex tali partium conuentione Romæ non probata, vt solemni Parisiensi decreto iudicatum, postulante domino Següier tunc Regio Patrono, nunc verò Præside, in publicis causarum actionibus, 1. Decembris 1588.

EOD. NVM. CCXCV.

Sed in quocunque foro petat actor siue principaliter siue incidenter.

ERGO conuentiones, resolutionem concordatorum etiam in Curia approbatorum continentes, vt eiurata repetantur beneficia sine noua collatione, reprobantur extra causam permutationis, extra quam omnis reseruatio damnata vt abusiua, & ita seruatur. Limita in resignatione conditionali seu in fauorem, resignatario non acceptante, vt suprà dictum fuit pro Præbenda Bituricensi. Vide Lucium Placit. Curiæ lib. 2. titul. 4. Arrest. 6.

NVM. CCXCVI.

Nos autem dicimus quòd hæ regulæ quas tractamus, tanquam boni publici causa latæ, & in

vsum receptæ, & sic vim iuris communis nactæ.

REGVLAM De public. in regno obseruari, nec huic Summum Pontificem derogare posse, diximus supr. hæc enim non vt lex Cancellariæ Apostolicæ, sed vt lex regni Ecclesiasticorum vtilitati bonóque publico Ecclesiæ introducta seruatur, hísque nominibus in Curia Parlamenti Parisiensis registrata legitur.

NVM. CCXCVII.

Quæro an hæc regula locum habeat in beneficiis commendatis.

DICTVM fuit suprà, commendam à titulo non distingui; commendam titulum esse; quæ de titulo dicuntur de commenda intelligenda; regulam de triennali possessore in commenda procedere; commendas esse perpetuas, scilicet ad vitam obtinentium; commendatarios fructus suos facere; commendas ad Summum Pontificem, aut eius Legatum vel ab eo speciale mandatum habentem, non ad Ordinarios collatores pertinere, nisi speciali indulto Ordinariis à Sede Apostolica id concedatur. Alia est ratio commendæ temporalis, vt in cap. Nemo, De elect. & elect. potest. in 6. quæ ad sex menses cõceditur in Parochialibus Ecclesiis legitimo pastore destitutis. Quæ sit

autem commendæ vis & poteſtas, de commendarum regularium aut ſæcularium diuerſitate, harum origine & prima inſtitutione in Eccleſia, conſule Gomeſ. tract. de commenda, & Rebuf. in Praxi benefic. titulo de commenda. An inſtituta in Eccleſia à Leone Summo Pontifice ſedem tenente circiter annum 854. an abhinc 150. annis, an tantùm à Concilio Tridentino, an fauorabilis commenda an odioſa. hæc omnia videre poris. ſufficiat hodie commendatarios temporalium & ſpiritualium adminiſtrationem habere.

NVM. CCXCIX.

Definitum eſt illicitæ negotiationis turpíſque lucri & proprij commodi genus eſſe, in duabus Eccleſiis aliquem conſcribi, c. 1. & 2. 21. quæſt. 2.

IN Iure Canonico, Eccleſiarum verbo, aut Epiſcopatus aut Parochiales Eccleſiæ intelliguntur. hæ ſunt Eccleſiæ, in quibus Chriſtiani Sacramenta percipiunt: quidquid hîc dicat Molinæus in contrarium num. 300. Eccleſiarum verbo beneficia etiam ſimplicia intelligenda. Et idem ſtatuitur in 5. aliàs 452. deciſ. Rot. tit. De elect. in nou. imò Leonis IV. temporibus 854. nulla erant beneficia ſimplicia, & præbendæ eo tempore non-

dum erant in titulum, ſed Sacerdotum quorumdam cum. Epiſcopo congregatio, nec præbendati adhuc dicebantur. vt temporis docet hiſtoria, & apud Chriſt. de Ruſiniac. comment. Pontific. lib. 3. cap. 10. videre licet. Sed ab anno 800. ad Lateranenſe Concilium beneficiorum ſimplicium tituli originem ſumpſere. Quòd autem Epiſcopatuum aut Parochialium Eccleſiarum vetita & prohibita ſit pluralitas, & reprobatæ diſpenſationes vltra ſanctorum Patrum, & Lateranenſis Concilij decreta; nobis familiaris eſt Bleſenſis Regia conſt. art. 11. quæ in Regno quoad Parochiales Eccleſias ad vnguem obſeruatur. aliæ primæ dignitates ſilentio præteriri debent: ſat eſt de iis legem conditam fuiſſe.

NVM. CCCII.

Etiam ſi tempore commendæ vacabat in Curia, & ſic Ordinarius conferre poterit in titulum.

QVIA commendæ beneficiorum regularium, non in perpetuum, ſed tantùm ad vitam obtinentium conceduntur, morte pereunt; & ideo beneficia vacant per obitum in titulum, beneficia enim regularia primam naturam regularem repetunt, nec poterunt ab Ordinariis conferri in commendam ſimilem, ſed tantùm in titulum, aliàs nulla eſſet collatio: nec enim eo caſu

possunt commendare Ordinarij, sed tantùm in titulum conferre. Sum. autem Pontifex ob plenitudinem potestatis solet iis beneficiis regularibus commendatis, per obitum vel resignationem vacantibus in similem commendam prouidere; & sic vulgò dicitur, de commenda in similem commendam. Vix autem Romæ de titulo in commendam sæcularem obtinetur commenda beneficij regularis. Notandum obiter, Romæ deuoluto iure regularia beneficia non obtineri à sæcularibus super religiosos, aliàs facilis transitus de titulo in commendam.

NVM. CCCIII.

Non solùm cum titulato, sed etiam cum alio commendato, sine vlla Papæ auctoritate.

HÆc omnia vera, cùm commendæ inter veros beneficiorum titulos annumerentur: sed in Ordinario vacabunt beneficia regularia in titulum, non in commendam, vt hîc docet Molinæus.

NVM. CCCIV.

Plus dico quòd potest, siue simpliciter, siue causa permutationis.

Ex

EX animo & ex pura sanctorum Patrum scriptura loquitur Molinæus, & in rei veritate hæ omnes dispensationes reprobari deberent, vt & reprobatæ in Concilio Tridentino; sed sæcularium Ecclesiasticorum commoditates & priuatæ vtilitates, quæ ex iis dispensationibus percipiuntur, facilitas illa quæ per sordidas negotiationes & illicitas cum iis dispensatis pactiones inuenitur, has dispensationes approbauit, & summi Iudices aliàs magni nominis, eas in hac ferrea ætate, regulariorum malis gliscentibus tolerarunt quamplurimis decretis, tam in Senatu Parisiensi, quàm in Prætoriano Concilio. Notanda autem Molinæi verba, quæ in iis dispensationibus desiderantur, cum clausula (cedendi & loco dimissi, seu dimissorum simile vel similia obtinere possis); huius enim clausulæ prætextu huiusmodi dispensati acceptata illico resignant beneficia in commendam, & fit transitus eo modo de titulo in commendam sæcularem, & habent os apertum ad acceptanda alia beneficia regularia, & ad eadem illico eiuranda, & ex qualibet acceptatione pretium accipiunt. Hæc autem clausula (& in locum dimissi) si non dispensationi inscriberetur, per primum obtentum beneficium ita perfecta, repleta, & adimpleta esset dispensatio, vt & ad alia beneficia extendi nullo modo posset. ex 1. aliàs 339. Rotæ decis. titul. De filiis Presbyter. in nouis. nulla enim in iis dispensationibus fit extensio, nullo fauore dignæ cum odiosæ sint. Sed

Yyy

tempus omnium rerum edax has diſpenſationes morte diſpenſatorum ſupprimere poterit, & in tota Gallia duo vel tres ad ſummum tunc temporis ſuperſunt ad minus octuagenarij, cùm vltimus eorum ſit ex Paulina diſpenſatione 1545. Sed aliquantulum renouata hæc diſpenſatio per nouum Cardinalium indultum ; hi ſiquidem commendatariorum reſignationes admittere, & in commendam ſimilem beneficia regularia conferre poſſunt, id eſt de commenda ſæculari in ſimilem commendam, & alio Abbati Cluniacenſi indulto conceſſo, ſed non eadem cum primis diſpenſationibus poteſtas fuit. Primo caſu de beneficiis in titulum aut commendam regularem obtentis prouideri poterat, per Ordinarios diſpenſatis. quod tamen indulto fieri non poteſt : tota enim indulti vis & poteſtas de ſimili commenda in ſimilem militat, vltrà non progreditur. Sed hæc omnia in necem & ſuppreſſionem Ordinis regularium inuenta fuere, an ratione id factum dubito. nil mutat regulares paupertatis voto adſtrictos, bonis renuntiaſſe, peculium habere non poſſe. Regnicolis enim multum intereſt regulares regularia poſſidere beneficia, vt inopi de reditibus Eccleſiæ ſubueniatur, pauperibus eleemoſynæ erogentur, cuilibet de plebe bona largiantur, operariorum familiæ ſuſtentari poſſint, & beneficiorum reditus in qualibet diœceſi diſtribuantur & conſumantur, magna cum habitantium commoditate.

NVM. CCCV.

Et ficut titularij poſſunt fructus in vſus ſuos conuertere vel abuti: ita hi commendatarij.

POSSVNT ſæculares Eccleſiaſtici de beneficiorum reditibus ad libitum diſponere, ſiue in titulú, ſiue in commendam ſæcularem beneficia obtineant, cùm commendæ beneficiorum inter titulos annumerentur, & à titulis non diſtinguantur: & regni legibus horum redituum veri ſunt domini, acquirere poſſunt temporalia, in iis acqueſtibus legitima ſucceſſio. non quòd aliquorum Patrum decretis & Eccleſiæ conſtitutionibus hoc licitum ſit, ſed publica regni vtilitate ſuadente inſtitutum: ſi enim hæc omnia Eccleſiæ, non hæredibus, ſeruarentur, eueniret Eccleſiaſticum ordinem, duos alios regni ordines lapſu temporis conſumere, ſuffocare, ſeu ad nihilum reducere.

NVM. CCCVI.

Quia hoc non eſt verum ratione tituli, cùm ſit verus titulus, nec poteſt ſuſtineri, niſi ratione implicitæ reſeruationis.

QVOAD dominium iurium, & fructuum perceptionem, temporalium & ſpiritua-

lium administrationem, commendæ à titulis non differunt. & hodie post Tridentinum Concilium Romæ hoc admittitur; antea dubitabatur, & inter Doctores contentio an commenda titulus, an dispensatio. Alij commendarum originem & primam naturam considerantes: alij communem vsum & veram rationem, fructus beneficiorum sine legitimo titulo percipi non posse: nonnulli fructus temporales à spiritualium administratione separantes. Sed commenda, semel admissa in Ecclesia, perpetua instituta, ad instar tituli debuit iudicari, & meritò. aliàs commendæ tempore beneficia regularia essent sine titulo, fructus beneficiorum à titulo separarentur contra prima Ecclesiasticæ disciplinæ fundamenta. eóque tempore, cessante vero titulo beneficij, nulla contra regularia beneficia præscriptionum tempora currerent, non sine magno publicæ vtilitatis incommodo. Ante Concilij Tridentini tempora quædam inter Doctores fuit altercatio, an commendæ beneficiorum regularium inter titulos beneficiorum annumerarentur, vt colligere licet ex Rotæ decis. 1. De Præbend. in antiquioribus, & 32. decis. Cassadori. Maior tamen & communior opinio præualuit, vt ex Chassanæo colligi potest ad Consuetud. Burgund. tit. *Des successions des Bastards*, §. 5. num. 58. 59. & quando commendæ ad vitam impetrantium concedebantur, & Ægid. Magist. Protopræside in tract. Regal. cap. 2. num. 8. Et hanc regni Ecclesiæque Gallicanæ ob-

seruationem attestantur Glos. Pragm. Sanct. in cap. Licet.& ibi Probus in verbo Causa, num. 4. 8. 9. & titul. De pacific. possess. in verbo Titulum, num. 3. Rebuf. tract. De pacific. possess. num. 36. Corasius in Paraphrasi sacerdot. parte 1. cap. 6. num. 7. Gomesius ad regul. De infir. resignant. regul. 13. versiculo Pro solut. tamen. & veram & solidam rationem nostrorum qui de commenda perpetua loquuntur, cum antiquis qui de temporali tantùm commenda loquebantur, repetere poterit lector in quæst. 5. ad reg. De triennali possessione apud Gomesium. Sed regulares vt in aliquo commendatarios à veris & primis beneficiorum regularium dominis distinguerent, ad hunc vsque diem obtinuerunt, vt quæ Ordinis regulam spectant & concernunt, quæ regularem disciplinam, non ad hos commendatarios, quasi regularis disciplinæ inexpertes, sed ad cœnobiorum Priores aut regulæ Patres decidenda remittantur. In aliis verò honoribus siue in Ecclesia siue extra Ecclesiam, in aliis ritibus & ceremoniis, modò de regulæ obseruatione seu interpretatione non moueatur quæstio, commendatarij ab aliis non distinguuntur; vt nec in beneficiorum regularium, seu officiorum claustralium prouisione, etiamsi de Prioris claustralis institutione ageretur. Fallit, si religiosis fratribus proprium eligendi Priorem consuetudine, statutis, aut priuilegio concessa esset facultas. Vide supr. ad regul. De infirm. num. 306. Commenda cur hodie sit titulus.

EOD. NVM. CCCVI.

Nec poteſt Papa ſibi reſeruare futuram reſignationem vel vacationem, & ſi fecerit, vel inquantum feciſſe intelligeretur, poſſet tanquam ab abuſu, &c.

Ante decretum De reſeruationibus ſublatis, in Cancellaria Apoſtolica obſeruabatur, regularium beneficiorum commendas tantùm in Curia vacare poſſe, non autem in partibus: commendata beneficia eſſe affecta extra Ordinariorum collatorum poteſtatem. ſed hæc omnia eluſoria euanuerunt, & ſolam commendæ prouiſionem ſibi reſeruauit Sum. Pontifex, Ordinariis collatoribus ſpeciale à Sede Apoſtolica priuilegium non habentibus denegauit. Sed commendarum vacationes etiam in partibus impedire noluit, imò Ordinarij commendis per obitum, reſignationem aut permutationem vacantibus, prouidere in titulum poſſunt.

NVM. CCCVII.

Quantum autem ad commendam propriè ſumptam, de qua in cap. Nemo, de elect. in 6. vſque ad numerum 309.

VERBO quidem tenus hæc commenda dicitur cùm à titulo distinguatur, species quidem tituli, cùm eo tempore puta sex mensium commendatarius Parochialis Ecclesiæ fructus suos faciat propter diuinum officium, & Sacramentorum administrationem: sed cùm non sit ad vitam, titulus non est; ideo hæc commenda seu potiùs commissio, non impedit præuentionem Papæ, non enim prouisionem, titulũ, seu collationem respicit, sed temporaneam quandam commissionem. Quæ Papæ præuentio inutilẽ prorsus reddit quæstionem: potiùs enim Romæ prouisio obtinetur, quàm talis commenda ab Ordinario conceditur, & licèt mense Iulio & mense Augusto (quibus fructus percipiuntur) commenda huiusmodi daretur ab Ordinario, illico adueniente Pontificis prouisione diuiderentur fructus percepti pro temporis computatione. & quòd hanc temporariã commendam extendendam existimat Molinæus in casibus absentiæ rectoris, aut dementiæ, est iuris certissimi: & non tantùm eo iure vtuntur Episcopi, sed Archidiaconi, qui Ecclesiis Parochialibus deseruiendis Vicarios idoneos committere debent. Sed miror tanti nominis Episcopos, qui nos abhinc 100. annis præcesserint, in hoc tam necessario & vtili negotio siluisse, & cùm sint Ordinarij collatores in sua diœcesi primi domini, & Parochialium Ecclesiarum soli ex communi iuris dispositione collatores, non postulasse vt & cuilibet Episcopo collatori liceret defunctis patro-

nis Parochiales Ecclesias pleno iure conferre: quid enim æquius? ius enim illud patronatus in Parochialibus Ecclesiis ab Episcopis, aut à Sum. Pontifice dispensatione concessum fuit: species est seruitutis quæ defuncto patrono dormit, & vacatione beneficij adueniente hæc præsentatio sepelitur, & cum ipsa collatione confunditur, tunc collator & patroni & collatoris partes gerit; ideo pleno iure conferre posset. & ad hanc futuram, & noui veluti iuris dispositionem, nos inuitat Tridentini Concilij constitutio, quæ in Parochialibus Ecclesiis vacantibus, non tam collatores quàm examinatores moribus & scientia digniori conferentes, desiderat: & abhinc quinque annis duobus senatusconsultis probatæ fuerunt prouisiones Parochialium Ecclesiarum ab Episcopis factæ, ac si pleno iure collatores fuissent patronatis Ecclesiis vacantibus.

NVM. CCCVIII.

NOTENT Lateranensis Concilij dispositionem Ordinarij, ne à superiore alio quàm à Sum. Pontifice possint post semestre præueniri: hæ autem induciæ à die probabilis notitiæ incipiunt: quæ sit autem illa probabilis notitia, quomodo inducatur, suprà dictum fuit num. 149.



NVM.

NVM. CCCIX.

Cùm non ſint beneficia collatiua.

ERGO hæc regula procedit tantùm in beneficiis collatiuis, non in conſiſtorialibus ſeu electiuis; & verba regulæ id denotant in fine, Collationes quoque de illis tanquam per reſignationem vacantibus factæ, &c. Lata enim differentia inter collationem, & electionem; nec collationum verbo electiones, nec electionum verbo collationes veniunt: & in exprimendis Summo Pontifici beneficiorum qualitatibus electionis mentio facienda ſit, cùm electio confirmari debet à ſuperiore. hæc enim beneficia plus ex electione quàm ex collatione participant, De Selua tract. de benef. parte 3. quæſt. 1. num. 3. & quæſt. 11. num. 39.

NVM. CCCX. vſque ad NVM. CCCXIV.

PVBLICATIO & poſſeſſionis adeptio, quæ in regul. De public. deſiderantur, non verba ſed rem reſpiciunt, non verba ſed effectum deſiderant: qui igitur verbo tenus publicauit, poſſeſſionem eſt adeptus, in rei autem veritate non poſſidet, ſed reſignantem in vera poſſeſſione & actuali relinquit: huic regulæ non ſatisfeciſſe dicitur, & nonobſtante ficta, & ſimulata, verbóque tenus facta publicatione, ſeu poſſeſſionis

adeptione, vacat beneficium morte resignantis. Hi resignatarij verba legis demulcent, in rei autem veritate scientes & prudentes legis mentem eludunt: cuius legis effectus est, vt resignatarij realiter, de facto, in rei veritate, non simulatè nec fictè possideant, vt nota sit & publica eorum realis & actualis possessio. nec omittendum quod hîc Molinæus num. 312. de simulata publicatione seu possessione statuit de retrocessione resignanti facta; cùm enim de fraude agatur, huius probatio prudentis & boni iudicis arbitrio relinquenda, quæ ex variis causarum figuris solent iudicari. & num. 313. resignatariis qui perperam & in fraudem legis publicauerunt, consulere voluit, vt ad saniorem mentem reuersi, non has repetant solemnitates, sed per actus notorios geminatos publicent suam actualem & realem possessionem, vt vnicuique innotescat non simulatam sed veram esse. eáque viâ prima & fraudulenta resignatariorum intentio per ipsam veritatem delebitur. & ex verbis Molinæi colligere licet in his possessionibus vltimos actus inspiciendos. sufficit enim si resignantis mortis tempore actualis sit possessio, ex parte resignatarij: possessionis actus ita publici, vt mortis tempore resignatarium possidere sit notorium. tunc enim negligitur ficta prima possessio, & plus virium habet vltima possessio quæ in tempus mortis resignantis incidit.

NVM. CCCXV.

Licitum est plures titulos cumulare, nec tenetur quis ad vnum se restringere.

VACATIONVM diuersitas quæ euenire solet in iis beneficiis, pluralitatem titulorum induxit, vt docet stilus Cancellariæ Apostolicæ. quælibet enim per cessionem obtenta prouisio, prouisionem per obitum, & per incapacitatem continet, & cum clausula generali aliam quamcunque vacationis speciem, & ex cuiuscunque persona continentem, solet & aliam clausulam apponere in nouis prouisionibus, sine præiudicio iuris aliunde quæsiti, sed iura iuribus accumulādo. & tanta est in iis spiritualium quæstionum controuersiis ambiguitas, adeo spinosæ decisiones, vt cum illa titulorum multitudine iure suo sæpissime priuentur litigantes. Prudentiores tamen, qui incertos litium euentus formidant, non negligant quamprimùm nouam prouisionem à Sum. Pontifice obtinere, cum clausulis assuetis, quascunque vacationis species, etiam quæ præuideri vel augurari vix possint continentes.

EOD. NVM. CCCXV.

Pluralitas resignationum & colla-

tionum eiusdem beneficij eidem factarum non nocet.

IN prophanis negotiis vix duæ causæ lucratiuæ simul concurrant, dominia certa sint, plures non sint domini. at in his spiritualibus rebus titulorum nimia facilitas aliud ius introduxit, & quasi sola triennalis possessio cum titulo colorato plenum dat dominium; rectè quidem quasi: quælibet enim incapacitas in personam possidentis litigandi dat subiectum. hoc ex cap. Vt quis duas. De elect. in 6. colligere poteris, quando vnus tantùm desiderari potest titulus, scilicet quando ex tali titulo totum & plenum ius datur, nilque aliud sperari potest. Sed non omittenda verba Ruzæi in tract. Regal. priuil. 19. num. 7. In beneficiis titulus potest multiplicari, non vt consequatur ius in beneficio ex vtroque titulo, sed vt possit se defendere ex vtraque prouisione: ideo Canonistæ iuris regulam (ex duabus causis lucratiuis) in agendo non in defendendo interpretantur. Sed aliam limitationem accipit quando dubia est causa lucratiua, aliam quis accipere potest, & vtraque experiri, ex decisione Ioan. And. in cap. Cùm persona, in fine. De priuileg. in 6. Vide cap. Inter dilectos. De fide instrumentorum. hæ enim prouisiones diuersæ quidem sunt, sed non contrariæ; imò eundem finem respiciunt, nec ea intentione acceptæ, vt vna aliam destruat, imò iuuare possit. Vide infr. num. 336.

A NVM. CCCXIV. vsque ad NVM. CCCXXVI.

QVANDO quis pluries resignauit siue in manibus Papæ purè & simpliciter, siue in manibus Ordinarij collatoris, vera publicatio petenda à prima resignatione non à secunda, vt & sex menses dati ad publicandum à prima resignatione computandi sint; aliàs de facili fraus fieret regul. De public. per multiplicitatem resignationum. & cùm hæc regula sit in rem, resignationem respiciat, quælibet resignatio publicari debet. & in ea resignatione pura & simplici Molinæus & Gomesius in quæst. 18. ad hanc regulam conueniunt.

EOD. NVM. CCCXXVI.

Sed si erat resignatio in fauorem, non sufficiet docere de admissione & collatione Papæ vel Legati, nisi etiam doceat de valida acceptatione.

QVIA resignationes in fauorem hac conditione factæ sunt; si resignatarius ratam habeat resignationem, nec aliàs admissa resignatio fuerit: difficilior quæstio in ea resignatione quàm in

ſimplici, cùm quis pluries reſignaſſet; ſed quia ex qualibet naturalis & ciuilis iuris præſumptione, ſuis commoditatibus potiùs homines inſeruiunt, ad quod nobis vtilius procliuiores ſimus, & ad bona quæ nos beant ſimus propenſiores; acceptatio reſignati beneficij de facili præſumitur, niſi ſint renunciationis vehementes præſumptiones in contrarium. Adde, reſignatarium per ſignaturam ſupplicare, & petere ſibi conferri, vt & in qualibet collatione motu proprio non facta, ad quam ſupplicationem diluendam declaratio contrariæ voluntatis ſcripto facta deſideratur; & quia fraudis ſuſpicionem continet, vt facta ab eo qui contra propria commoda certat, in regiſtris inſinuationum inſinuari debet ante obitum reſignantis. Dic igitur primam reſignationem inſpiciendam, quando reſignatarius ratam non habere reſignationem non declarauit. quæ ſi publicata non fuerit intra legitima tempora, vacát beneficium per obitum reſignantis: ſi autem declarauerit, ſecundæ reſignationis publicationem inſpiciendam. Statim enim atque reſignatarius reſpuit reſignationem, & eam reiicit: ipſo iure ſine noua collatione ius redit penes reſignantem, qui denuo vt verus dominus & legitimus reſignare poteſt.

NVM. CCCXXVII.

Decanatum reſignaſſet, vtpote

ætatem assecutus, vtpote 24. annorum.

PRIMÆ hæ Ecclesiarum Cathedralium post Pontificales dignitates Sacerdotis ordinem requirunt; aut saltem qui de his prouideri desiderant, sint in ea ætate in qua Sacerdotalis ordo conferri possit, puta 25. annorum, ex Clement. Generalem. De ætat. & qualitat. cap. Cùm in cunctis. §. Inferiora. De elect. apud Gregorium, vbi loquitur de ætate Decani. Quod autem hîc loquitur Molinæus, de 24. anno intelligendum iam completo, vt sit inceptus 25. annus, quod in Decanatu probat Rebuf. tract. De pacif. num. 182. De Selua tract. de benefic. 3. parte quæst. 5. num. 19. Christoph. de Rufiniac. in Clement. Pontific. lib. 12. cap. 30. circa medium. Duarenus de sacr. Eccles. minister. lib. 4. cap. 9. Et quòd 25. annus inceptus necessariò requiratur, docet Glos. Prag. Sanct. in cap. Siue, §. Deinde. in verbo Legitimè, de electionibus. In Præbendis verò Ecclesiarum tam Cathedralium quàm Collegiatarum seruatur ratio regulæ Cancellariæ Apostol. 17. vt in Cathedrali seu Metropolitana Ecclesia 14. in Collegiata 10. annus requiratur, ex Glos. Prag. Sanct. in §. Item censuit, in verbo Cathedralibus. De collat. Ioan. de Selua tract. de benefic. 3. parte quæst. 5. versicul. Et cùm non debeamus reducere ius commune: Ruzæo tract. Iur. regal. priuileg. 24. Rebuf. in Praxi benefic. titul. de dispensat. ratione

ætatis num. 2. Corasio lib. de Sacerdot. titul. de ætate beneficiand. num. 4. & 26. aliàs 324. Rot. decis. titul. De rescript. in nouis. & hac de re latum fuit senatusconsultum in quinta classe Inquisitionum anno Domini 1586. 27. Martij, relatore domino le Pelletier, pro Præbenda Collegiatæ Ecclesiæ de Champeaux in diœcesi Parisiensi, Bidault & Lescuier contendentibus. harum enim Præbendarum non eadem ratio, cum aliis merè simplicibus beneficiis, quæ 7. annos tantùm desiderant, & in quibus nullum desideratur ministerium, puta in capellis seu missarum commissionibus: præbendati siquidem aliquod seruitium debent in Ecclesia, quod ante hanc decem vel 14. annorum ætatem adimpleri legitimè non potest. Nec verba cap. Ex eo. De elect. in 6. (in pupillari ætate) nec Ruzæi opinio in fine dicti 24. priuilegij lectorem decipere debent; nullus enim post reg. 17. de ea quæst. disputare voluit. Nec citari debent in contrarium 1. aliàs 204. nec 2. aliàs 276. Rot. decis. de ætat. & qualitat. in antiq. quæ decisiones dictam regulam Cancellariæ Apost. tempore præcedunt. Quando autem annus inceptus, an completus desideratur, non Glos. Clement. Ne in agro, §. Cæterum, in verbo Vigesimum, De stat. Monach. sequenda pro decisione, cùm quæstionẽ inter arbitrarias ponat. Sed Glos. cap. Ad nostram. in verbo Ante consummationem. De regularib. quæ in odiosis puta in voto annum completum, inceptum verò in fauorabilibus, vt in digni-

dignitatibus requirere. Fallit si expressim lex hoc requirat.

De ætate autem in aliis beneficiis requisita consulendus Ioan. de Selua in d. quæstione 5. & Coras. dict. titulo de ætat. & qualitat. In regularibus verò simplicibus antiquitus 14. annus desiderabatur, cùm eo tempore legitima & solemnia professionis vota emitterentur. Sed cùm Regia Blesensi constitutione articul. 28. ante 16. ætatis annum completum voti solemnis emissio prohibeatur; ante eam ætatem obtineri non possunt beneficia regularia etiam merè simplicia, cùm professio sit necessaria; quod in commenda sæculari procedere debet, quæ cùm fictione quadam titulum imitetur, maiori gaudere non debet priuilegio, ne fictio magis operetur in casu ficto, quàm veritas in casu vero. & ita sentit Rebuf. in tractat. De Pacif. num. 42. & Probus in addit. ad Glos. Prag. Sanct. in prooemio §. Nam Ecclesiarum, in verbo Vultus in fine num. 2. & in §. Item quod omnia. in verbo, Vacauerint num. 2. de collat. & in cap. Licet. in verbo Causa. versiculo Hinc partium in fine num. 8. De electionibus. Sed quomodo dignitates in Ecclesia à personatibus discerni possint, quæ qualitates in dignitate requirantur, quæ in Ecclesia, & prærogatiua in Capitulo, an ex consuetudine, vide 11. aliàs 173. Rotæ decis. De præbendis. in nouis. Tribus de causis dignitas datur in Ecclesia: primò ratione administrationis rerum Ecclesiasticarum

cum iurisdictione: secundò ratione nominis (puta quando nomen est dignitatis) & prælationis, tam in choro quàm in Ecclesia: tertiò ex consuetudine, puta quando officium habetur pro dignitate. & huic sententiæ subscribit Glos. Prag. Sanct. in §. Sint viri. in verbo Triginta annis. versicul. Quia constat ex tribus signis. & ibi Probus de num. & qualitat. Cardinal. cum Ioan. de Selua tractat. De benefic. prima parte q. 2. n. 28. versiculo Primum signum est. Nec est omittendum dignitates Ecclesiarum Cathedralium in regno, sine Canonicatu saltem ad effectum obtinendæ dignitatis possideri non posse; & eam esse in Ecclesia Gallicana consuetudinem testantur Rebuf. in §. Præfatíque Ordinarij, in verbo Dignitates, versiculo Istæ tamen dignitates. de collat. in concord. & pleniùs in tract. nominat. q. 15. n. 38. auctorésque laudat Glos. Prag. Sanct. tam in §. Quod si quis, in verbo Similiter, versicul. Quasi in omnibus Ecclesiis regni. quàm in §. Item censuit. in verbo Requireret. de collat. licèt ibi non in omnibus Ecclesiis, sed quasi in omnibus Ecclesiis id obseruari statuatur, & Probus in dictis locis vtatur dictione (ferè) & Ioan. de Selua tract. De benefic. 3. parte quæst. 49. versicul. Vbi de consuetudine vel statuto, iisdem verbis vtitur (vt quasi in omnibus Ecclesiis) sed de personatu idem statuendum existimat. Ipse tamen Probus in quæst. 31. Iur. regalior. consuetudinem in Ecclesia Gallicana absque vlla modificatione asserit. Effectus autem huius

Dignitates sine Canonicatu non possunt obtineri.

verbi (quasi, ferè) erit, vt si ex statuto speciali aut longa consuetudine dignitates aut personatus in Ecclesia obtineri possunt sine Canonicatu saltem ad effectum, obseruari debeat in illa speciali Ecclesia ; sed eo difficilior consuetudinis vel statuti probatio, cùm sit contra communem Ecclesiarum regni consuetudinem.

EOD. NVM. CCCXXVII.

Breuiter omissa disputatione respondi nepotem manutenendum.

Ex hypothesi proposita resignatarium post sex annos non acceptasse, & secundam Ordinarij prouisionem elegisse, colligere possumus, post sex annos resignatarium acceptare non posse, & triennio à die admissæ resignationis resignantem verum dominum remansisse ; nam cùm pendeat ex incerto & futuro euentu resignatarium aut acceptare aut repudiare, interim remanet resignans in possessione, cum colorato titulo, colorato quidem cùm suos fructus interea faciat; ideo post pacificam illam triennij possessionem resignatarij acceptationem excludit resignans, resignationis titulum præscribit, nil prorsus post ea tempora iuris prætendere potest resignatarius. Quod aliis rationibus suprà probauimus, & decreto Prætoriani Concilij quæstionem decisam.

NVM. CCCXXVIII.

Non præſumitur acceptatio, cùm nec bullæ leuatæ fuerint: & ſi leuatæ fuiſſent, non fuit capta poſſeſſio.

EX iis collige quæ requirantur ad acceptationem beneficij: Non præſumptiones ſufficiunt, ſed expreſſa voluntatis declaratio deſideratur: cùm enim per hanc acceptationem ſpirituale contrahatur matrimonium inter acceptantem & Eccleſiam, qui acceptat beneficij oneribus obligetur, expreſſa voluntas huic obligationi deſideratur, vt in omnibus ſpiritualibus ſpeciale mandatum, ex Gloſ. Pragm. Sanct. in §. Ita tamen, in verbo Nominatorum. & ibi Probus num. 5. De collationibus. Et vt quæ de præſumpta acceptatione diximus poſſis conciliare, aut huiuſmodi acceptatio contra reſignatarium inducitur in eius præiudicium, vt poſterior expreſſè acceptata reſignatio corruat, aut vt incompatibilia dicantur beneficia, per caput De nulla. De præbend. de vacatione primi beneficij per acceptationem ſecundi, aut cùm quid aliud molitur in necem & præiudicium reſignatarij, iis in caſibus expreſsè requiritur declaratio, aut per poſſeſſionis adeptionem, per mandatum ſpeciale, aut prouiſionis publicationem, fidei profeſſionem. Aut

verò de resignationis viribus tantùm mouetur quæstio, non tam contra resignatarium quàm contra resignantem; cùm contra resignatarium nulla tituli moueatur quæstio, sed tamen contra resignantem, cùm non conqueratur resignatarius, si sit mortuus resignatarius, resignante superstite & possessioni incumbente, militant tunc acceptationis præsumptiones, vt suprà diximus num. 326. & sic Molinæi opinio intelligenda in proposita hypothesi, ius in causa seu hypothesi, aliàs deciperentur lectores.

NVM. CCCXXX.

Nec ampliùs pro illa vice & vacatione potuisset Ordinarius conferre, sed quia iam contulisset indigno.

NOTENT Ordinarij collatores capaci conferendum beneficium, si enim indigno contulerint, non possint denuo conferre, iure collationis pro ea vice priuantur cap. Cùm in cunctis. §. Cleri. in fine. cap. Nil est, De elect. Non est quòd conquerantur cùm semel functi fuerint officio. Igitur secunda prouisio Ordinarij eo casu speciali nulla, sed fit deuolutio ad Superiorem, cap. Cum singul. §. Prohibens, in verbo Ea vice. & ibi Glosa De elect. in 6. Glos. Pragm. Sanct. in cap. Sicut. §. Quod si prædicta. De elect. in verbo

Pro illa vice, & in verbo Ipſo iure. & hæc moribus noſtris probantur.

EOD. NVM. CCCXXX.

Statim fuiſſet ex tunc deuoluta ad Capitulum vel ad Superiorem.

MOLINÆVS verbis cap. Cùm in cunctis, vtitur: ſed moribus noſtris non fit deuolutio de Epiſcopo ad Capitulum, vt probat Rebuf. in Praxi benef. tit. de deuolut. num. 23. Hodie, inquit, ex conſuetudine generali totius regni, quia parua communio inter Epiſcopum & ſuum Capitulum, ſed frequentiùs rixæ & controuerſiæ, quando collatio ſpectat ad Epiſcopum & Capitulum, deuoluitur collatio, non ad Capitulum, ſed ad Archiepiſcopum. & quidem deuolutionis natura ea eſt, vt fiat ad Superiorem, nunquam ad æqualem vel inferiorem. & ita ſeruatur in regno.

EOD. NVM. CCCXXX.

Quia de facto ſublata ſunt eis vacantia per ſimplicem reſignationem.

GRADVATI beneficia per obitum vacantia tantùm reſpiciunt, non ea quæ per reſignationem, §. Volumus. De collat. in concord. §. Item

quod omnia. De collat. in Prag. Sanct. Vide Rebuf. in d. §. Volumus. in verbo, Vacantia. & idem sentit Molinæus supr. ad regul. De infirm. num. 10. in fine.

EOD. NVM. CCCXXX.

Quia vacantia per simplicem resignationem cadunt in mandatis.

Ex iuris communis dispositione vacantia beneficia per simplicem resignationem in Ordinariorum manibus factam, mandatariis Apostolicis debebuntur, cap. Dudum. De præbend. in 6. cap. Vnico. De rerum permutat. in 6. cap. Susceptum. De rescript. in 6. Sed quia harum resignationum prætextu infinitæ lites oriebantur, fraudibus via aperiebatur, Leonis X. constitutione vetitum, ne in posterum beneficia per simplicem resignationem vacantia mandatariis Apostolicis deberentur, sed tantùm quæ per obitum, 3. Calend. Octobris 1515. Pontificatus sui anno 2. Quam constitutionem Senatus Parisiensis decreto probatam refert Rebuf. tract. nom. quæst. 15. num. 51. pro Præbenda Carnotensis Ecclesiæ in publica pronuntiatione vigil. Pentecostes 1537.



NVM. CCCXLI.

Hypothesis primi casus talis est.

IN causa non acceptata, collatio absenti facta, per sex annos neglecta, quo tempore resignans remansit in actuali possessione, tandem resignatio facta primo resignatario, acceptata tempore legitimo, publicata, & possessio adepta, quæ publicè in locis innotuerunt. hæc omnia simul iuncta summa nituntur æquitate, nec huic regulæ locus esse potest, cùm resignans in possessione non decesserit, cùm intra legales inducias publicatio & possessio factæ & adeptæ sunt ab eo, qui ex prima resignatione legitimum titulum obtinuerat, licèt non acceptatum. Aliàs ex communi iuris axiomate contrarium sentirem, qui enim semel beneficium purè resignauit eo priuatus est, renuncianti iuri suo nullus datur regressus. canon. Quàm periculosum. 7. q. 1. & qui titulum non habent, decreto De pacific. non iuuantur; detentores non possessores dicuntur quocunque tempore possideant., vt probat Rebuf. tract. De pacific. num. 58. & 59. & num. 144. 285. Negat resignatum beneficium sine noua collatione repeti posse, per resignationem ius omne ad beneficium resignantem perdere., & cùm is qui resignauit titulum ampliùs non habeat, beneficium sine canonica institutione possidere non poterit, ex regul. 1. Iuris Canon. in 6. sit & alia regula,

regula, possessionem sine titulo nil in iis spiritualibus causis iuris tribuere, imò ad fructuum restitutionem obligare possidentem. Nec mihi innotescit in hac hypothesi locum regulæ De public. nullum superfore propter solennem publicationem. Sed nego resignantem qui iam resignauerat denuo resignare potuisse, à die admissæ resignationis nil iuris prorsus in beneficio retinuisse. & cùm de facto vacauerit beneficium per primam resignationem in manibus Ordinarij purè factam, licèt illico collatum non sit resignatario, eo tamen non acceptante sex annorum spatio nulla collatio, & ad Superiorem vel Superiores gradatim facta fuit deuolutio, & denuo Ordinarius conferre non potuit post tanta deuolutionis tempora collatore sciente elapsa. Si enim post sex menses non possit conferre, quanto magis post sex annos.

NVM. CCCXLVII.

Quod vitari potest quandocunque ante obitum possessoris publicando.

MODò sit intra triennium, intra quæ tempora valet prouisio, quæ nulla præscriptione annullatur: secùs post triennium, cùm eo tempore omnis canonica institutio præscribatur per titul. De pacific. possessoribus. & si eo casu ad-

missa esset prouisionis publicatio post triennium, intra trigesimum annum fieri posset: ea enim tempora dabantur ante regul. De pacific. possessoribus. quæ omnia essent absurda, & possent de facili fieri beneficia hæreditaria in necem Ecclesiæ, & Ordinariorum, vt pleniùs supr. diximus num. 21.

NVM. CCCLIV.

Tum quia publicatio personalis est, nec prodest nisi petenti.

IMò desiderant nostri speciale mandatum ad publicandum, vel possessionem adipiscendam. & certissimum publicationem prouisionis ad aliam prouisionem vires non habere, & tantùm publicanti prodesse, non alteri.

NVM. CCCLV.

Quàm ciuilis interruptio quæ personalis est.

NATVRALIS interruptio quæ de facto possidentem de possessione deiicit, omnibus prodest; impedit possidentis præscriptionis continuationem. Ciuilis autem, quæ possessionis continuationem de facto non impedit, prodest tantùm interrumpenti ad iuris conseruationem, l.

Cùm notissimi. in principio. ff. De præscript. 30. vel 40. annorum. Glos. Pragm. Sanct. in §. Lis autem, in verbo, Terminorum. De pacific. possessoribus. Boërius decis. 24. num. 2. Rebuf. tract. De pacific. num. 294. & hæc Molinæi opinio in Senatu seruatur, & Vltramontani eam sequuntur ex Lud. Gomes. ad regulam de triennali possess. quæst. 22.

NVM. CCCLXIII.

Et quamuis non sufficiat vna præsumptio ad fraudem vel simulationem conuincendam.

DIXIMVS suprà violentam præsumptionem aliquando sufficere, quæ ex re ipsa procedit ex naturæ visceribus: aliquando duas desiderari, aliquando tres. Vide Boërium decis. 102. & Alexand. Consil. 119. lib. 4.

NVM. CCCLXVI.

Iacobus Boniou Canonicus sancti Martini Turonensis.

EX hac hypothesi quid certi statuere difficillimum. Infinitæ fraudis præsumptiones, mandati ad resignandum clausulæ non tam fraudis præsumptionem inducunt, quàm fraudis pro-

bationem continent: Nec existimarem tale mandatum talibus clausulis infectum in aliquo probari posse. & ea mandata semper reprobantur, quæ acceptationis & eiurationis eiusdem beneficij clausulam continent; hæc enim violenta confidentiæ præsumptio.

NVM. CCCLXIX.

Propter conseruationem regulæ De publicandis fauorabilis, & reipublicæ vtilis, & in eadem Curia receptæ.

NOTANDA hæc verba (& in eadem Curia receptæ) hanc enim regulam in regno, non vt regulam Cancellariæ Apostolicæ accipimus, sed vt regni legem obseruamus. Ideo huic regulæ Papa derogari non potest, nec huic derogationi credimus, vt supr. diximus num. 296.

EOD. NVM. CCCLXIX.

De vetita successione beneficiorum, & conciliaribus decretis de reseruationibus sublatis.

QVOTIESCVNQVE mandatorum ad eiuranda beneficia factorum pluralitates, prouisionum multiplicatio, paruarum datarum continuatio

concurrunt, vel probari possunt, resignationes impediunt, vt in fraudem Canonum factæ. hæ præsumptiones planè probant fraudem legi factam, quid enim aliud hæc pluralitas, continuatio aut multiplicatio aliud denotant quàm resignantem sibi, quam resignatario noluisse, resignare voluisse vel retinere vsque ad mortem, successorem certum & indubitatum in fraudem collatoris Ordinarij elegisse, & quoquomodo vacationem per obitum impedire voluisse; hísque illicitis artibus hæreditarium beneficium reddidisse. & hæc fuit tanti viri Riantij doctrina. Vide infr. num. 380.

NVM. CCCLXXII.

Quamuis enim in beneficiis Ecclesiasticis non æquè subueniatur minori vt in patrimonio: tamen si beneficium quæsitum resignet, subuenitur.

VIDE quæ notauimus supr. num. 240. quæ in quærendis beneficiis locum habent, idem in legitimè resignandis: possunt enim minores sua resignare beneficia, vt in prophanis de castrensi peculio disponere. at hîc probat Molinæus facilius minoribus in beneficiorum suorum resignationibus subueniri ex specialitate facti:

puta si vnum tantùm habuerint beneficium, si sint impuberes, dolosè si sit facta resignatio, vel ætatis nimia fragilitate. Notanda verba Glos. Prag. Sanct. titul. De pacif. in verbo Impedimenti, circa finem. Aduertere tamen debet iudex an hoc casu minor sit grauiter læsus. quid enim si habebat plura beneficia, & ex vno potest viuere? circunstantiæ causæ ad amussim enucleari debent: & in Curiæ registris legimus pro quodam famulo quem dominus curiosè educauerat, & de quodam beneficio ei prouidere fecerat, latum arrestum, resignationem à famulo factam fraudulentam, malis moribus extortam declarans, in publicis causarum actionibus 12. Ianuarij 1564. du Mesnil, & Buisson partium aduocatis, Boucherat Regis patrono, Dupont & Roulliard litigatoribus. Etsi attentè Molinæi rationes consideres, in fraudis & doli præsumptionibus consistunt: & quando in spiritualibus minores restituuntur, & è contrà, plura videre poteris apud Ludouic. Gomes. ad regul. de triennali possess. quæst. 15. Vide suprà num. 240.

NVM. CCCLXXVIII.

Breuiter dico quòd si reuocationem testibus probare velit, non esse admittendum.

CVM hæ reuocationes resignationum, declarationes à resignatariis factæ ratam non habere resignationem, continentes, partem tituli beneficij faciant, titulum aut componant aut destruant: æquum probationem scripto fieri, sicut & in prouisionis probatione scriptura desideratur: quæ licèt non sit de essentia collationum, est tamen ad probandam gratiam necessaria: vt post longam disputationem probat de Selua tract. de beneficiis, tertia parte, quæst. 23. num. 6. Glos. Pragm. Sanct. titul. de subl. Clement. / Literis. in verbo Documenta. Rebuf. in Praxi benef. titul. De signatura gratiæ. num. 6. Ruzæus in priuileg. reg. priuileg. 45. num. 8. Idem de iis reuocationibus & declarationibus statuendum; & nostri ea ratione moti hos actus reuocationes aut declarationes continentes duobus in casibus (puta suspicionis fraudis vel falsi) insinuari desiderarunt.

Quòd gratia Apostolica testibus probari non possit, deciditur in 1. Rotæ decis. aliàs 246. num. 4. & 27. decis. aliàs 332. De rescript. in nouis: idem de prouisione Ordinariorum dicendum ibidem n. 6. Non idem in possessione, quæ cùm sit facti testibus probari potest, ibidem: nec possum 5. aliàs 397. Rotæ decisionem de off. Vicar. in nouis approbare, commissionem ad conferenda beneficia testibus posse probari existimantem: quæ decisio Regiâ Henrici II. constitutione annullaretur. hæ enim conferendorum beneficiorum po-

testates, non tantùm in scriptis esse debent, sed in libris insinuationum Ecclesiasticarum inscribi, sub pœna nullitatis art. 10. constitut. Regiæ, in Parlamento Parisiensi publicatæ 21. Martij 1553. Non ideo pro resolutione accipienda sunt quæ recitat Ruz. tractat. Iuris regaliorum priuileg. 45. num. 7. hæc enim dubitationis non decisionis causâ allegantur. hoc vnum annotaui, in concurrentia datæ seu prouisionis eiusdem diei, prioritatem testibus probari posse; quod ipse Ruzæus in 46. priuileg. Iuris regal. pro iure singulari notauit num. 13.

Alia ratio in executore gratiæ à Summo Pontifice concessæ, licèt enim gratia in se perfecta sit solo verbo, executor gratiæ tamen nil facere aut agere potest quin præ manibus literas habeat. Literæ executoriales eo speciali casu sunt veluti de essentia quoad potestatem, gratia eo casu est informis, est imperfecta, & per literarum confectionem ad suum esse perfectum reducitur, nec ad testium probationem petendum auxilium, ex 20. aliàs 458. Rot. decis. num. 5. De concess. præbend. in nouis. Vide supr. num. 205. in addit.

NVM. CCCLXXX.

Quia cessionum reciprocatio sæpius repetita, satis exquisitam fraudem arguit.

VIDE

VIDE quæ notauimus supr. num. 369. hæ sunt veræ fraudis præsumptiones, quæ cùm scripto appareant, plenam fraudis probationem inducunt. Nonnulli tamen alioquin senatoriæ integritatis resignationum fauore contrarium existimarunt, cùm nominatim in Regia constitutione, quæ contra paruas datas vulgò denominatur, horum actuum, reuocationum, vel cessionum reciproca multiplicatio non prohibeatur; imò ea lege damnantur viæ quibus beneficia redduntur hæreditaria: quibus fraudantur Ordinarij.

NVM. CCCLXXXI.

Sed non expeditur Romæ nisi post annum.

Silet propter edictum Henrici II. contra paruas datas.

Illud edictum inficit titulum etiam in petitorio.

NVM. CCCLXXXII.

NON omittenda hæc Molinæi decisio, ratihabitionem retrotrahi, nisi quid superueniat impediens extremorum coniunctionem. l. Bonorum. ff. Rem rat. haber. hoc notauerat Molinæus ad 135. Consil. Alexand. lib. 2. Aliæ hîc recitantur auctoritates. Vnum adde, hanc

extremorum coniunctionem non fieri in præiudicium iuris tertio quæsiti.

NVM. CCCLXXXIII.

Quia procuratorium ad resignandum erat superannale. Edictum illud titulum inficit etiam in petitorio. Contra edictum illud Regium, quod ad præterita extenditur.

HAc Regia constitutione mandata ad resignandum beneficia anno pereunt, annalia reprobantur, & post annum nullius sunt roboris & momenti. nostri vocant *procurations surannées*, & nummularij nunquam has procurationes post annum recipiunt. Idem statuendum in resignationibus admissis per collatores Ordinarios virtute horum mandatorum, vt probat Molinæus in commentariis ad edictum contra paruas datas §. 10. in verbo Generalis, num. 9. in fine.

NVM. CCCLXXXIV.

Quin etiam ad titulum ipsum, & ad petitorium etiam in foro Ecclesiastico extendatur.

CVM Regium edictum contra paruas datas promulgatum, publicam regnicolarum vtilitatem contineat, sit ad vitandas fraudes publicatum, ad vitia reprimenda, imò ad vitandas falsitates institutum : huius edicti ratio etiam in petitorio iudicio vires obtinet. Et cùm Reges nostri Ecclesiasticæ politiæ protectores meritò dicantur, hanc legem Ecclesiæ politiam spectantem beneficiis imponere potuerunt: his rationibus mouetur Molinæus ad dictæ constitutionis comment. §. 10. glos. 2. num. 4. & citat antiquum Cancellariæ Apostolicæ stilum, mandata post annum reprobantem. Sed auidi & fraudulentes beneficiorum aucupatores existimant hanc constitutionem in possessorio ius tantùm dicere, ídque verbis edicti disertè cautum detur. Sed petitorij iudices, quæ sunt vtilitatis publicæ, quæ Gallicanæ Ecclesiæ politiam concernunt, quæ ad vitandas fraudes & falsitates summa cum ratione instituta sunt, semper & vbique probabunt. Ratio in vtroque foro perpetua est. & si in Ecclesiastico palatio adeò iniquæ mentis iudices inuenirentur, qui sanctas has constitutiones non probarent, eorum, ne iudicia dixerim, sed erroneæ opiniones per appellationem tanquam ab abusu post trinam sententiam conformem corrigerentur.



NVM. CCCLXXXVI.

Procurator nihil eo nomine priùs gerere poteſt, quàm mandatum ad ſe non fortuitò, ſed per nuntium, &c.

REPROBATVR nummulariorum erronea conſuetudo, qui cum materiarum ſuarum faſciculo mandata ad eiuranda beneficia Romæ non mittebant: Reſignationes enim admiſſæ antequam mandatum Romæ aduolauerit, antequam in procuratorum manibus peruenerit, nullæ ſunt. Imò Molinæus ad edictum contra paruas datas §. 12. gloſ. 1. ſpeciem falſitatis gratiam ſic malè factam nominat. Seruabatur in regno ante edictum contra paruas datas diſpoſitio Gloſ. Clement. 1. in verbo Receptus. De procuratoribus. ante mandati receptionem quis procurator dici non poterat, & vltra auctores à Molinæo recitatos, vide Rotæ deciſionem 7. Si procurator. in nouis, quæ eſt aliàs 145. De procurat. & additio. in verbo Acceptaſſe. Clement. Gloſ. approbantem.

NVM. CCCXCII.

Vt ſtatim ſit procurator & poteſtatem habeat.

CVM ex supradictis procurator dici non possit antequam præ manibus mandatum ad resignandum habeat: hæc sit iuris regula: hoc sit ad obuiandum fraudibus constitutum, & veluti ex substantia mandati: cùm per rerum naturam antea scire non possit procurator tenorem mandati, eius conditiones, limitationes & clausulas. non est in potestate constituentis hanc conditionem seu clausulam apponere, & si apposita sit nullius est momenti, nec per eam scire potest procurator contenta in mandato, antequam ad eius notitiam peruenerit: hæc sunt mandati substantialia, quæ sunt extra constituentis potestatem, vt hîc probat Molinæus.

NVM. CCCXCV.

Si defunctus potuit constituere procuratorem ad resignandum patrem laïcum.

NVM. CCCXCVI.

Quæ tenet non referre an procurator sit clericus an laïcus, & omnes sequuntur.

IGITVR laïcus potest esse procurator ad eiuranda seu acceptanda beneficia: & hanc opinionem ex communi Doctorum sententia sequi-

tur Molinæus. Adde Glos. Pragm. Sanct. in §. Statuit. in verbo Procuratorem. De collat. & Probus in addit. num. 6. hoc ita obseruari asserit. & hæc à Rebuf. probantur in tractat. Nominat. quæst. 14. num. 94. 95. & 96. & omnes doctrinam Glos. Clement. 1. in verbo Procuratorem. De renunciat. & Clement. 1. De concess. Præbend. in verbo Præsenti, sequuntur, vt tenet Ioannes de Selua tract. de beneficiis parte 3. quæst. 55. num. 3. & ita in Rota obseruatur 11. aliàs 418. decis. De rerum permutat. in antiquis.

NVM. CCCXCVII.

Quia tunc laïcus non nudum ministerium, sed etiam electionem & arbitrium haberet, & in totum ab eius arbitrio, dispositio rei spiritualis dependeret.

NVM. CCCXCIX.

Sed his nonobstantibus puto quòd possit.

SI rationem Glos. Prag. Sanct. consideres in §. Statuit, in verbo Procuratorem. De collat. procuratorem laïcum ideo constitui posse ad resignanda seu acceptanda beneficia: quia, inquit,

talis procurator in illo actu se habet vt nudus minister, & vt pica declarando voluntatem domini; ideo censetur gestum ab ipso constituente. Sequenti distinctione certior erit Molinæi opinio. Aut per mandatum generalis datur potestas, & totum negotium pendet ex mera voluntate procuratoris, & non eum constituentis: tunc talia mandata reprobantur, cùm laïcis spiritualia tractare & decidere sit prohibitum, in cap. Decernimus. De iudic. Aut verò mandatum personæ certæ nominationem continet, aut certum ex incertis, aut quid aliud: ita vt procurator ministerium certum habeat ex parte constituentis, procurator ex se arbitrari non possit an quis sit idoneus, per se ipsum tractare, decidere, eligere non possit, sed tantùm virtute mandati limitatam potestatem continentis, vel si præsertim Superioris arbitrio & iudicio submittatur, tunc validum est mandatum, & à iure receptum. & si auctores supr. num. 396. à Molinæo recitatos bene consideres, eo tantùm casu procuratores laïcos ad renunciandum, ad eligendum admittunt, cùm nudum præbent laïci ministerium, cùm limitatam habent potestatem; & ita sentit Molinæus num. 399. in hæc verba, Quia ibi dependebat à mero & solo arbitrio laïci. Ex iis reuocantur in dubium mandata ad eiuranda beneficia per procuratorem laïcum, in fauorem personæ per procuratorem nominandæ constituta, cùm personæ electio in totum pendeat ex vo-

luntate & ministerio procuratoris : sed cùm hoc pendeat potiùs ex voluntate Superioris, qui capaci tantùm & idoneo conferre tenetur ; tolerantur talia mandata. & hoc probare videtur Molinæus num. 400. in hæc verba: Negotium istud non dependet à solo procuratore, sed à procuratore & Superiore simul, & adhuc potiùs & principaliùs à Superiore persona Ecclesiastica. Sed hoc ita absolutè non teneas, quin violenta fraudis & confidentiæ suspicio ex iis clausulis resultet. hæc quidem tolerantur, sed de facili destruuntur: quis enim non videt huius clausulæ prætextu totum negotium pendere ex mera procuratoris voluntate, & soli procuratori, non collatori gratiam habendam à resignatario? Multum opinioni Molinæi deferendum existimo, sed talia mandata, vt mihi suspecta, nunquam probaui, nec tam eo casu procuratores quàm veri domini dicuntur, ad instar procuratoris generalis omnimodam alienandi potestatem habentis sine vlla pretij restitutione. & recitat Molinæus ad edictum contra paruas datas §. 10. glos. 2. num. 1. quædam Senatus decreta generales has clausulas reprobantia, & quæ ad abutendum, & sordidè de beneficiis negotiandú inuentæ fuerant. Et vt quid certi ex iis colligere possis, dic breuiter clausulas generales ad resignandum certum beneficium denominatum tolerari, nec edicto contra paruas datas comprehendi : alias verò certum beneficium non designantes, sed ad quæcunque beneficia

ficia obtenta seu obtinenda sine vlla speciali beneficij denominatione se referentes, edicto comprehendi. & vt ex hypothesi hæc sint faciliora, in primo casu hæc sit clausula, G. procuratorem suum, &c. constituit ad resignandum in manibus Papæ in fauorem personæ per procuratorem nominandæ, aut purè, & simpliciter in manibus Ordinarij, Prioratum diui Ambrosij, vel Parochialem Ecclesiam sanctorum Petri & Pauli; & hæc toleratur clausula propter certi beneficij expressionem. Secundo casu sit clausula, G. procuratorem constituit ad resignandum, &c. permutandum, &c. siue in manibus sanctissimi domini nostri Papæ, in fauorem personæ per dictum suum procuratorem nominandæ, aut purè, aut simpliciter in manibus Ordinariorum collatorum, beneficia curam animarum habentia aut simplicia, regularia seu sæcularia, quæ dominus constituens tunc temporis habet, & de quibus legitimè & canonicè ei prouisum fuit, & quæ in posterum obtinere poterit. & talia mandata vt abusiua edicto comprehenduntur, vt omnia mandata specialem beneficij resignati denominationem non continentia; hæc ex verbis Molinæi colligere poteris.

NVM. CCCCI.

Hoc tacito quòd mandatum erat superannale.

SVPERIVS diximus num. 381. summa cum ratione introductum mandata ad resignandum post annum nullius esse momenti. Sed nota verba Molinæi ad finem num. 402. (Tamen vix practicaretur quantum ad negotia iam consumpta:) ergo in terminis edicti standum. In aliis verò casibus talia mandata post annum approbari possunt, cùm in iure non videatur prohibitum. Edictum igitur contra paruas datas art. 10. suis cancellis limitetur in procurationibus ad eiuranda beneficia constitutis: in aliis iura antiqua remaneant: & quæ hîc à Molinæo recitantur, iisdem ferè verbis repetuntur in comment. ad edict. contra paru. dat. §. 10. glos. 2. num. 3.

NVM. CCCCIII. vsque ad NVM. CCCCX.

Sed hodie post edictum §. 12. non sufficeret quòd procurator substitutus habeat instrumentum substitutionis præ manibus tempore resignationis, sed necesse est quòd etiam habuerit præ manibus instrumentum originale mandati.

ADDIT Molinæus ad §. 12. edicti contra paruas datas, loquitur enim edictum de solo

mandato ad resignandum, non de mandato & substitutione: sed quia mandatum substitutionis clausulam continens, & substitutio facta vnum & idem mandatum est, vna & eadem potestas, vnum negotium respectu domini constituentis, mandatum sine substitutione, & substitutio sine mandato non probant, nulliúsque sunt momenti: duæ sunt catenæ ita simul alligatæ, vt vna ab alia omnino dependeat; æquum est substitutiones verbis edicti contineri. Ideo vigilent nummularij, in huius enim solemnitatis obseruatione decipiuntur, & decipiunt impetrantes, & prouisiones beneficiorum sic perperam obtentæ nullitatis vitio laborant, & edicti pœnis subiiciuntur. Quòd autem substitutionis instrumentum habere debeat procurator, vide 7. aliàs 145. Rotæ decis. titul. De procurat. in nouis, in addit. num. 4.

NVM. CCCCXIV.

Propter multa supremi Senatus nostri arresta contra petentes post annum subrogari.

CVM subrogatio in beneficiis litigiosis sit tantùm accessoria & liti possessoriæ accedat, cuius actio intra annum intentari debet ex Regia constitutione 1539. promulgata, art. 61. plus iuris habere non potest quàm ipsa principalis in-

ſtantia. Ideo tenent noſtri ſubrogationem intra annum à die poſſeſſionis adeptæ computandum peti debere, poſtea denegari. Et in ſtilo Curiæ Parlamenti Pariſ. part. 7. Arreſto 91. cauſam ſolenni decreto deciſam legimus 23. Iunij 1509. in cauſa Prioratus de Sammiaco Ordinis Cluniacenſis in diœceſi Claromont. Quod quidem decretum media & rationes partium continet, & refert Rebuf. in §. Declarantes. De mand. Apoſtol. in verbo. Noſque. Alio decreto Senatus à Molinæo hîc recitato idem iudicatum. Nota, inquit, perpetuò quòd niſi quis intra annum petat ſubrogari, poſtea non admittetur agendo ſuper poſſeſſorio: qui enim anni ſpatio ius ſuum neglexit amiſit priuilegia regulæ De annali poſſeſſore, incidit in pœnam regulæ; & è contrario qui eo tempore pacificè poſſedit annalis eſt poſſeſſor. Hodie tamen faciliùs hæ ſubrogationes etiam poſt annum à nonnullis ea ratione admittuntur, quòd iudicia noſtra poſſeſſoria in his ſacris quæſtionibus aliquid petitorij habent, maximè cùm decreto Senatus deciduntur, & in petitorio tale præiudicium afferunt, vt ſuper iiſdem mediis, actis & titulis, ſi nihil aliud noui emerſerit, non liceat iudici Eccleſiaſtico quid aliud ſtatuere. Vnde etiam faciliùs nouitatis inſtantias poſt annum à die poſſeſſionis adeptæ computandum, in his controuerſiis admittunt; an ad eludendam Eccleſiaſtici fori cognitionem, aut potiùs ampliandam & protegendam iuriſdictionis Regiæ auctoritatem, id

fuit mihi incognitum. Sed in causa Prioratus de Beaupreau Ordinis sancti Benedicti, in 5. classe Inquisitionum pendente inter Iacobum Fauin & alios contendentes, relatore dom. Ribier, ab ea formalitate seu scrupulositate seu subtilitate (vt nonnulli dicebant) discessum, & subrogatio recepta post 27. diem anni præteriti, (dicente qui subrogationem petebat, se possedisse de facto.) Et difficultas quæ est hodie in petitorio, iudices sæculares ad ea statuenda multum conducit. his adde, perrarò post iudicium possessorium acceptum recurrit ad petitorium.

EOD. NVM. CCCCXV. in fine.

Et quod in ea Curia post conclusionem in processu scripto non est locus interruptioni nec peremptioni instantiæ.

IN Senatu iuris est certissimi, post conclusionem in processu scripto (pragmatici his verbis vtuntur, *aprés la conclusion comme en procés par écrit*) locum non esse peremptioni instantiæ. Idem priusquam Patres Consilij causam esse iudicarunt, (pragmatici vocant, *aprés l'appointé au Conseil*): idem in instantia. Sed in iis omnibus litem in eo statu desiderari vt iudicari possit (verba fori sunt, *en estat de iuger, que les forclusions sont acquises, ou que les parties ayent satisfait au reglement*), quando

non litigantium diligentia, ſed iudicis tantùm deſideratur officium, quod ſpeciale in ſupremis Franciæ tribunalibus, in quibus nefas à denegatione iuſtitiæ prouocare. Sed in qualibet alia iuriſdictione, etiam Requeſtarum Palatij, omnis inſtantia in quocunque ſtatu eſſe poſſit, peremptioni ſubiicitur; & à iudicibus à denegatione iuſtitiæ poteſt prouocari. Ideo partium negligentiæ imputandum, ſi ex omni parte inſtantia non ſit inſtructa, & ſi inſtructa ſit, cur triennali ſilentio deciſionem cauſæ neglexerunt.

NVM. CCCCXVI.

Secus ſi inſtantia aliunde pereat, puta per mortem naturalem vel ciuilem.

APPOSITE diſtinguit Molinæus cauſas peremptionis inſtantiæ prophanarum & ſpiritualium controuerſiarum. In prophanis vno ex litigantibus defuncto, aut procuratore cauſæ, dormit inſtantia, non perimitur quocunque tempore. Vt enim inſtantia perimi poſſit, requiritur vt quis legitimè agere, experiri, proſequi poſſit cum legitimo defenſore. quæ omnia ceſſant parte aut procuratore mortuis: tunc enim euaneſcit quod geritur, nullæ dilationes, acta cauſæ nulla, & ita ſæpiſſimè iudicatum. Non idem in ſpiritualibus negotiis, in quibus ſucceſſor dari non

potest, iura & actiones ad hæredes, vel successores non transeunt, tunc instantia perimitur, nil parti imputari debet, ad noui successoris in beneficio perquisitionem non obligatur; & antiquitus in Senatu plenum possessorium morte vnius ex litigantibus sine alia causæ cognitione dabatur, ex Rebuf. in Praxi benefic. titul. de subrog. num. 29. cap. finali. Vt lite pend. in 6. & licet hodie non obseruetur hæc iuris dispositio, tamen ius quoddam speciale in his spiritualibus controuersiis quæ non perpetuæ, sed temporaneæ esse debent, statutum fuit.

NVM. CCCCXVIII.

L. quisquis §. præterea c. de postul. prohibens aduocato contrahere cum clientulo, locum habet etiam in procuratore & solicitatore, vt Arresto huius Senatus iudicatum fuit die 7. Iulij 1514.

VBI eadem ratio, ibi idem ius constituendum. Non minor potestas procuratoris in lite, quàm aduocati, imò procuratores sunt domini litium. Idem in solicitatoribus, qui partium instrumenta retinent, & verbis clientes eludunt.

hæc omnia bono publico introducta sunt, ad vitandas calliditates fori.

NVM. CCCCXIX.

Nec impedire resignatarium subrogari in iure, possessione, & instantia.

REFERT Rebuf. in Praxi benef. titul. de subrogat. num. 28. in Regno Franciæ obseruari solere, vt postquàm quis canonicè subintrat per mortem aut resignationem in beneficio, possessionem illico accipiat, & postea literas Regias impetret, quibus petat subrogari in ius, possessionem, & instantiam defuncti. eadem est Molinæi opinio infr. num. 422. Quoad ius & instantiam dubitari non potest; possessionem autem sic intelligas, non vt sit continuatio possessionis, vt quis decreto De pacificis iuuari possit. Sed si defunctus aut resignans erant in reali possessione, aut per sententiam, aut alio modo, subrogationis iure, eadem possessionis commoda dentur. hæc autem peti debent vocatis quorum interest, cùm de renouanda lite, imò de ea resuscitanda (si antiqui iuris rigore agere liceret) agatur, vt hîc probat Molinæus.



NVM.

NVM. CCCCXXII.

Et ita notoriè obseruatur, vt quicunque Ordinarij non minùs per obitum, vel cessionem simplicem, &c.

HODIE ex communi & vsitatissimo stilo conferuntur & impetrantur beneficia litigiosa, morte vnius ex collitigantibus, & noua accipitur possessio, & literæ Regiæ iustitiæ (quæ cùm sint iustitiæ petenti conceduntur) impetrantur, vt litis & iuris fiat subrogatio, vt hìc pleniùs probat Molinæus.

NVM. CCCCXXIV.

Vnde secùs est si successor de facto possederit.

LIMITANTVR ea quæ suprà diximus num. 415. & eo casu post annum subrogatio peti potest, quando à vero possessore petitur, tunc enim quocumque tempore valet subrogatio, cùm cesset annalis possessoris exceptio, qua petens subrogari post annum excluditur. Sit igitur pro regula, possessori annalem exceptionem non obiiciendam in subrogatione. Non possidenti nocet annalis exceptio in subrogatione. Vide num. 425.

NVM. CCCCXXXIII.

Sitque Rex ſupremus dominus poſſeſſionum.

VNAQVÆQVE iuriſdictio, Eccleſiaſtica & Regia, ſuum ſummum & ſupremum dominum habet. Eccleſiaſtica Summum Pontificem, Regia Regem noſtrum Chriſtianiſſimum. vna ab alia non dependet: ſuos iudices, ſua ſtatuta: ſuas conſtitutiones habent: in vtraque tamen ratio militat, dominatur, & præponderat.

NVM. CCCCXXXIV.

Non obſtat quòd ſententia pro veritate habeatur.

HODIE appellationum ea eſt facilitas, harum ea frequentia, vt hæc ſint prorſus inutilia; & ſi quantulumcunque præiudicium afferat ſententia etiam inter alios lata, illico appellationis datur remedium.

NVM. CCCCXXXV.

Secùs ſi extrudatur, etiam per prouiſionalem tantùm ſententiam, vel per ſequeſtrationem.

REGVLA De public. loquitur de possidente cum effectu : at sententia prouisionalis, seu recredentiæ, & sequestratio possidentem à reali possessione deiiciunt ; ideo cessat his in casibus.

NVM. CCCCXXXIX.

Tum quia dispensatio non fit nisi expressè dicatur.

QVIA dispensationes cum causa fieri debent, & sunt contra iuris communis dispositionem, tacitè non intelliguntur, sed exprimi debent ; aliàs sæpissimè citra vel contra voluntatem concederentur. Quædam tamen tacitè dispensationes in Iure Canonico admittuntur, quando re ipsa, aut ex certa verborum inductione procedunt : vt puta si in supplicatione orator obtenta declarauerit beneficia, Papam super pluralitate beneficiorum oratorem dispensasse prouidendo verè quis dixerit, licèt expressè non pronunciauerit. hoc enim ex re ipsa procedit.

NVM. CCCCXL.

Vel de regulari redacta ad sæculare per spatium 40. annorum.

EO enim temporis ſpatio, puta 40. annorum, ſtatus & qualitas beneficij poteſt immutari, ex cap. Cùm de beneficio. De præbend. in 6. Et quia noſtri fauorabilem præſcriptionem exiſtimant, quæ beneficia ab oneribus ordinariis liberat; dixerunt Conuentuales Prioratus in ſimplices per 40. annos commutari: & hoc pro Prioratu de Montelem Cluniacenſis Ordinis Prætoriani Conſilij Patres iudicarunt pro domino Carolo Faye Senatore Pariſienſi. Limita, niſi in Prioratu clauſtralia eſſent officia quæ præſcriptionem impedirent, malámque fidem inducerent. Iudicarunt etiam pro officio clauſtrali per 40. annos in commendam ſæcularem regi ſolito: ſed dubitarem, cùm clauſtralis officij qualitas commendam ſæcularem impediat, contrà ipſas fundationes beneficiorum, quæ ſunt iuris publici, eo ſpatio præſcribere iura publica non patiuntur. Procedit etiam hæc præſcriptio 40. annorum in Prioratibus Curatis Ordinis ſancti Auguſtini, per ſæculares Preſbyteros obtineri ſolitis. Et Romæ hæc faciliora iudicantur, cùm 10. annorum ſpatio præſumatur beneficij qualitas, & in aduerſarium reiiciatur contrarij probatio: ex 22. aliàs 487. Rotæ deciſ. De probat. in antiquis. & ita in Rota iudicatum docet 2. aliàs 32. Rot. deciſ. verſic. Quòd ſufficiat decennalis præſcriptio. De præbend. in nouis. in hypotheſi beneficij regularis per ſæculares decennio poſſeſſi; eo enim temporis ſpatio vltimus ſtatus beneficij

plenè probatur. Sed commendæ sæcularis, vel regularis prætextu nulla procedit præscriptio: ita vt si regulare beneficium per 100. annos in commendam per sæculares obtineri solitum sit, vacat semper in titulum: Imò commenda conseruat beneficij qualitatem regularem; commenda enim dispensatio est quæ conseruat qualitatem beneficij, non immutat; & hæ commendæ ad vitam tantùm conceduntur, morte extinguuntur. & Molinæi verba consideranda, Videlicet quando per sæculares rectum & possessum fuit beneficium, tanquam sæculare in titulum, secùs si in commendam.

NVM. CCCCXLI.

Quia monasterium non est ecclesia, sed sella monachica.

ECCLESIARVM verbo veniunt Ecclesiæ quæ Sacramentorum administrationem, vel quæ habent Clerum & populum. aliæ proprium nomen habent, Abbatiæ, Collegia, Capellaniæ, Conuentus, Congregationes.

NVM. CCCCXLIII.

Vt Ludouicus in partem pensionis retineret collationẽ vel præsentationẽ omnium beneficiorum.

IN vtramque partem agitata quæstio supr. in regul. De infir. num. 323. an hæc collationum reseruatio pensionis loco fieri posset, & concedi. probare videtur Molinæus.

NVM. CCCCXLV.

Secùs quando non temporali contractu priuatorum, sed iure proprio perpetuo spectat collatio beneficiorum ad duos Prælatos communiter.

HIc vides aliam rationem collatoris, aliam pensionarij collationes beneficiorum habentis: Insinuatio facta collatori contra pensionarium, suum operatur effectum, non habet collationes nisi cum onere suo, non propriè collatores pensionarij dicuntur, sed impropriè & ad tempus, dispensatione scilicet. at quando collatores ad duos Prælatos pertinent, quilibet est collator, cuilibet collatoris honor deferendus, ita vt si mandatariis Apostolicis locus esse possit, vnusquisque collatorum 10. beneficia in collatione habere debet. Vide Glos. Prag. Sanct. §. Non tamen intendit, in verbo Decem. de collat.

FINIS.



INDEX.

A.

B.

C.

D.

L

M

N

O

R

FINIS.





GEORGII LOVETII NOTÆ AD COMMENTARIA CAROLI MOLINÆI

In Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ.

AD REGVL. xx. *DE IMPETRANTIBVS benefic. viuent. &* XXVIII. *de veriſ. notit. obitus.*

NVMERO II.

Et indiſtinctè dicendum omnes has regulas quæ loquuntur de gratiis & diſpenſationibus Papæ.

SI Summus Pontifex, ſumma æquitate & publica Eccleſiæ vtilitate ſuadente, quid de ſua abſoluta poteſtate diminuere voluit, háncque legem ſibi imponere, vt viuentis beneficia ab eo impetrari non poſſent : idem in Legato etiam à latere ſtatuendum iuris eſt certiſ-

ſimi, cùm Legatus veluti Papæ vel Sedis Apoſtolicæ vicarius maiorem ſuo domino auctoritatem non habeat; hanc poteſtatem ſibi denegauit Summus Pontifex, hanc Legato concedere nec voluit, nec potuit.

NVM. III.

An locum habeat in Ordinario.

CVM hæc regula vigeſima De impetrante beneficium viuentis vim & auctoritatem accipiat à iuris communis diſpoſitione, in cap. 1. & 2. de conceſſ. præbend. cùm hæc iuris communis diſpoſitio ex Eccleſiaſticæ diſciplinæ fontibus hauriatur, vt clerici in beneficiis conſeruentur, eorum vitæ & bonis non inſidietur, homicidiis via non aperiatur, in Ordinario locum habere eadem ratio ſuadet & militat; nec minor eſt in Ordinariorum prouiſionibus inſidiandi vitæ hominum occaſio, quàm in iis quæ Romæ obtinentur. His rationibus Gomeſ. Pragm. Sanct. & Ioannes de Selua in locis à Molinæo recitatis ſtatuerunt, non tam regulæ verba (quæ tantùm in Romano Pontifice locum habere videntur) conſiderari, quàm rationem ipſam & regulæ fundamentũ.

NVM. V.

Sed etiam & ſecundò in ratione,

imò in necessitate naturali.

REGVLAM 20. De impetrante beneficium viuentis locum habere in Ordinario collatore dictum fuit: idem in regula De verisimili notitia statuendum esse asserit Molinæus,& communis hæc est opinio, vt probat Gomes. ad hanc regulam 28. quæst. 1. & Ioann. Andr. & Decium suæ opinionis adsertores nominat. Appositè autem Gomesius ad huius regulæ De verisimili notitia præfationem, huius dispositionem sanctam & salutarem existimat, fraudes coërcere, & cupidæ ambitionis audaciam refrænare,& Ioan. XXIII. in hac regula condenda, eo exordio animos attraxisse, vt in habendis beneficiis Ecclesiasticis fraudes euitarentur, seruaretur conscientiæ puritas, & ambitionis via præcludatur ambitiosis. & miror non minimæ auctoritatis Doctores existimasse regulam locum non habere in Ordinario, qui à Gomes. loco citato, & à domino Guimerio ad tit. de collat. in Prag. §. Neque etiam, in verbo, Faciendas, recitantur: quorum opiniones ratione, auctoritate, & præiudiciis refutantur. & Probus ad dictam Glos. Pragm. Sanct. num. 5. Rebuf. & Ioan. de Selua ita cum Molinæo sentientes allegat. & sic in Parlamento Parisiensi iudicatum. Huic autem regulæ Papa derogare non potest, cùm eius ratio & fundamentum sit in sensu & ratione naturali; naturam imitasse, contra quam cessat Summi Pontificis potestas: fieri non potest

possibile quod per rerum naturam est impossibile. velocissimus cursor 7. tantùm die à ciuitate Parisiensi Romæ aduolare potest, nulla dispensatione fieri potest, nulla potestate, vt 3. die ista fiant; hæc sunt supernaturalia, in quibus si nil possunt Sum. Pontifices sua potestate summa, quid poterunt Ordinarij collatores? Ideo constanter teneas regulam de verisimili notitia locum habere in Ordinario collatore, & est vnanimis Glos. Pragm. Sanct. & Molinæi, Probi, Rebuf. Gomes. Ioannis de Selua sententia. Nil mutat collationibus Ordinariorum conditionem inesse (si vacat beneficium): idem de aliis prouisionibus sentiendum. Sed in qualibet prouisione militat illa impossibilitas itineris, quæ quamlibet humanam potestatem superat.

NVM: VI.

Ex quibus infertur nec Papam quidem huic regulæ derogare, vel contra eam dispensare posse.

DIXIMVS supr. num. 5. naturalem rationem pro fundamento regulam de verisimili notitia habere, in iis quæ sunt supra naturam nullam dispensationẽ militare; ideo nulla est derogatio ad hanc regulam, & in regno rationem regulæ potiùs quàm ipsam regulam obseruamus: ideo si regulæ sit derogatum, remanet tamen ratio re-

gulæ quæ perpetua eſt. Ita in Senatu Pariſienſi iudicatum refert Lucius Placit. lib. 1. tit. 4. Arreſt. 11. & bis ita in eodem Senatu iudicatum contra Ordinarij collationem narrat Molinæus ſup. num. 9. pro Parochiali Eccleſia de Biſet, & ſancti Boni Pariſienſis. & Rebuf. in Praxi benefic. ad hanc regul. de veriſimili notitia gloſ. 1. regulam Cancell. Apoſtol. 28. in Senatu Pariſienſi regiſtratam & probatam anno Domini 1493. 20. Nouemb. & in Senatu ad vnguem obſeruari, nec ei Summum Pontificem poſſe derogare, ex Bened. in cap. Raynutius, in verbo, Si abſque. numero 42. aſſerit.

NVM. XI.

Hanc regulam etiam procedere in gratia motu proprio Papæ facta.

SI quæ ſuprà diximus num. 6. vera ſint, vt veriſſima, nulla diſpenſatione huic regulæ poſſe derogari, & quæ à Summo Pontifice etiam motu proprio geruntur, maioris non ſint efficaciæ, quàm ea quæ à ſua ſumma & ſuprema poteſtate, in prouiſione motu proprio facta locum habebit regula de veriſim. notit. Nec obſtat impetranti nil imputari poſſe; prohibitio enim regulæ tam contra impetrantem quàm contra conferentem militat; nec minùs peccat conferens, quàm is cui confertur beneficium. Nec miror Gomeſ. quæſt. 6. ad Reg. de veriſimili not. con-

tra Summi Pontificis prouisionem eo in casu sententiam dixisse; licèt enim ex stilo communi Cancellariæ Apostolicæ, omnibus regulis & constitutionibus soleat per clausulam generalem derogari, sit Summus Pontifex supra regulas Cancellariæ Apostolicæ, non tamen supra rationem, quam pro regula in regno obseruamus.

NVM. XVI. XVII. XVIII. XX.

QVi iusta & probabili mortis beneficiari occasione, cùm falsus mortis rumor esset, beneficium obtinuit, incidit in legem De verisimili notitia, non in pœnam legis De impet. benef. viuentium. Regula De verisimili notitia non pœnam impetranti imponit, sed tantùm prouisionis nullitatem inducit. Regula de impet. benef. viu. non tantùm prouisionem beneficij viuentis nullam reddit, sed impetrantem indignum & incapacem pro ea vice reddit. Inter vtrumque lata differentia, cùm enim de infligenda pœna à lege instituta quæritur, necessarium est peccantem scienter in legem deliquisse, & iusta ignorantia à pœna excusat, maximè cùm pœna delinquentem iure suo priuat. In pœnis mitior via eligenda est, l. Si præses. De pœnis. ideo non tantùm iusta sed etiam probabilis causa à pœna excusat, reg. In pœnis. De reg. iuris in 6. idque cùm magnum præiudicium infert, inquit Molinæus noster ad legem municipalem Paris. §. 44. num. 10.

Leges enim ſcienter peccantes, non ignoranter errantes, iure ſuo priuant, vt hîc probat Molinæus ex communi Doctorum opinione, ad caput final. De iure patronat. Non idem ſtatuendum cùm in quærendis de nullitate actus tantùm quæritur, vt in reg. de veriſimili nótit. quæ in perſonam impetrantis nil ſtatuit, ſed lucrum & commodum prouiſionis beneficij malè & perperam obtentæ aufert, quod in quærendis faciliùs toleratur, vt ſuprà notauimus ad reg. De publicand. num. 240. 241. Qui beneficium ſic impetrare voluit, reg. de veriſimili notit. diſpoſitionem præuidere debuit, quæ verò in quærendis diſponit, & conditioni regulæ parere, & vt paucis concludam beneficium contra regulæ diſpoſitionem ſiue ſcienter ſiue ignoranter obtinere ſeu acquirere non potuit. In regula 20. damnum, in regula de veriſimili notitia lucrum verſatur. hæc ſunt verba Molinæi num. 23. Ne igitur rationibus Ludouici Gomeſ. per eum adductis in quæſt. 3. ad regul. de impetr. benefic. viuentis, decipiantur lectores, quæ aures admodum demulcent, ſed tamen cum Molinæo noſtro conueniunt in iis quæ nullitatem prouiſionis obtentæ concernunt: diſcrepant in noua prouiſione obtenta. Molinæus nullam primam prouiſionem cum Gomeſio iudicat, ſecundam prouiſionem validam, cùm ignorantia à pœna regulæ excuſauerit impetrantem. Gomeſius & primam & ſecundam prouiſionem nullas exiſtimat, non tam ob pœnam à regula inditam, quàm odio

impetrantis beneficium viuentis, vt sua ambitione omni lucro priuetur. Hæ conciliari poterunt opiniones, si modò in secunda seu noua prouisione impetrans Summo Pontifici declarauerit iusta ignorantia primam prouisionem obtinuisse: hæc enim expressio Sanctitatem suam mouere vel dissuadere poterit. Si autem impetrans in noua sua prouisione hanc expressionem omiserit, subreptitia erit prouisio, non in vim regulæ, non propter incapacitatem seu inhabilitatem à regula statutam, sed ex iuris communis dispositione, subreptitias omnes prouisiones beneficiorum annullante.

NVM. XIX.

Si quis tamen non impetrauit, sed sine collatione de facto occupauit beneficium viuentis.

DVBITARI poterat, cùm reg. 20. De impet. benef. viuent. in prouisione tantùm loquatur, & contra impetrantem statuat, nil verò contra detentorem beneficij: in pœnis autem imponendis verborum nulla admittatur extensio, & omissum à lege suppleri non possit, vt probat Alexand. Consil. 103. num. 15. lib. 1. & ibi Molinæus in additione, non quòd violentus beneficij occupator seu detentor venia dignus, imò maiori supplicio mulctandus sit. Dic igitur non in vim

vim regulæ De impet. benefic. viuentis detentorem mulctandum, cùm de eo non loquitur; ſed ex qualitate criminis incapacitatem iudicandam: cùm hos violentos occupatores reiiciat Eccleſia, qui per oſtium non intrant, qui in regulam primam de reg. iur. in 6. committunt. Extendenda Molinæi opinio in eorum perſonam, qui cùm de facto ſine titulo beneficium occupauerunt, poſtea eius prouiſionem obtinent. Ad quam extentionem inuitare videntur Regiæ conſtitutiones Franciſci I. anno 1539. publicata art. 60. & Henrici III. Bleſenſis ſcilicet artic. 46. Quibus impetrantibus iure deuoluto prohibetur impetrati beneficij fructus percipere, ante ſententiam cum legitimo contradictore latam, contrà facientes ſuo tam iure deuoluto quàm alio quocumque priuari. Eadem extentio facilior erit in perſonam talium iure deuoluto impetrantium, qui cùm in Regiæ Bleſ. conſtit. pœnam inciderint, idem beneficium poſtea obtinere non poſſunt ſine ſpeciali diſpenſatione legitimè obtenta, vt & ſentire videtur Molinæus num. 22. in hæc verba: Etiam ſine vlla diſpenſatione vel habilitatione.

NVM. XXI.

Contrà dicendum eſt: quia talis ignorantia ſuper rumore alibi

quàm vbi defunctus ægrotabat & mortuus est existente.

PENDET quæstionis decisio ex probatione facti rumoris certi vel incerti veluti notorij; posset enim rumoris fama esse ita notoria, vt à pœna legis propter probabilem ignorantiam excusaret: facilis credulitas etiam excusat à pœna in quærendis, modò supina non sit. Verba autem Molinæi num. 22. (ex causis incertis, seu leuibus, aut dubiis) ex causis iustis, & certis, ex variis causarum figuris & circunstantiis dependent, quæ à bono iudice ex qualitate facti & probationum diuersitate iudicari poterunt. In dubio tamen tempus veri obitus, non rumoris, vel famæ spectatur. Vigilent ergo impetrantes in probatione notorij obitus, aliàs locus erit opinioni Molinæi infr. num. 23.

NVM. XXIV.

DE hac probabili notitia quæ Ordinario collatori datur ad conferendum, diximus sup. ad regul. De public. num. 149.

NVM. XXV.

Limito, nisi mors fraudulenter occultata fuerit. Idem dico per

quemcumque facta fuerit illa occultatio.

SI impetrantis contemplatione aut alia consideratione celatum cadauer fuerit, vera Molinæi opinio, & quæ decreto Senatus seruata fuit anno 1525. Sed hodie Regia constitutione anno 1539. publicata art. 51. 52. 53. 54. 55. & 56. id strictiùs & sub maiori pœna prohibetur. Sed si nil prorsus impetranti posset imputari, si nulla latitationis cadaueris in eum suspicio cadat, si aliunde & sine vlla fraudis machinatione mortem sciuerit, bona fide beneficium impetrauerit: secus iudicarem cùm Summus Pontifex præuentionem in omnibus beneficiis collatiuis habeat contra Ordinarios, per §. Declarantes. De mandat. Apost. in Concordat. & imputandum eo casu collatori cur impetranti potiùs legitimis artibus cognita mors fuerit: & hanc opinionem omnino reiicere non videtur Molinæus num. 26. in hæc verba, Alioquin si constet quòd per penitus extraneum, ad alium finem, cessabit subreptio respectu huius impetrantis. Nec suæ opinioni subscribere possum, cùm eo speciali casu desiderat legitimum tempus inter mortis publicationem & gratiam factam. Hæc enim verisimilis notitia obitus inter collatorem Ordinarium, & Superiorem ad quem fit deuolutio ex Lateranensi Concilio, locum habet ex cap. Quia diuersitatem. de concess. præbend. non autem respectu Summi Pontifi-

cis, per dictum §. Declarantes. Sufficiat igitur legitimum temporis spatium ex locorum distantia inter horam mortis, & datam gratiæ, ex regula De verisimili notitia.

NVM. XXVII.

Non est minùs quàm 7. dierum.

AD omnem ambiguitatem tollendam, quæ ex velocissimorum cursorum nimia vel suspecta diligentia quotidie sese offerebat, & ad vitandas falsitatis suspiciones, septimus dies pro legitimo termino statutus est à ciuitate Parisiensi, quintus à ciuitate Lugdunensi. & ita cum Molinæo sentit Rebuf. ad hanc regul. glos. 1. in Prax. benef. num. 5. & si quis quacumque extraordinaria velocitate terminum præueniat, vt quid veluti supernaturale reiicietur.

NVM. XXVIII.

In Legato autem non admittitur apud nos verisimilis notitia per cursores: sed nec adhuc per nuntios expeditos.

CONTRA Molinæi opinionem existimat Rebuf. ad hanc regul. num. 5. Legatum Ordinarios collatores præuenire posse per cursores,

& ad hunc effectum celeres equos designari, &, inquit, cursus velox recipietur; nec etiam in modificatione facultatum Legatorum hæc limitata Molinæi opinio reperitur. Et si facultates Legatorum à latere ex Legati Auenionensis potestate diiudicari possint, certum vsúque communi receptum, Auenionensem Legatum per cursores alioquin velocissimos Ordinarios præuenire, & in quolibet Legato etiam à latere id obseruari communis vsus, & mos abhinc 50. annis, docuit: & fatetur Molinæus duobus Curiæ decretis id iudicatum; nihilominus pertinaciter primæ inhæret opinioni ex antiquorum Senatus decretorum pura doctrina, quam vt verissimam sequitur ad regul. De infir. num. 140. Sed cùm antiqua illa Curiæ decreta non innotescant, & sit contraria consuetudo, ab ea discedere non possum.

NVM. XXXIII.

Quibus non obstantibus respondi trapezitam teneri ad interesse.

CVM sit legitima conuentio de re licita, & de qua negotiari consuetum, & cùm multis ordinationis Regiæ contra paruas datas articulis nummularij ad damna & interesse partium teneantur, si in muneris officio peccauerint, & in millium librarum turonensium cautionem præ-

ſtare teneantur, vt damnorum, & intereſſe condemnationes exequi poſſint, nulla dubitandi ratio eſſe poteſt nummularios ad damna & intereſſe obligari. Poſſunt autem ex legitima cauſa reſtitui, vt & alij minores, maximè in hac hypotheſi cùm factum curſorum promiſerint, & ex facti alieni ſtipulatione quis facillimè reſtituatur.

NVM. XXXIV.

Secundò dico quòd beneficium iſtud amiſſum non debet æſtimari tanquam ius quæſitum ablatum : ſed tanquam ius quærendum incertum.

VT nummularij ad damna & intereſſe impetrantium beneficia teneantur, de eorum dolo, calliditate vel lata culpa (cùm in iis quæ ſunt officij, & muneris deliquerunt, quando Regia conſtitutione hæc apponuntur, ſub pœna condemnationis damnorum & intereſſe) conſtare debet, & hoc ex verbis Molinæi num. 35. colligere poteris : Niſi de dolo trapezitæ conſtaret. damnorum autem & eius quod intereſt liquidatio pendet omnino ex iudicis arbitrio, qui ex variis doli, aut culpæ latæ circunſtantiis iudicabit. & poſſent nummularij cum damnis & intereſſe ex qualitate delicti corporaliter puniri, vt

cauetur Regia Henrici II. constitut. contra paruas datas art. 7. & art. 13. in fine. & Molinæus in comment. ad dictum Edictum in fine art. 13. in verbo Interest. existimat in casum doli nummularios per carcerem cogi posse, nec ad bonorum cessionem admitti propter delictum.

NVM. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XLIX. L. LII. LIV. & LVI.

HÆc omnia simul coniungenda existimaui, quæ ordinariam quæstionem continent, an qui iusta mandati ad resignanda beneficia occasione Romæ aduolant, possint per obitum beneficia obtinere, etiamsi inter diem obitus, & concessæ gratiæ legitima tempora non computari possint. Molinæus validissimis rationibus Ordinariorum collatorum iura tuetur, antiquas Ecclesiæ constitutiones sequitur, sex mensium tempora à Lateranensi Concilio Ordinariis collatoribus concessa defendit, Summi Pontificis præuentiones contra Ordinariorum collatorum iura inuentas vt odiosas oppugnat, contrarias opiniones vt iuri antiquo repugnantes, & præceptis naturæ contrarias refutat: Regulam De verisimili notitia, omnem vacationem per obitum continere nulla adhibita distinctione, an mandatum ad resignandum, an ista accipiendi itineris occasio præcesserit, priuatam impetrantium beneficia commoditatem non considerandam, cùm

de iuris publici & Ecclesiasticæ disciplinæ conseruatione agatur, quæ nec vllo errore, nec temporis diuturnitate, nec consuetudine præscribi potest. Nihilominus contrarius vsus & praxis Galliæ ius aliud introduxit. Quando enim mandatum ad resignandum beneficium præcessit, hæc sit legitima occasio arripiendi itineris, nullum sit captandæ mortis votum, imò impetrans resignantis valetudinem, non mortem desideret; cesset hoc speciali casu omnis fraudis & doli suspicio. Regulæ 28. dispositionem locum non habere omnes tam Galli quàm vltramontani scripsere, Glos. Pragm. Sanct. sequentes in §. Neque etiam, in verbo Faciendas. De collat. & Probus ad dictam glos. num. 7. his verbis vtitur; Opinionem Glos. amplectitur praxis Galliæ tam in consulendo, quàm in iudicando, ideo ad illam attende. Ioan. de Selua tract. de benef. part. 3. quæst. 46. iisdem verbis: Et si in partibus existens constituit procuratorem ad resignandum beneficium in Curia Romana. Rebuf. in §. Declarantes. in verbo, Præuentionis in fine. De mandat. Apost. in Concord. in hæc verba, Nisi prætextu renunciationis ante mortem cucurrisset, quia computabitur tempus à die constitutionis procuratorij, & non à die mortis, quia habuit bonum initium, & in Prax. benef. ad hanc regul. 28. glos. 7. & hæc communis opinio in Senatu Parisiensi approbata fuit pro Parochiali Ecclesia de Loques, domino Scaron in 5. classe

Inqui-

Inquiſitionum referente, Tierry & le Roy Eccleſiam contendentibus, anno 1586. Quæ ſit autem Vltramontanorum hac in quæſtione ſententia, & quomodo opinionem Pragm. Sanct. ſecuti fuerint, vide Gomeſ. ad hanc regul. 28. quæſt. 3. licèt in fine incertum relinquat auditorem. Et ſi Molinæi mentem attentè conſideres num. 56. à communi opinione non diſcedit, ſed tres limitationes adiicit: ſi mandatum ad reſignandum fraudandi cauſa non ſit factum, ſi in rei veritate ſit traditum, ſi non ſit reuocatum, ſi impetrantis incuria & negligentia reſignans deceſſerit; cùm illius curam & ſollicitudinem haberet, cùm ex tali ingratitudine commodum conſequi non poſſit.

NVM. LVII.

Sed etiam præter conſcientiam Pontificis obtentæ, & tamen per hanc paruarum datarum multiplicationem.

HIc vides Molinæum nobiſcum ſentire paruam datam ex multiplicatione probari: reïteratio ſeu multiplicatio datæ datam paruam probat. Vide quæ ſuprà notauimus ad regul. De publ. num. 369. & 380. Appoſitè autem hæc inconſulto Summo Pontifice fieri docet Molinæus, nullum commodum percipit, imò impediuntur vacationes per obitum.

NVM. LXI.

Titius numquam cogitauit resignare in fauorem Caij.

HÆc est vera & decisiua ratio. Ex his enim quæ diximus sup. num. 36. iusta arripiendi itineris occasio desideratur, quam in vno casu tantùm verificari posse sanxere Doctores nostri, puta in resignatione in fauorem, vel saltem in resignatione simplici in manibus Papæ facienda. In speciali autem hypothesi mandatum erat ad resignandum in manibus Episcopi, cuius virtute impetrans Romanam Cancellariam adire non potuit, nisi ad obtinendum beneficium per obitum, & sic incidit impetrans in pœnam regul·· De verisimili notitia.

NVM. LXIII.

Non potest bullam suam adaptare primæ acceptationi propter dictam dispensationem.

EO tempore quo hæc à Molinæo componebantur, dispensationes de duabus Parochialibus Ecclesiis obtinendis tolerabantur contra sanctorum Canonum decreta; quod hodie Regia Blesensi constitutione vetitum art. 11. quæ futu-

ris dispensationibus, non præteritis, dat formam per hæc verba, *Quelque dispense que l'on pourroit cy-aprés obtenir.* sed Romæ nullæ hac de re dantur dispensationes propter Tridentinæ Synodi prohibitionem.

NVM. LXIV. & LXV.

Sed quomodocumque, quoquo titulo vel occasione viuentis beneficium impetrat.

Vbi omnis aspiratio ad beneficia nondum vacantia tanquam damnabilis prohibetur.

NON hæc per regulam 28. De verisimili notit. cuius verba ad vacationem per obitum referuntur, sed per cap. 1. 2. & 3. de concess. Præbend. deciduntur. Ideo quæ de vacatione per obitum in regula Cancellariæ statuuntur, ad quamlibet vacationem extendas, non enim tam prædictam regulam in regno obseruamus quàm Iuris Canonici rationem & dispositionem: & ideo Molinæus num. 65. extendit ad vacationem per matrimonij contractum, per voti solemnis emissionem, & ad ea quæcunque ex quibus futura vacatio eminet vel speratur. Hæ siquidem beneficiorum viuentium impetrationes, tam tristes & adeo luctuosos exitus produxerunt, vt ab an-

tiquis Ecclesiæ Patribus in dictis cap. vetitæ, prohibitæ & damnatæ absque vlla distinctione fuerint.

NVM. LXVI.

Quia per sacra decreta Concilij Basiliensis omnes reseruationes abolitæ sunt, exceptis clausis in corpore iuris.

Imò reseruatio ex d. extrauagant. Execrabilis aboletur, vt in Pragmat. &c.

HODIE beneficiorum reseruationes in regno reiiciuntur, per titulum De reseruat. subl. in Concordatis, siue sint reseruationes generales, siue speciales: Vna tantùm excipitur, scilicet creatio Canonicatus ad effectum obtinendæ dignitatis, quæ sola & particularis exceptio firmat regulam in cæteris. Imputandum Summo Pontifici, in cuius potestate fuit legem apertiùs dicere, l. veteribus De pact. Reseruationum prohibitio fauorabilis, & ipsa reseruatio sacris inimica canonibus, vt per Glos. Prag. Sanct. videre licet ad titulum De reseruat. & per textum Prag. Sanct. omnes indefinitè reseruationes tam generales quàm particulares ex Basiliensi Concilio damnantur: hæ tantùm excipiuntur quæ fiunt in terris Romanæ Ecclesię ratione directi seu vtilis dominij

duntaxat. Quæ dispositio ex Basiliensi Concilio desumpta faciliùs regnicolarum aures demulcet, cùm Concilium in regno receptum fuerit. Rebuf. verba hæc sunt in Praxi benef. tit. De reseruat. subl. num. 38. Sed istæ omnes reseruationes, & manus appositiones fuere in Concil. Basiliensi sublatæ, & hoc in Gallia seruamus, vt non recipiamus reseruationes. Et apposité Probus ad finem glos. tit. De reseruationibus in Prag. notat differentiā Pragmaticæ constitutionis ad dictum titulum De reseruat. & Concordatorum : Pragm. Sanctio ea in re sacrorum Conciliorum, & sanctorum Patrum doctrinam sequitur ; at Concordat. lex viam quandam obliquam & obscuram : sed Gallici iudices legem abrogatam Prag. Sanct. sequuntur, exceptis reseruationibus in corpore iuris clausis. Ideo licèt Concordatorum lex de beneficiis tantùm loquatur, nihilominus in materia tam fauorabili beneficiorum verbo Ecclesiarum dignitates venient ; hoc enim iuris communis seu Basiliensis Concilij dispositio postulat.

NVM. LXVII.

Tum quia etiam in patria obedientiæ, vbi reseruationibus locus est.

RESERVATIONES in patria obedientiæ tolerantur, puta in Britannia, non in vim

Apostolicarum constitutionum, sed Regiæ Henrici II. constitutionis in Parlamento Britanniæ publicatæ tertia Septembris 1549. & miror publicationem consentiente Procuratore generali purè & sine vlla limitatione factam fuisse. Hæc Britanniæ prouincia Coronæ vnita domanij legibus vtitur, & tamen regnicolæ Ecclesiæ Gallicanæ priuilegiis & libertatibus priuantur.

NVM. LXVIII.

Tum inutilis præuentio Papæ non impedit Ordinarium potestate sua.

DIXIMVS suprà ad regulam De infirmis num. 448. inutilem Papæ præuentionem non impedire Ordinarij collationem. hæ siquidem præuentiones, quæ nullitatis pœnam incurrunt, nullum producunt effectum: nullitatis nullus effectus; quod nullum, ac si non esset consideratur. Ideo si Papa indigno vel incapaci contulerit, si Papæ prouisio obreptionis vel subreptionis vitio laboret, valida erit subsequens Ordinarij prouisio: non præstat impedimentum quod de iure non sortitur effectum, ex reg. iuris. Vide Ioan. de Selua tract. de benef. parte 3. quæst. 33. circa medium.



NVM. LXXVII.

Sed propter collationem factam, & ius, ſaltem ad rem, quæſitum Badio, & pendens.

DIXIMVS ſuprà ad reg. De infirmis num.72. 172. & 217. ius ad rem in beneficio impedire Summi Pontificis præuentionem, cùm res non ſit ampliùs integra; collationem abſenti factam licèt non acceptatam ius ad beneficium tribuere: Ideo ante declarationem acceptationis vel repudiationis (quo tempore beneficium eſt in ſuſpenſo, & ab omni præuentione exemptum) Papa præuenire non potuit.

NVM. LXXXI.

Quia ius illud eſt tantùm quædam ſeruitus, quæ non impedit ipſo iure poteſtatem Ordinarij: ſed tantùm ope exceptionis.

Et interim præuentio Ordinarij, præuentio non eſt, ſed naturalis prouiſio.

EX iis colligere facillimum defuncto patrono, & Eccleſia patronatus ius habente vacante,

collatorem seu Episcopum pleno iure conferre posse, nec expectandum noui patroni aduentum: hoc fauore dignum ob collatorum Ordinariorum libertatem, & ad impediendam Papæ præuentionem, nil eo casu collatori Ordinario imputandum qui primæua, naturali, ordinaria, pleno iure conferendo, vtitur potestate. & multum vrgent rationes Molinæi. Vide quæ suprà notauimus ad reg. De public. num. 307.

NVM. LXXXV.

Restitutio per viam gratiæ non trahitur ad fructus præteritos, sed bene restitutio per viam iustitiæ.

DIXIMVS sup. ad reg. De infirmis num. 399. veram hanc esse iuris decisionem, vt quæ per viam gratiæ conceduntur non retrotrahantur, nec tertio præiudicent: secus in restitutione per viam iustitiæ, etiam medio tempore facta reuocantur, ex glos. in cap. Quamuis. de rescript. in 6. & textus cap. Quamuis, id inducere videtur: huius axiomatis auctor Bart. nunc patet in l. final. c. de sent. pass. & rest. num. 7. sed nodum enucleare incepit; alij verò (quibus addere fuit facillimum) inceptam quæstionem iudicarunt. Vide Alex. Consil. 101. num. 6. lib. 2.

NVM

NVM. LXXXVI.

Obreptio autem funditus ab initio gratiam ita annullat, vt nunquam postea conualescere possit.

IVRIS est certissimi, omnia in prouisionibus Apostolicis quæ sunt gratiæ exprimenda, quæ ad concedendam gratiam Summum Pontificem suadere, aut dissuadere, mouere, aut dimouere potuissent. cap. Cùm adeo. cap. Ad aures. cap. Constitutis ad audientiam. cap. Si præponente De rescript. Hanc opinionem sequitur Ioannes de Selua tract. de beneficiis parte 3. quæst. 21. num. 58. cap. Quamuis. De præbend. in 6. Glos. Pragm. Sanct. in §. Item quod vniuersitates. in verbo, Qualitates. De collat. Rebuf. ad tit. Forma mandati Apostolici; in verbo, Pro expressis. vers. Et in priuilegiis, circa finem, in Concordat. Ipsemet Rebuf. in Prax. benef. cap. 29. lib. 1. Rescripta, inquit, gratiæ ad beneficia subreptitia ipso iure sunt nulla. Clement. 1. Ibi nullius momenti, De præbend. Glos. in Extrauagant. Sedes. De concess. præbend. Ruzæus in tractat. Iur. Regal. priuil. 4. num. 2. Et tamen, inquit, literæ ad beneficia subreptitiæ sunt ipso iure nullæ. cap. Si motu proprio. De præbend. in 6. & priuilegio 7. num. 2. Secundùm dispositionem iuris communis quis tenetur facere mentionem de omni-

bus iis quæ mouere possunt Principem, aliàs gratia subreptitia. & hæc Vltramontanis Doctoribus placere probat 33. aliàs 449. Rotæ decisio in nouis. De rescript. & decis. 24. aliàs 258. eodem tit. Inter qualitates beneficiorum quæ exprimi debent, illa non omittenda, quando beneficium est electiuum, vt in præbenda docet 41. aliàs 237. Rot. decis. De rescript. in antiquis: secùs si beneficium sit vnitum, nunquam enim beneficij vniti fit mentio ex 46. aliàs 319. Rot. decis. De rescript. in antiquis.

NVM. XCIV.

Quia dictum cap. Inter cætera, de facto non seruatur.

AVCTOR huius constitutionis est Innocent. III. qui sedem obtinebat anno Domini 1198. quo tempore Pontifices plenissimam in beneficiis habebant potestatem, & pro arbitrio collatoribus Ordinariis in collatione beneficiorum legem imponebant; eo tempore beneficiorum reseruationes probabantur, vt in hac constitutione videre licet, quæ primæ præbendæ vacantis in Ecclesia Senonensi reseruationem continet, & ideo ius est in hypothesi. At cùm hodie reseruationum vsus nullus sit apud nos ex Basiliensi Concilio, & Concordatorum lege: huius cap. cessat dispositio: & apposité hîc Molinæus ex communi

vſu exiſtimat collatores non in plus ſe obligare, quàm eorum actus ſeu collatio valeat, & de iure ſubſiſtit: euicto igitur beneficio ad aliud conferendum non obligantur, ſicut in prophanis rei donatæ euictio donantem non obligat: ex propria liberalitate nulius obligatur. Limita in Ordinario collatore expectanti beneficium debenti, puta mandatario, vel à Senatore Pariſienſi nominato, aut alio pro fidelitatis ſacramento, vel iucundo aduentu: poſt euictionem enim collati beneficij aliud primùm vacaturum conferre tenetur, nec prima collatione (quæ ſuum non eſt ſortita effectum) liberatur. Iis enim in caſibus collatores obligantur, beneficia debent, ſolutione tantùm (hoc eſt valida collatione) ſe exonerare poſſunt. ex Reb. ſententia in Gloſ. §. 1. De mandat. Apoſt. in verbo, Duobus. verſiculo Idem dicemus in nominatis. in Concord.

NVM. CII.

In fauorem tamen N. & dummodo ipſe acceptare voluerit.

SOMNIA ſibi fingit Molinæus, nec ſuis temporibus in prouiſionibus in fauorem ita ſtipulari Romæ licitum fuit, nec hæc à noſtris omiſſa fuiſſent, nec omitterentur, ſi obtineri poſſent. Nihilominus per decreta Senatus Pariſienſis nonnulla ex iis fauore reſignantium vſu reci-

piuntur : vt pro præbenda Bituricensi iudicatum fuisse suprà notauimus ad reg. De public. num. 245. Sed si hæ conuentiones seu stipulationes in prouisionibus inscriberentur, tutiori via resignantes in possessione eiurati beneficij remanerent, faciliùs cum resignatariis negotia sua contraherent, viuo resignante duo veluti eiurati beneficij essent domini, & iis mediis faciliùs collatores Ordinarij eluderentur.

NVM. CIII.

Nec poterit acceptare post obitum, sed liberè vacabit per obitum, quod iustum est odio huiusmodi vetitarũ resignationum.

AVT intra tempora sex mensium per regulam De public. concessa decedit resignans, & potest etiam resignatarius post obitum ratam habere resignationem, & non vacabit beneficium per obitum, sed per resignationem : eo enim speciali casu (cùm scilicet resignans decedit intra illa tempora sex mensium) nullus regulæ De public. locus relinquitur : sed si post sex mensium spatium decedat resignans in possessione, tunc superuacua erit resignatarij acceptatio, vt facta extra legitima tempora, & eo casu vacabit beneficium per obitum resignantis, per regulam De public. Vt tamen ad hypothesim

Molinæi reducatur quæstio, si ministrorum Cancellariæ Apostolicæ incuria seu negligentia mandata quædam ad resignandum cum his clausulis admitterentur; non tamen Molinæi opinioni subscriberem; hæc enim acceptatio fieri posset post obitum resignantis intra sex menses defuncti, eóque casu resignantis morte tale mandatum, re ampliùs non integra, vt puta gratia facta literis confectis, non reuocaretur: nil mutat acceptationem fieri debere viuo resignante; hoc enim intelligendum secundùm leges & regulas Cancellariæ, & hoc inutile gratiam legitimè factam non vitiat.

AD REGVLAM DE ANNALI POSSESSORE.

NVM. CXII. in fine.

Ideo in omni foro etiam in hoc regno omnino practicanda est.

REBVF. in Praxi beneficiorum ad hanc regulam 35. De annali possessore glos. 1. existimat regulam in regno obseruari; & si regulæ in prouisionibus non sit satisfactum, prouisionem subreptitiam & nullam esse. Nihilominus Prob. ad Glos. Prag. Sanct. in §. Ipsos omnes, in verbo, Regulas. De reseruat.

num.1. in enumeratione regularum Cancellariæ Apost. quæ in regno obseruantur, regulam nostram 35. De annali possess. omittit, sed tantùm enumerat regul. De infir. De public. & De verisimili notitia. Vtitur quidem verbo (& similibus), sed nullus huius regulæ effectus, cùm ex stilo Cancellariæ Apostolicæ derogatio sit ordinaria. Tamen cùm impetrantes iure deuoluto nòn fauore digni sint, sed Regiis constitutionibus & iuris communis dispositione odiosi iudicentur, sint beneficiorum eruscatores, sint aucupes & captatores alienorum beneficiorum, arripiendorum beneficiorum occasiones venantes, expiscatores rerum alienarum, fortunis alienis inhiantes: has Summi Pontificis derogationes ad hanc regulam admitterem, si modò qualitates quæ Sanctitatem suam mouere aut dimouere possent exprimerentur, vt pote si impetretur beneficium contra vnum ex familia Papæ, aut illustrissimorum Cardinalium, ex Senatoribus Rotæ, contra Episcopum Senatorem, aut contra quamlibet illustrem aut clarissimam personam; aliàs subreptitia derogatio, malísque artibus malitiosè obtenta.

EOD. NVM. CXII. in fine.

Quia Papa nihil potest statuere circa causas iudiciales, & earum formam in hoc regno, etiam in foro Ecclesiastico.

Sed cùm quælibet iurisdictio suum solum summum & supremũ habeat dominum, Ecclesiastica Summum Pontificem, sæcularis Regem nostrum Christianissimum, suis legibus, suáque potestate distinguatur; cur Summi Pontifices veri domini spiritualibus causis & Ecclesiastico foro legem imponere, & litibus formam præscribere non poterunt, cùm hoc in sæculari iurisdictione liceat Regi nostro? Si in foro Ecclesiastico ex Canonicis regulis axiomata hauriantur, si forma iudiciorum etiam ex Conciliis generalibus, sanctorum Patrum decretis, & ex ipsis Apostolicis constitutionibus petatur, cur ea potestas Summo Pontifici denegabitur? Sed cùm iudiciorum formulæ etiam in foro Ecclesiastico regni subditos ligent, non tantùm Ecclesiasticas personas in causis spiritualibus obligent, sed & laïcas in causis Sacramentorum, & multum Regi nostro intersit leges in subditos non publicari eo neglecto, & non consentiente; ideo per Concordata inter Sedem Apostolicam, & Reges nostros inita titulo de causis, de formulis, de stilo, de iudicum potestate abundè dictum, nihil de iis quæ necessaria erant & vtilia omissum fuit. Vltrà autem progredi vel aliud definire, nisi Sacerdotali & Regia potestate concurrentibus, nefas, & eo modo intelligenda Molinæi opinio, in verbo, Abusiuum: quæ enim contra Concordata Romæ fiunt vel statuuntur, per appellationem tanquam ab abusu, ad veram regulam reducuntur. & hæc est praxis Galliæ.

NVM. CXIII.

Si Papa motu proprio conferat.

HIc loquitur Molinæus de prouisione motu proprio Papæ obtenta, sed in rei veritate ad supplicationem per fauorem, & est motus proprius fictus, cuius vis nullius est ponderis. Quid autem de clausula (motu proprio) in prouisionibus Papæ apposita sit statuendum, docet cap. Si motu proprio. De præb. in 6. liberat à subreptione & obreptione. Quod in omnibus prouisionibus Papæ sub ea clausula concessis obseruatur; & hæc est communis Canonistarum opinio. Ruzæus tract. iuris Regal. priuileg. 7. n. 11. Rebuf. in forma mandati Apostol. in verbo Motu proprio, versic. Vigesimus nonus, in Concordat. Gomes. ad reg. Cancell. de non tollend. ius quæsitum. quæst. 13. in fine. quod etiam in 33. Rotæ decisione De Præbend. n. 6. 7. in antiquis deciditur. Sed eius clausulæ efficacia nunquam iuri quæsito præiudicat, vt in locis prædictis statuitur, & specialiter quæstio deciditur in 7. aliàs 112. Rotæ decisione De præb. in nouis. Quæ sunt autem extraordinaria, & contra iuris communis dispositionem, non tollit hæc clausula, vt puta defectum natalium, defectum ætatis, vitium corporis, maculam bigamiæ. hæc enim omnia specialem clausulam desiderant, vt probat Ioan. Andr. in dicto cap. Si motu proprio. De præbend. in 6. & ex dicta 33. decisione Rotæ colligere licet.

NVM.

NVM. CXV.

Non habere locum in prouisione Ordinarij.

AN hæc regula De annali possessore, locum habeat in Ordinario collatore, variatum fuit. & ipse Gomes. quæst. 9. ad hanc regulam negotium in vtramque partem agitat, & ex identitate rationis locum habere, suósque huius sententiæ probat auctores. & ipse Rebuf. ad hanc regul. in Praxi benef. glos. 18. existimat pœnam 50. florenorum Cameræ Apostolicæ persoluendam, si Romæ fiat condemnatio, si alibi fisco loci; ideo regulam extra Curiam posse procedere. & debiles sunt admodum rationes in contrarium adductæ, Episcopum scire debere nomen, qualitates, & possessionis tempora possessorū suæ diœcesis, cùm hæc præsumptio temporibus nostris nō sit iuris & de iure. Nihilominus cùm verba regulæ Ordinario collatori nullomodo cōuenire possint, sed tantùm Sum. Pontifici, vt puta pœna 50. florenorū Cameræ Apostolicæ soluendorum, excludit Ordinarios ab hac regula: & ita Gomesius cum Molinæo sentit regulā locum non habere in prouisione Ordinarij.

EOD. NVM. CXV.

Cùm ipse impetrans certet de lucro, seu iure quærendo.

DIXIMVS suprà ad regul. De public. num. 240. aliam in quærendis, lucri, aliam damni rationem: & qui acquirere volunt, conditiones à lege requisitas, formam à lege præscriptam ad vnguem obseruare teneri; aliàs acquisitio nulla, nec ex harum formæ seu solemnitatum omissione minores restitui posse. Vigilent igitur impetrantes beneficia iure deuoluto, nulla enim ignorantia excusari poterunt.

NVM. CXVI.

Vt procedat etiamsi impetretur post obitum possessoris annalis.

LONGE aliam quæstionem tractat Gomes. ad hanc reg. quæst. 63. De impetrante super annali possessore. An eo postea defuncto regulæ exceptio detur successori: eo enim casu initium prouisionis impetrantis consideratur, & cùm sit vitiosum, morte possessoris non conualescit: exceptio regulæ in rem est, & transit in successorem qui in ius defuncti subrogatur, eadémque nullitate impetrantis prouisionem impugnare potest. At maior dubitandi ratio, cùm post obitum possessoris impetratur beneficium. Primùm ad hanc hypothesin regulæ verba non conueniunt: deinde regula commodo annalis possessoris publicata, eo autem mortuo legis ratio cessare videtur: tertiò per verba regulæ appositè quis dixerit, ad impetrationes per obitum

regulæ dispositionem non procedere; cessat enim eo casu annalis possessoris priuilegium, & qualitatum expressio à regula desiderata possidentis personam respicit. Nil mutat ex Rotæ decisione & Gomesij opinione regulæ exceptionẽ esse in rem, quod verum si super annali possessore impetratio facta sit, possessor enim eo casu agit in rem in prouisione impetrantis, quæ vitiosum habuit initium. Et vno tantùm casu Molinæi opinionẽ procedere existimo, scilicet contra impetrantem post obitum annalis possessoris, quando Ordinarius impetrantem præuenit, & inter impetrantem, & prouisum ab Ordinario quæritur an per obitum possessoris, an per eius incapacitatem vacauerit beneficium: si impetrantis prouisio sit per incapacitatem possessoris defuncti, qualitates & conditiones in regula requisitas habeat. & hæc videtur Molinæi opinio per hæc verba: Quando deuolutio vel defectus iuris prætenditur non ex capite successoris, sed ex capite defuncti, siue ex defectu iuris defuncti.

NVM. CXIX.

Nec requirit canonicum titulum, nec bonam fidem possessoris.

ALIAS impetrantes prætextu nullitatis tituli, aut incapacitatis possessoris regulam non obseruarent, eius dispositionem eluderent; & si canonica institutio, & bona fides in possessore

desiderarentur, nil iuris nec priuilegij annali possessori tribueretur. quæ enim impetratio timenda canonicam institutionem bonámque fidem habenti? nec etiam regula hanc institutionem & bonam fidem desiderat, sed annalem possessioné.

NVM. CXXII.

Amplio nonò etiam in spoliatore.

SI modò titulum habeat seu institutionem canonicam, non de valida loquor, sed de quocunque titulo. Nulla enim in possessorio iudicio horum beneficiorum esse potest controuersia inter titulum habentem, & non habentem. Lis enim à titulorum editione seu communicatione capit initium, ex Regia Francisci I. constitutione anno Domini 1539. publicata art. 46. Quòd autem qualiscunque prouisio etiam inualida desideretur, vt sit locus regul. De annali possessore, Molinæi verba notanda sunt ad finem num. 123. Et bene sufficit sola detentio, etiam asinina, & iniusta per annum pacifica, ad excludendum impetrantes à Papa vel Legato, &c.

EOD. NVM. CXXII.

Non tamen contra spoliatum, nec à spoliato ius habentem.

Eo enim casu spoliatus ante omnia restituendus. Ideo si alius quàm spoliator sit in lite, cessabit spoliationis exceptio, quæ spoliantis personam, aut ab ea ius habentem considerat.

NVM. CXXIV.

Si impetrans ille allegaret & doceret incapacitatem personæ ipsius detentoris.

CVm impetrantium iure deuoluto, & per incapacitatem possessorum annalium prouisiones sint odiosæ, & impetrantes beneficiis alienis etiam pacificè possessis insidientur, nec limitationes, & conditiones regulæ De annal. possess. adimpleuerint, incapacitas possessorum non validat eorum prouisiones, quæ à limine iudicij ob non obseruatam regulæ nostræ formulam repelluntur. antequam enim de possessorum incapacitate moueatur quæstio, priùs inquirendum an impetrantes regulæ legibus satisfecerint.

NVM. CXXXI.

Per citationem nullam quæ prosecuta non fuit.

NVM. CXXXII.

Si possessor cui lis mota est, obtineat sententiam definitiuam pro se.

LIs igitur incepta & postea neglecta non impedit pacificã annalem possessionem, & sententia definitiua plenum possessorium continente efficit, vt præteriti temporis ad anni compu-

rationem habeatur ratio. hæc enim ſunt poſſeſ-ſionis commoda, hæc poſſeſſorum fauore legitimè introducta, hæc publicæ tranquillitatis contemplatione inſtituta.

NVM. CXXXIII.

IN effectu enim poſſeſſor fuit, poſſeſſioni beneficij incubuit, eius onera ſubire non recuſauit, nec ei quid imputari debet ſi Eccleſiæ ſtatuto, aut lege ſpeciali reluctante fructus beneficij non percepit. Obiter nota quandam quocunque caſu fructuum partem pro alimentis poſſeſſori relinquendam, cuius portionis ratione poſſeſſor quis legitimè dicitur. nec valeret conſuetudo vt poſſeſſor beneficij onera ſubiret, & fructus nullos perciperet; onera enim fructibus ita affecta, & fructus oneribus, vt horum ſeparatio multis Curiæ decretis abuſiua pronunciata ſit: fructus enim beneficiorum ita diuino muneri cohærent, vt ab eo ſeparari non poſſint. Plura de iis videre licet tam in Gloſ. Prag. Sanct. tit. de annat. in verbo Conſuetudinis, in fine; quàm apud Duarenum lib. 6. de ſacris Eccleſiæ miniſtris cap. 3. & Renat. Choppin. lib. de ſacra Politia 1. tit. 8. & lib. 3. c. 3.

EOD. NVM. CXXXIII.

Cùm frúctus ſequeſtrentur non ratione tituli controuerſi, ſed ſuper titulario.

NOTANDA hæc distinctio, quæ ad annales & triennales possessores referri potest. cùm enim in beneficiorum controuersiis tituli mouetur quæstio, litigiosum dicitur beneficium, pacifica dici non potest possessio, triennalis priuilegij beneficium non acquiritur, sicut nec annalis possessionis commoda conceduntur. Incertum enim quis titulum habeat, hæc tituli controuersia incertum dominum, & de iure suo vacillantem & dubitantem relinquit: non igitur pacifica possessio, imò in controuersiam reuocatur. At quando non ratione tituli fructus sequestrantur, prehenduntur, in Regiam manum ponuntur, sed pro redituum solutione, aut onerum præstatione non facta; quia eo casu talis sequestratio aut prehensio fit super ipso possessore tanquam titulario, legitimo possessore, & vero domino; acquiritur & annalis & triennalis possessio, quæ tituli respectu pacifica dicitur. Huius distinctionis rationem allegat Rebuf. tract. De pacif. possess. n. 293. Titulus, inquit, de pacific. intelligitur quãdo quis molestatur super titulo beneficij: secus si super decimis, aut aliis iuribus; vera enim & essentialis ratio decreti De pacificis in colorato titulo consistit, & si de eo nulla sit controuersia, pacifica remanet possessio. & regulariter prehensio possessorẽ sua non priuat possessione. l. 3. §. Finali. l. Si quis ante. versic. Denique. de acquir. vel amittend. possess. Et manus Regia non priuat possessorem possessione sua, sed possessorem conseruat,

vt probat Molinæus ad Consuet. Parisiens. §. 1. glos.4.n.16.& ita seruatur in Senatu hæc distinctio.

AD REGVLAM DE IDIOMATE, *Quæ est* XIX.

REDDIT rationem Molinæus cur hæc regula etiam in Ordinario locum habeat, & cur ei etiam à Papa derogari non possit. quæ propter Sacramentorum administrationem iuris sunt certissimi, ideo in aliis beneficiis curam animarum non habentibus non procedunt, vt ex regula colligere licet, quæ in Parochialibus Ecclesiis loquitur: meritò autem Molinæus in Præbenda Theologali regulam extendit, & in dignitatibus Ecclesiasticam iurisdictionem morúmque correctionem habentibus. Cùm enim beneficij aut dignitatis ratione verbum Dei annuntiare, aut iurisdictionem in propria exercere debeant, loci idioma ritè intelligere, & loqui necesse est. Vide infrà num. 144. in fine.

NVM. CXLVI.

Ait etiam textus in capite Illiteratos 36. distinct. Illiteratos vt vitiosos à sacris officiis repellendos.

HÆC Gelasij Papæ constitutio de sacrorum ordinum susceptione, puta Diaconatus & Presby-

Presbyteratus, intelligitur, in quibus illiterati, corpore vitiatis æquiparantur. Sed Canonicis constitutionibus illiterati seu ignorantes Ecclesias, seu alias dignitates, & officia obtinere non possunt, quibus imminet cura animarum, quibus Sacramentorum datur administratio. cap. Cùm in cunctis. de elect. cùm in Ecclesiasticis ministeriis sint ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum scientia inquirendæ, & in §. Inferiora. dicto capite. Sed nec ad Parochialis Ecclesiæ regimen nisi qui iam vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & scientia & moribus commendandus existat, & in cap. Nisi cùm pridem. §. pro defectu. De renuntiat. plerumque pro defectu scientiæ quis potest petere cessionem, quia cùm ipsa circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria, & in cap. Cùm te. de ætate & qualitate, tria in obtinendis Parochialibus Ecclesiis potissimum requiruntur, scientia, mores, & ætas. idem in Clement. 1. de ætat. & qualitat. & mirum Episcopum suo priuatum Episcopatu quia Grammaticam ignoraret, & Donatum nunquam didicisset, in cap. vlt. de ætat. qualitat. & ordine præfic. & de his beneficiis intelligenda Molinæi opinio. Secus de aliis beneficiis simplicibus, in quibus vitæ probitas, & ætas potiùs desiderantur, quàm scientia.

FINIS.



INDEX.

A

B

C

D

E

F

INDEX.

FINIS.

